

6

ANNALIVM BOICORVM

PARS SECVNDA.





COMPLECTITVR SECVNDA PARS

ANNALIVM



HISTORIAM TRIVM PAVLO MINVS SECVLORVM.

QVÆQVE AB ANNO DCCLXXXIIX. VSQVE AD MLXX.

BOIORVM GENTI AD MEMORIAM INSIGNIA EVENERE.

MAXIMILIANO
SERENISSIMO PRINCIPI,
BOIORVM DVCI
POTENTISSIMO
COMITI PALATI-
NO RHENI, S. R. IMPE-
RII SEPTEMVIRO,
CÆSAR; ELECTORI
ET
ARCHIDAPIFERO
FELICI PIO VI-
CTORI IMMORTALI-
TATEM.


Eque dubitavi vnquam, Serenissime Princeps, arduum negotium esse, quod Ser^tis^ V^æ^ imperio suscepi, eiúsq; magnitudinem ad meas potiùs vires in-

geniúmque, quàm perpetuam auſpicio-
rum tuorum proſperitatem & feliciſſi-
mum Genium tuum expendēti, iam in-
de ab initio, de ſucceſſu fuiſſe deſperan-
dum; neque verecunder nunc quoque
palàm confiteri, curriculum bis mille &
ducentorum annorum (quot ſcilicet à
prima BOIORVM memoria vſque ad
Imperium Serenitatis V^æ^ numerantur)
velut magnum maris æquor ingreſſo
offuſam caliginem, & vt breuia nulla
Syrtésque metuerem, ad tantæ Antiqui-
tatis infinita propè ſpatia animum con-
cidiſſe; vtique cùm meminiſſem Titum
Liuium, qualem verò virum? Origines
Romanas à ſeptingenteſimo non am-
plius anno accerſentē, rem eam im̄enſi
operis iudicaſſe atque ad paucorum in-
daginem ſeculorum, maximos ſequen-
tem duces, nihilominus horrore perſtri-
ctum; cùm mihi contrà penè incomita-
to ſparſa per totum orbem terrarū Ma-
iorum tuorum monimenta trophæáq;
colli-

colligenda intelligerem, & ad metas gloriæ BOICÆ (si tamen metas habet indefessa virtus) decurrendum; monstranda posteris omnia parentum suorum vestigia, quæcunque tam longinqua vetustas nondum extriuisset; docendum insuper, quales pace, quāti bello fuissent BOII; qua fide Numen, qua constantia diuina humanáque fœdera coluissent; quæ præmia tulissent religionis seruatæ, quæ neglectæ supplicia pependissent; vno verbo, viginti duûm seculorum inter læta tristiáque actas alternatásque vices, & toties mutatum fortunæ vultum, quod in tam longa humanæ inconstantiæ fabula fieri necesse fuit, quasi in theatro repræsentandum. In quo cùm veluti primum Actum famæ publicæ æquis iniquísque arbitris propinassem, id quidem fortasse assecutus sum, vt emensis vno cursu tredecim seculis cum largo auctario, etsi littus adhuc nullum videbam, sperare tamen in-

ciperem vltra dimidium iam prouectus, explicarémque fidentiùs vela assuetus iactationi, & maris patientior. At enim quia relicto post tergum veteri æuo, & Agilolfingorum Ducum tumulis prętemauigatis, rerum temporúmque series velut in alium Oceanum nos impulit, & Caroli Magni posterorúmque eius virtutibus signatum iter, ab Othonibus deinceps & Henricis continuatum nos legere iussit, lentior multo factus est cursus noster; quíque integra olim secula nulla re ad memoriam insignia prope momento transmisimus, nunc singulis penè annis ab aliqua retenti remora sumus, vt spatium omne, quod his libris confecimus, non omnino trecentorum annorum sit, facili etiam in posterum coniecturâ, longiùs processuris operosiora omnia fore; quæ tamen qualiacunque erunt, ludus iocúsque sint comparata Ser^tis^ V^æ^ annis, quibus denique

incipient magni procedere menses

fera-

feraces ingentium triumphorum, & soli amplos Annales impleturi, quorum veluti præludia nunc damus, sed ipsa quoque sub manibus nostris crescentia, eóq; gloriosiora, quò propius Ser^{tis} V^{æ} seculum contingunt, vt assurgere augerique molem operis quotidie sentiam, quod prima quæque perficiendo minui videbatur. Nimirum quemadmodum fictilem currum, quem figulis Veientibus formandum Tarquinius locauerat, creuisse inter flammas, quibus excoquebatur, memorant; & spissandam calore argillam, raro prodigio, eousq; intumuisse, vt non nisi deiecto fornacis culmine eximi potuerit: Ita etiam hoc nostrum literarium vehiculum, quod transuehendæ velut in triumpho & ostentandæ Orbi terrarum BOICAE genti, Ser^{tis} V^{æ} imperio, concinnatur, sub artificis sui dextrâ insperata capit incremẽta, primæque destinationis modulum egreditur: quanquam idipsum, Ser^{me} Princeps,

maximum eſt argumentum BOICAE Virtutis poſt tot ſecula nondum ſeneſcentis. Nihil æquari poſſe partæ Romanis bellis famæ, quæ ſupra triginta, ſuperioribus libris, recenſuimus, videbatur; Europam Aſiámque BOICIS trophæis impleuimus; exempla omnium virtutum in his ipſis terris edita, quibus Ser.^tas V.^a imperat, accumulauimus, non ſine metu, hanc quoq; gentem ad ſummum claritatis gradum adductam, vel deſcenſuram tandem de faſtigio, vel, quod alijs pluribus contigit, quarum hodie præter nomen nihil ſupereſt, ad occaſum ſuum præcipiti ruina properaturam. Aliorſum omina reciderunt. Vnius Thaſſilonis degeneris Principis & maioribus ſuis indigni & poſterorum fortunas euerſuri abdicatione defuncta periculo res BOIORVM publica, maximum inuicem omnis ætatis & memoriæ Principem Carolum Magnum accepit, manifeſto Numinis fauore, vt mu-

mutatis auſpicijs, ſub incomparabili Duce, ad auitas glorias veluti reflore-ſcens vſitatis artibus & moribus antiquis graſſaretur: quod quidem, vti ſpero, hi noſtri annales palàm facient; & perpetua trium ſeculorum hiſtoria euincet, nihil nos gratiæ, nihil auribus daturos, ſi, quod Pyrrhus Rex Æacidarum genti elogium aſperſit & ſcuto inſcriptum publicè propoſuit, nos quoque in Clypei Boici Rhombos transferamus, teſtemurque Boios antiquum ſuum obtinere, & nunc quoque VIROS ESSE. Enimuero cùm mihi perſuadeam, Ser.tem V.am hęc veteris æui monumenta domeſtica iucundè recognoſcere, & per Maiorum ſuorũ imagines propria cuiusque decora recenſentem inambulare gratulabundũ, tum id verò ſeriò triumphare, certũ habeo, tot tam illuſtri virtute Principes, raro diuinitatis priuilegio, genti Boicæ obtigiſſe, vt neſciam poſſitne vllius populi iuſtior eſſe eo nomine glo-

riatio. De Romanis quidem Cæsaribus, cùm eorum ad Claudium vsque Iuniorem longa iam series texeretur, dictum memini, qui ex eo omni numero Boni fuissent, in vno annulo perscribi depingíque posse; Nos, ne vetustiora repetamus, vel tribus his seculis, quot qualésq; viros in theatrum producimus, à quibus Imperandi præcepta exempláque petere nemini Regum verecundiæ esse debeat? Ne singulorũ decora enumerem, duos certè hic leget orbis, quorum alter Fortissimi, alter Sanctissimi nomen in purpura tulit. Quis enim regum tam fortis aut felix vnquam fuit, vt non Carolo Magno fasces & laureas suas submitteret? aut quis Virtutem tam familiariter coluit, vt Henrici Sancti nomini non assurgeret? cuius viri memoriam quàm religioso affectu Ser.tas V.a prosequatur, cùm alia multa, tum argentea visendi operis statua argumento sit, quam, sub Principatus aditi initia, in Augustissimo

D.Mi-

D. Michaelis templo Ser. Vª dicauit, non modo vt tutelam domesticam, sed vnicum etiam exemplar, ad quod exigi imperium suum vellet, sanctiore sine dubio consilio, quàm Romanorum Cæsarum fuit, qui Fortunæ aureæ Imagine in intimis penetralibus locatâ, satis demonstrarunt, maiorem se cœcæ illius Deæ, quàm Virtutis rationem ducere, eámque potissimùm in consilium adhibere. At enim molestum Serti Væ sit, cum Diuo illo comparari; etsi neq; Virtutis neque Fortunæ argumenta mutua & parallela desunt, quæ etiam, tacente me, agnoscent, quibus hæc nostra legere curæ erit; nam præter gemina pietatis studia, etiam regiones sibi notabunt, in quibus ambo victricia signa, in non dissimili causa, explicastis Pacis publicæ Religionisque Defensores. Porro cùm Reges suos Principésque additos Diuis hîc adoratura sit BOIARIA; etiam sacrorum antistites (quanquam id minus
habet

habet admirationis) idem nomen ſanctitate vitæ meritos, qui eorum nunc mitras ferunt, eadem voluptate numerabunt, vt ijs neceſſe non ſit, aliunde exempla accerſere, quibus hæc familiaria oriuntur ſidera, & ſpeculum domeſticum appenſum eſt; Patriáque ipſa felicius ſeculum aut etiam ſanctius ne voto quidem flagitatura ſit, ſi rediuiuos aſpiciat Hartvvicos, Lambertos, Wolfgangos, Pilegrinos, Tutones, Gotthardos, & ſi quos præterea hîc agnitura eſt, maieſtatem ſui Ordinis, vitæ dignitate, exæquantes. Et verò agnoſcimus, neque accuſamus ævum, cui tam boni Principes obtigere; revincemúſque olim triſtes & querulos, qui effœtam hodie virtutem clamant, & neminem laudant præter mortuos. Det modò Deus, vt vigeſimum tertium BOICÆ gentis ſeculum (quod Ser. Vᵃ. totum eſt) aperire liceat Orbi terrarum,

Et

Et mihi tam longæ maneat pars vltima vitæ,
Spiritus & quantum sat erit tua dicere facta,
nihil erit, quod antiquitati, quantumuis Piæ, Forti, Felici, invideamus. Interim illud ipſum Ser. V^a. extendat ingentibus factis, & triumphis impleat, quódque Pij omnes optant, & verò etiam ſperant, Pace redditâ Germaniæ, & Pietate exule in auitas reductâ ſedes, illud aureum ſanctúmque efficiat. Monachij Pridie Idus Iulij, S. HENRICI IMP. & BOIORVM DVCIS Natali. A. C. MDCXXIX.

Serenitati Veſtræ

Deuotiſſimus

Andreas Brunner
è Soc. IESV.

VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM

LIBER VI.

Breuiarium rerum geſtarum.

CAROLO MAGNO,

PIPINO ET CAROLO CAROLI FF.

REGIBVS DESIGNATIS,

BERNARDO PIPINI F. CISDANV-

BIANÆ BOIAR. R.

LOTHARIO ET LVDOVICO

GERMANICO LVDOVICI PII

FF. CAROLI M. N N.

BOIARIÆ REGIBVS.

Caro-



AROLVS M. BOIARIAE *post Thaßilonem Rex eam secundò de Hunnis triumphantem in formam prouinciæ redigit; Geroldum Proregem creat. Hunnos memorabili bello superat.* I.

Res Christiana apud Carantanos, Ingonis Principis & Arnonis Salisb. Episcopi studijs, magna capit incrementa. Hæresis Feliciana Ratisbonæ condemnata. Ibidem fœda in Caroli M. caput coniuratio detecta, eáque re accensa eius in Deum pietas. De committendis inter se Rheno & Danubio irritam operam sumit. II.

Ringus vnus altérue, munimenta Hunnica, expugnantur. Salisburgum Archiepiscopij dignitate augetur. Arno Primus Archiepiscopus apud Carantanos pietatis magisterium exercet; genti Episcopum dat. Geroldus BOICAE *Prætor cruenta sed beata morte occumbit.* BOII *Hun-* III.

Hunnos iterum domant. Arno ad cognoscendam sacrilegij causam Romam mittitur. Mettensis Monasterij Origines. BB. Gamelberti & Vtonis res gestæ.

IV. *Carolus M. Imperator salutatur. Leo Pont. in* BOIARIAM *venit. Christianæ rei apud Hunnos initia: Bohemi bis victi. Fabulosi Gigantes explosi. Salisburgi Concilium Ecclesiasticum celebratur. Pipinus & Carolus Caroli M. Filij* BOIARIAE *Reges designati præmaturè moriuntur. Pipino in Cisdanubianæ Prouinciæ possessione Bernardus F. succedit, paulo pòst à Ludouico, quem Carolus M. in societatem Imperij moriturus adsciverat, loco motus.* BOIARIAM *Lotharius primùm, mox Ludouicus eius Fr. regendam suscepere.*

V. *Bernardus* BOIARIAE *Exrex rebellat infelici conatu. Ludouici Pij cum Iuditha VVelfonis F. nuptiæ & ex ea prolès. Bellum contra Pannones. Ar-*

nonis

nonis Salisb. Archiep. Mors. Recentiorum de Bernardi posteritate dubia narratio. Res cum Bulgaris gestæ.

BOIARIA *Ludouicum Regem suum accipit. eius cum Bulgaris bella. Noua Prouinciarum Germaniæ diuisio, & Filiorum à Rege Patre alienatio, secutæq; turbæ, quæ à Ludouico* BOIO *nonnihil suppressæ, à Lothario vehementiùs auctæ, patris tandem prudentia & moderatione sopitæ sunt. Ijsdem recrudescentibus Ludouicus* BOIVS *contra Patrem impia arma capit, sed nullo cruentata bello reponit. Pipinus atrociùs insaniens in custodiam datur; eius prouinciæ Carolo Caluo attributæ, quod noui belli seminarium fuit; cuius sedandi causa Gregorius Pont. Max. in Germaniam transcendit operâ irritâ. Imperator custodiâ circumseptus denique exauthoratur. Ludouicus* BOIVS *eius liberandi restituendiq; curam suscipit,* VI.

& vi Lothario fratri ostentata, ex eius manibus ereptum in solium reponit, & aduersus fratris repetitas molitiones tuetur.

VII. *Ludouicus apud Patrem rursus offendit, & prouincijs, quas præter* BOIGAM *regebat, omnibus multatur: Arma ad eam iniuriam vlciscendam semel iterúmq; sumpta, deferuescente irâ, abijcit, paulo ante Patris Mortem. Cùm Fr. deinde Lothario collisus ei armatus obuiam progreditur. Pugna primùm inducijs, deinde Ludouici à suis destituti fugâ dirempta. Vbi deniq; ad manus ventum est, Ludouicus victor cum Carolo Fratre copias iungit. Post cassa pacis consilia Lotharius iterum cruento prælio vincitur, cum insigni Francicæ gloriæ ruinâ. Fortunam iteratò tentatam, nihilo benigniorem experitur. Ludouicus & Carolus nouo fœdere inter se colligantur. Ad vtrumq; Carolomannus Lud.*

F. cum

F. cum nouis copijs accedit. Lothario fugâ elapso, Germaniam inter se diuidunt; ad quam sortitionem tandem etiam admissus est.

Ludouicus Prynonem Moravum transfugam magnis præmijs honoribúsq; afficit. Obodritos bello domat. de Northmannorum in Galliam irruptione, cladibus illatis acceptísq; ex Kobone Legato cognoscit. Aliquot Bohemos Proceres Christianis sacris imbutos Baptismo admouet. Gliscens ex vana suspicione inter fratres incendium prudentiâ suâ extinguit. Lothario familiarißimè vtitur. Solicitatus ab eodem, ad deserendum Carolum fratrem, conditionem vt impiam respuit. Cum Bohemis alternante fortuna pugnat. Infelicis prælij causas eiusdem concitator Dæmon prodit. Roruci Northmanni fortunas Ludouicus subleuat. Fames Germaniam populatur. VIII.

IX. *Ludouicus Soraborum tumultus reprimit. Tribunalium vitia emendat. Ad capessendam Aquitaniæ coronam vocatus Ludouicum eò filium mittit, nullo successu. Morauos rebellantes contundit. Lothario Fr. ex Cæsare in Monachum attonso mortuóq;, Dalmincios subiugat. Slauitagum Bohemiæ Tyrannum in exilium agit. Vltro oblatum Galliæ regnum adit, fratrem congredi ausum fugat. Paratas in suum caput insidias maturo discessu euitat; inuidiam etiam facti à se amolitur, & deniq; optimâ fide cum fratre Carolo in gratiam redit.*

X. *Carolomannus Lud. filius Patri suspectus eidem satisfacit. Nouis criminationibus appetitus in Patrem arma sumit: pugnâ temperatum, gratia innocenti restituta. Rastices Morauus iterum ad sancienda fœdera compulsus. Carolus Fr. ad eadem renouanda inuitatus.*

tatus. Ludouicus Ludouico Patri bellum mouet impium iuxta atque infelix. Carolomannus contrà, clientis sui perfidiam non modò euitat, sed vlciscitur etiam.


Bulgari recens ad Christum miris occasionibus causísq; conuersi, Doctores Christianæ Legis ex BOICA *accersunt. Ludouicus sanare Lotharij ingenium studet. Bohemi domiti. Moravi D. Emmerammi præsenti ope superati. A Regijs filijs, sub idem tempus, triumphis digna facinora edita. Pater votis Piorum salutem recuperat, paulo pòst nouo casu grauiter afflictus. Rastices Morauiæ turbo captus multiplicis perfidiæ pœnas persoluit. Zuentibaldus eius Nepos & proditor, causâ ex vinculis dictâ, absolutus,* BOIARIAM, *sui iuris factus, vastat: Ludouicus filiorum alienatos à se animos beneuolentiâ mitigat. Bohemos & Morauos immisso exercitu vexat.* XI.

XII. *Ludouicus* BOIVS *regijs è Græciâ muneribus cultus Prouincias inter filios diuidit. Bohemos Morauósq; bello laceßit, non eadem vtrobiq; fortunâ. Carolus Ludouici F. à Dæmone palàm agitatur. Frisij memorabilem victoriam de Northmannis reportant. Locustæ Germaniam depascuntur. Ludouicus Pius cum Ludouico Filio è piacularibus flammis colloquitur opémq; eius efflagitat. Pax cum Morauis facta. Carolomannus Caroli Calvi* F. *ad Ludouicum profugit. Pestis, Tumultus, Cometa, Inundatio, Ludouici Imperatoris mors, & ex ea natum Fratrum Ludouici & Caroli dißidium. Imperium Carolo ceßit. Eius Regnum dum Ludouicus inuadit, coniuge Hemma orbatur; & ipse quoq;, pace cum fratre redintegrata, moritur.*

GESTA SVNT HÆC AB Anno CHRISTI DCCLXXXIX. vsque ad DCCCLXXVI.

CARO-

CAROLVS M. REX BOIARIÆ



Væ per Annos Mille Trecentos & ampliùs, BOIORVM Gens vniuersa, Agendo iuxtà Patiendóque Fortia, vel Virtutis vel Fortunæ suæ vestigia Europæ Asiǽque impressit, cum Cura & Fide, vt alia defuerint, exscripsimus prioribus libris, quibus Thassilo finem imposuit, qui ex Agilolfingorum sanguine BOIOS vltimus rexit, nunquam elugendo casu, si minorem Carolo M. nactus esset successorem. At enim illius Viri incomparabilis Virtus, cùm desiderium multò etiam melioris Principis posset extinguere, & imperium non vnius tantùm Gentis, sed totius Orbis terrarum, ingentibus factis pridem meruisset, gloriæ quàm probro propius fuit, sub iura concedere Maximi Regis, quem adorare neque Roma erubuerit. Nos certe BOIOS felicioribus deinceps auspicijs Pace Bellóque vsuros maioribus animis, qualicunque oratione sequemur; parem enim Caroli Magnitudini promittere ingenij I.

 super-

ſuperbi ſit, & Virtutem non intelligentis: BOIIS illo ipſo anno, quo Carolo fidem dedere, eiuſdem præſtandæ duplici bello, felici vtroque, oblata occaſio eſt.

A. C. DCCLXXXIIX HVNNI DVPLICI PRÆLIO A BOIIS CONCISI.

Nam Hunni, quos euocatos à Thaſſilone aliàs diximus, quanquam eo ſubmoto, rebúſque inſigniter mutatis, ſi otium agere, aut certè pati vellent, diſcedere ab armis & ſtipendium facere lucri poterant: obſequi tamen ingenio ſuo maluerunt, & ne inter ingratas ferias annum perderent, diuiſis copijs Forum Iulij & BOICAM ingreſſi, læuo vtrobique euentu pugnauere: à BOIIS quidem in campis Iboræ cæſi fugatíque ſunt, Grahamanno & Odoacre Francorúmque nonnullis in partem iuuantibus. bello ſuperſtites cùm dedecore pleni triſtem ad ſuos nuncium retuliſſent, penè in rabiem populares ſuos egere: ſtimulabat ægros animos non tam accepta clades, quàm cladis auctores BOII; à quorum ceruicibus Franciccæ ſeruitutis iugum depulſum iuerint, ab his ipſos vindices libertatis cæſos: ingratiſſimos mortalium, vt nouis dominis iactarent obſequium ſuum, & inſigni argumento oſten-

Adelmus in Annal. Franc. Regino in Chr. Ann. Franc. Fuldens. Sigebert. Herm. Contract. &c.

oſtenderent, libertatem ſibi cordi non eſſe, datam turpiter fidem, illorum potiſſimùm ſanguine ſancire voluiſſe, qui id vnicum egerint, ne omnino BOIORVM vllus Franco obnoxius viueret. Ita exaſperatis animis vndique bellum efflagitatum, tanquam in parricidas vindicum ſuorum, in ignaua Francorum mancipia, quíque pertinaciùs pro ſeruitute, quàm aliæ gentes pro libertate ſibi putent dimicandum: Igitur delectu accuratè habito, cum copijs multo maioribus, in BOIARIAM effuſi toti genti vltima minabantur. Haud aliàs virtus BOIORVM clariùs enituit: neque primum illorum impetum Hunni tulere; cædes potiùs, quàm pugna fuit: Hunnis nulla niſi in fuga ſpes, eáque irrita; quippe Danubius obijciebatur latiſſimo alueo & vorticoſus, quem tamen multi, ſumptâ ex deſperatione audaciâ, tranare aggreſſi, nihilo mitiorem BOII s experti ſunt, niſi quòd integros, & ſine vulnere hauſit. Carolus geminæ victoriæ nuncio exhilaratus ipſe in BOIARIAM contendit, inſeſſáque Reginoburgi regiâ, prouinciam ordinare aggreſſus ius vetus

CAROLVS BOIARIAM IN FORMAM PROVINCIÆ REDIGIT, ET NOVIS LEGIBVS FIRMAT.

BOICÆ nouis tabulis auxit, quæ hodieq; extant, sententiâ quàm verbis nitidiores; neque operæ visum, illas huc transcribere. Iuri dicundo illustres viri, Comitum dignitate plerique omnes conspicui, præfecti sunt. In veteribus membranis Ecclesiæ Frisingensis celebriores sunt Erchanbaldus, Otpertus, Albricus, Adulphus, Wernharius, Orendillus, Amelricus, Godefredus, Comites omnes; Gisilhardus, & Ellambertus simpliciter Iudices dicuntur; ij cum Sacrorum Antistibus Episcopis Abbatibúsque, & prouincialium nobilissimo quoq; BOICAM omnem obire soliti, locis opportunioribus, vt Frisingæ, Reginoburgi, Oetingæ, Aiblingæ, Feringæ, in monasterijs præterea iudicia publica exercebant: summa in ijs Arnonis Salisburgensis pontificis auctoritas, & primæ vbique partes; cuius viri virtus & eximia in rebus gerendis dexteritas iam apud Thassilonem in pretio fuere; ob easdem Carolo conciliatus, principem apud illum gratiæ locum meruit. Vicarium absente Carolo imperium Geroldus gessit, maximi nominis vir, & cum cura dicendus:

FORMA IVRIS DICVNDI IN BOICA.

GEROLDVS BOICÆ PRÆFECTVS, CAROLI LEGATVS.

Hilde-

Hildegardis, quæ Caroli coniux fuit, frater, Valafridi Abbatis teſtimonio, creditur; Comitem Puſſenium annales Augienſes appellant, ab arce ſine dubio, quæ in edito Sueuiæ monte hoc nomine ſita, hunc olim dominum habuit: Pacis & belli artes complexus, vnus omnes virtutis numeros abſoluit. Valafridus, qui illum per ætatem noſſe potuit, incultis verſibus ſic illius laudes cecinit.

Hic vir in hac patria ſumma bonitate nitebat
Moribus egregius, verax, manſuetus, honeſtus,
Cui regina ſoror, Ludouici chara genetrix
Hildegartis erat, parili bonitate venuſta,
Viribus ille potens, ſanctoque potentior actu.

Cùm liberos nullos ſuſcepiſſet, optimo conſilio Deum hæredem ſcripſit, ampliſſimo patrimonio alendis religioſis cœtibus, in monaſteria Augienſe & Sangallenſe potiſſimùm effuſo. Stetit olim etiam Paderbornæ ædicula Virgini Matri ſacra Geroldi pietatis monimentum.

Vita S. Meinuuerci.

Ann.Chr. DCCCLXXXIX

CAROLVS SLAVORVM MOTVS COMPONIT.

Verùm Carolo, proximo poſt Thaſſilonem attonſum anno, nouus hoſtis ſubnatus eſt. Wiltzi (Slauorum natio eſt)

Autores iid. De Vviltzis vide Helmold. Chron. Slauorum, c. 2.

est) incredibili Francici nominis odio flagrabant, cuius vbi in ipsosmet Francos exonerandi potestas non dabatur, fœderatos ipsis populos infestabant. Carolus sociorum iniurias ad se pertinere ratus, ne cui mortalium amicitia Francorum fraudi esset, ferocem gentem bello petere statuit, Rhenóque & Albi superatis, hostilem oram omnem terrore sui nominis impleuit; nec Slaui impetum diu tulere, sed ab armis ad preces versi, satis habuerunt vltimam cladem à se auertere. Victoriam in hunc modum pari celeritate felicitatéque de Slauis partam bellum Hunnicum excepit, memorabile inprimis & grauissimum, sine dubio, post Saxonicum, maiore tamen operæ precio, fructúque victoriæ lætiore terminatum: verùm eius anno nonagesimo tantùm semina iacta sunt, inter mutuas expostulationes querelásque, ad quas bellum quærentibus semper prompta facundia; Vormatiæ Carolum legati Hunnorum adiere, vbi longa de finibus disceptatio fuit; ijs quantumuis avitis pelli se per nefas, tumultuosissimè Hunni vociferabantur, víxque

BELLI HVNNICI EXORDIA *Adelmus.*

A. DCCXC.

que á verborum contumelijs abstinebant, vt facilè appareret, non iuris iam esse certamen, sed vim quæri. Dimissi, re infecta, legati, additíque à Carolo, qui causam coram cognoscerent definirentque, nihil æqui impetrarunt; pro certo allatum, Hunnos bellum parturire, idémque breui parituros; id modò cogitandum Carolo, an, pro vetere Francici nominis gloria, excipere, an inuadere hostem; inferre, an propulsare periculum aptiùs existimaret; an vel hoc ferocissimis barbaris dandum esset, vt locum bello gerendo ipsi antecaperent. Nulli, miniméque omnium Carolo dubium fuit, quid facto opus esset; delectum igitur, ex, quotquot ipsi parebant, populis, haberi quàm exquisitissimè, bellóque in proximum ver pronunciato, copias omnes Reginoburgi conuenire iubet; eodémque ipse in tempore profectus, rebus omnibus ad expeditionem paratis, diuisis trifariam copijs, in Hunnos contendit. Francos rex ipse dextrâ Danubij ripâ per BOICAM duxit; læuam Saxones, Frisij, Thuringi tenuere; ijs Theodericus Comes & Meginfredus regij cubiculi præ-

A. DCCXCI.
BELLI HVNNICI APPARATVS.
Adelmus.
Regino Ann.
Fuld. &c.

præfectus Duces dati: cõmeatus ſecundo Danubio ferebantur; ijs cuſtodiæ causâ Boiorvm nauales copiæ additę; eæ cum pedeſtribus, ad Anaſſum flumen, iunctis tandem caſtris, conſedere. Ibi de ratione belli deliberatum. Carolus gnarus victorias cælo dari, placare Numen votis precibúſque inſtitit. Triduo continuo à toto exercitu ſupplicatum eſt, laudabili etiam ad poſteros exemplo, niſi à maximo omnis æui Imperatore belli gerendi artes pudet diſcere; qui etſi auctos animis plenóſque bonæ ſpei milites ſuos animaduertebat, ſubijciendas tamen etiam calentibus faces cenſuit, hac, ad Francos maximè ſuos, oratione

Caroli M. oratio Militaris.

vſus. Iniuriam faciam fortitudini veſtræ, Commilitones, ſi, velut abſtergendi metus causâ, vos alloquar. nullum
„ vnquam hoſtem ego, vobis militibus,
„ nullum vos, me duce, timuiſtis; neque in
„ aciem vos alio vnquam vultu deſcen-
„ dentes vidi, quàm, quo alij ad epulas
„ eunt. quin, & cùm ſaucios inde reduce-
„ rem, ita loquentes, velut in conuiuio,
„ audiebam, aliquantum vos ſanguinis pa-
„ triæ propinaſſe; cui ſi qui etiam animam
im-

impendissent, symbolam esse dicebatis, «
velut pro militari cœna datam. Hos ani- «
mos in illa bella tulistis, quæ pro aris & «
focis, pro liberis coniugibúsque nostris, «
cum Francici duntaxat nominis hosti- «
bus gessimus. At enim nego bellum «
hoc, in quod nunc ferrum strinximus, «
quidquam præteritis simile habere: Non «
nostræ vnius, non alterius cuiuspiam co- «
gnatæ gentis, sed totius orbis terrarum «
causam defendendam suscepimus, aut «
iniurias vindicandas. Hunnus enim vni- «
versi generis humani odium professus, «
vltimam eiusdem perniciem, aliquot «
iam sæculis, quęsiuit. Anni trecenti sunt «
& amplius, cùm Atila huius ipsius gen- «
tis rex, humani sanguinis profundissi- «
mus helluo omniúmque gentium latro, «
flammâ ferróque, & vltimi furoris ex- «
emplis totam penè Europam in solitu- «
dinem redegit, aut bustũ fecit, vltro ipse «
FLAGELLVM DEI se iactitãs gloriatúsq; «
titulis suæ crudelitatis; cui duo tantùm «
spectacula defuerunt, quòd ardentem «
orbem terrarum, cuius ipse nobilissi- «
mam partem inflammauerat; aut inco- «
larum suorum innatantem sanguini, tot «

iam

" iam à se fontibus apertis, videre non po-
" tuit; sperauit tamen, & hoc impium vo-
" tum ad posteros transmisit; cui dum illi
" strenuè parentant, quot cladibus tria
" iam sæcula funestarunt? fuere post Ati-
" lam alij potiùs duces, quàm mores; nam
" immanitate illum æquarunt, auaritiâ vi-
" cerunt. quid enim aliud sunt harum lati-
" bula belluarum, quàm prouinciarum
" spoliaria, cruentarúmque receptacula
" prædarum? quæ illi suum vectigal appel-
" lant, & præmia fortium virorum; hoc e-
" nim nomen mereri se putant latrocinijs
" crebrioribus, quàm bellis; iniurijs in su-
" peros, quàm in homines atrocioribus:
" quibus cùm eripere cælum non possint,
" ea tamen, quæ illis religiosa liberalitas
" mortalium consecrauit, auidiùs, quàm
" profanas opes diripiunt: etsi enim aua-
" rissimi sunt, plus tamen illos impietas,
" quàm lucra iuvant. Iacent penè sub o-
" culis nostris Laureacensis Ecclesiæ to-
" tius Norici vetustissimæ rudera, déque
" incunabulis Christianæ, per has terras,
" pietatis, vix exiguus cinis superest; calet
" tamen adhuc, & si viri estis, accendet a-
" nimos vestros ad sumendum de impia
gente

gente supplicium. Parum enim dixi, cùm vos terrarum vindices appellaui; etiam pro cælo pugnandum est; Deo & superis cõmodanda manus nunquam pulchriùs occupata. Vos cogitate, qualis triumphus maneat, vnâ opera de mortalibus immortalibúsque bene merentes, & vtrinque plausum cum stipendio collecturos. Renouate modò illius diei memoriam, quo, in Catalaunicis campis, maiores nostri, Merouco duce, primi omnium hominum docuere Atilam posse vinci. Sentiant Hunni in veteres scelerum suorum se vindices incidisse: agnoscant ex ferro Francos, fateantúrque, famam nihil de nobis maioribusq; nostris mentitam; vos illius exercitus virtutem orbi repræsentate, faxo ego, ne in Duce vestro Meroueum desideretis. Hac oratione accensis omnium animis, castra mouit, & superato Anasso flumine, signa in hostico explicauit. Duo præsidia validè munita Hunnus occuparat, ad Cambum flumen alterum; alterum in monte erectum, ad Comagenas vetus oppidum. Carolus virtute militum, vtroque breui potitus, longiúsque pro-

 gres-

gressus, hostem nusquam obuium habuit. Fatalis quidam torpor & desperatio animos inuaserat; nulla vt indignitate elici ad certamen possent: agi ferríq; sua pro libidine oculis intuebantur; fumus ex incendijs villarum agrorúmque, in ipsa penè ora ferebatur; captiuorum clamoribus socios invocantium aures strepebant; neque tamen rumpi iners patientia potuit, vix vt cum illa gente sibi bellum Franci esse crederent, cuius famam plus ferme, quàm aliũ quemcunque hostem olim extimuerant. Cùm ergo nihil vsquam moueretur, populabundi vastatâ longè latéque regione, vsque ad Arrabonis in Danubiũ se exonerantis ostia peruenere, quinquaginta duos dies flamma ferróq; impunè grassati; præda ingens omnis generis parta, mortalium etiam integri greges abacti, eorum præsertim, quorum vel sexus, vel ætas iniuriæ opportuniores. Rebus ex sententia gestis, salvum Carolus exercitum diuersis itineribus in BOICAM reduxit. Non eadem iumentorum, quæ hominum, sors fuit; ea pestilenti vexata lue passim sternebantur, vix decimum quod-


RES APVD HVNNOS GESTÆ.

Ann. Franc. Fragm. apud Canis. t. 3.

quodque mali immune fuit. Duo præterea insignia funera ducta, Angilrami Mediomatricum, & Simperti Reginoburgensium Antistitum; huius corpus S. Emmerāmi templo, quod ab ipso auctū ornatúmque fuerat, illatum; successor Adalvvinus fuit. Victoriæ fructum Batavensis potissimùm Ecclesia, & ex Monasterijs Altaichium inferius tulere, quæ Carolus manubijs & parte agri de hoste capti locupletauit, modestè veréq; sentiens, non tam sui nominis famâ, quàm præsentis numinis maiestate attonitos barbaros infami patientia victoriæ suæ fauisse. SIMPERTVS RATISB. EPISC. MORITVR. *Hund. & Schrittovvin.*

II.

Dum hæc apud Hunnos geruntur, Christiana res in Carantanis, Ducis industriâ, egregia sumpsit incrementa. Ingo tunc genti præerat clarissimus belli artibus, idémque religiosissimus princeps; animaduerterat hic, primores gētis ferè à Christo abhorrere, opibus suis incubantes & immersi delicijs aspernabantur Deum qui natus in fœno, & in Cruce mortuus diceretur; & quia legem illius malè conuenire cum moribus suis videbant, eam vt tetricam, & beatæ ini- AVGMENTA PIETATIS APVD CARANTANOS. *Tom. 6. H. Canisij. Et vet. Memb. edit. à Dubrauio.* INGONIS CARANTAN. DVCIS PIVS ASTVS.



micam vitæ iniquis ſermonibus traducebant. ridebantur etiam, qui, de plebe, noſtra ſacra amplexi fuerãt, quòd inanes ſpes nimíſque remotas ſecuti, Crucem teſſeram felicitatis ſuæ, & precium cæli crederent paupertatem. Ingo cùm moleſtiſſimè ferret ſanctiſſimæ legi vilitatem obijci, eámque maculam natalium haberi, rationem ex ingenio reperit perniciosæ calumniæ abſtergendæ. Feſto die epulum adornat ſumptu cultúque magnifico, eíque non modò nobilitatem, ſed ex infima plebe pannoſiſſimum quemque, Chriſtiana tamen profeſſione nobilem adhibet; & hos quidem ſuâ dignatus menſâ, accipit elegantiſſimè; vini florem in auro miniſtrat, & epularum delicijs mira ipſe comitate nouam gratiam aſpergit: porrò purpuratis longè infra hos menſa parca & ſobria poſita, fictilibus grauida, & cibario pane; cœna reliqua quotidiana, & ſola fame condienda; cùm interim ijs inſolentis indignitate ſpectaculi penè ſtomachus euerteretur. Macerabantur igitur invidia, & ſicci ieiuníque humiles illos conuiuas indignantibus oculis deuorabant, quære-

rebántque inter se, quæ illa noua Saturnalia essent, in quibus tantum liceret servis? vinum dominicum ijs, vnáque deridendos dominos propinari: sibi velut terræ filijs terrestrem cœnam coctam, vappâ diluendam. Ingo, vbi tempestivum visum est, facti sui rationem reddidit, negavítque in leges vrbanitatis à se peccatum; quemque pro sua dignitate accubuisse; conuiuas non sanguine, sed moribus æstimatos; nam hos quidem, sub sordido palliolo, nitidissimos animos circumferre; illorum munditias omnes in veste & cute esse; verùm animas grauiter olere, vtpote illotas, neque cælesti fonte tinctas; veniam igitur sibi darent, si, quorum odore offenderetur, eos à sua mensa paulò longiùs submovisset. Ea oratio cum hoc facto coniuncta adeò superbos illos animos domuit, vt passim deinde nobilitas Christo nomen daret; Diuinæ legis interpretes ab Arnone Salisburgensi Episcopo, quemadmodum à Virgilio antehac, submissi, in tanta omnium conspiratione voluntatum, Ingone non modò pijs studijs favente, sed allaborante insuper, ingens operæ preciũ fecerunt.


A. DCCXCII. Adelmus Annal. Fuld. Reginō. HÆRESIS FELICIANA RATISB. CONDEMNATA. Iidem & Sigebertus.

Septingentesimo nonagesimo secundo anno Felicis Orgelitani in montibus Pyrenæis Episcopi insana opinio, qua Christum hominem, iure adoptionis tantùm, Dei filium garriebat, Reginoburgi, omnium, qui aderant, Episcoporum sententijs damnata est: auctor ipse agnitum errorem palàm recantauit. Carolum eodem loco commorantem, & in eam vsque diem inter tot hostes & bella inuictum penè domesticum scelus oppressit, cuius se ducem (infandum dictu) Pipinus præbuit Caroli ex Himmeltrude, quæ olim illi cordi fuerat, filius. Hunc animo iuxta & corpore prauum (nam ingenij vitium gibbero tergo prodebatur) Francorum proceres nonnulli odio patris inflammauerant, quo ipsi iam diu flagrabant. Videbatur his Carolus, ex quo Fastradam post Hildegardem duxerat, à se ipso degenerare; impotens enim animi fœmina, cùm apud maritum omnia posset, mitissimū principem efferasse credita est, promebantúrque quædam in speciem, non ex pristina Caroli lenitate, tristioris imperij argumenta, quorum si nihil aliud, saltem

CONIVRATIO IN CAROLI M. CAPVT.

exem-

exemplum putabant ad se pertinere cõiurati: & admiserant fortasse punienda, qui etiã de parricidio deliberarunt. In eius ergo consilij consortium Spurium illum pertraxere, spe imperij obiecta, ad quod illi, nisi per sanguinem patris, via non poterat patere. Trepidantem initio considerare etiam atque etiam iubebant, fratrum turbæ ingratam & ignobilem vmbram ipsum adhærescere; fatorum invidiâ in sola ludibria natum, vix parentes sine rubore nominare posse; fortunam qualemcunque de cætero optet, ipsimet fabricandam; & quidem eò conditionis suæ iniquitate esse adductũ, vt faciliùs per insigne & luculentum facinus etiam cum scelere coniunctum, quàm virtute quantauis possit inclarescere: nunc cùm ad idipsum hortatores habeat principes viros, qui Francicæ gentis interesse existiment, patrem non viuere; gloriosum ei fore, si reip. curam suscipiat; huius salutem ipsi, quàm patris debere esse potiorem; nam neque hunc quidem ab eo patris loco habendum, qui patriæ pater esse desierit; adeoque iam non in patrem, sed in crude-



lem dominum, & impotentem tyrannum pia arma capturum. Has tam ſceleſtas voces Spurius ille non ad aures modò, ſed in animum etiam admiſit; perpetratúmque parricidium fuiſſet, niſi Deus furentibus manum inieciſſet. Fortè in D. Petri Ædem conuenerant, ſceleratũ in loco ſacro ſacramentum dicturi: eorum verba Fardulphus Langobardus gente, ſacris initiatus, clam aucupatus eſt; ſed deprehenſus, intentatę mortis metu, fidem ſilentij iuramento dedit, operam etiam pollicitus: ſed poſtea ſecum reputans, nulla ſe religione, vt tantum ſcelus tegat, poſſe conſtringi, illa ipſa nocte ad palatium properat; exceptus à cuſtodibus, ore confuſo, magnæ perturbationis notis emicantibus, cùm afferre ſe, quæ ad ſalutem Regis pertinerent, diceret, ad eum eſt introductus. Ibi quæ audiſſet vidiſſétque, ordine omnia expoſuit, haud dubiè ſeruati eo indicio regis gloriam adeptus. Coniurati comprehenſi mitiores multò, quàm merebantur, pęnas dedere, vt ipſa ſupplicij lenitate conuincerentur, falsò regi crudelitatem obieciſſe: Pipinus filius in Monachum

DETEGITVR. (margin)

nachum attonſus, S. Galli Monaſterio incluſus eſt, nihil imminuta erga eum patris charitate, cuius illuſtre documentum paulò pòſt datum eſt. Nam cùm ſimilis priori furor iterum quorundam Franciæ Procerum manus in Caroli necem armaſſet, improbóſq; conatus propitia fortuna detexiſſet, hærebat Carolus, quo pacto animaduerteret in deprehenſos; abhorrebat à triſtibus remedijs, & piè oderat vitam aliorum mortibus defendendam; miſeros reges ratus, quorum incolumitas à ferro pendet, quibus vel perdere, vel perire neceſſe eſt, alieno tantùm ſuóque metu tutis. Cùm ergo ſtatuere certi nihil poſſet, mirabili iudicio vſus, arbitrum hunc ipſum Pipinum legit, iudicémque cauſæ eſſe voluit, qua paulò antè fuerat damnatus. Legati ad Monaſterium miſſi, Pipinum intentum operi ruſticano in horto offenderunt, quem fortè, ſteriles herbas eligens, repurgabat: cùm id, cuius cauſa miſſi fuerant, aperuiſſent, id ſolùm ab homine exprimi potuit, Parentem rebus ſuis optimè conſulturum, ſi exemplum ſuum imitaretur; neque interim manus, aut

Sangallens. l. 2. de reb. Car. M.

PIPINVS CAR. F MONACHVS PATRI SAPIENS CONSILIVM DICTAT.

oculos à ſarritione auocabat; donec nuncij interrogando expectandóque liquidius reſponſum feſſi, velut imperfectâ re, ad Carolum rediere, multum ſuper Pipino conqueſti; ſeu irâ, ſeu odio, ſeu ſuperbiâ inſitâ ingenio vix vocem emiſiſſe; Carolum duntaxat ad raſtrum & ſarculum inuitaſſe, quaſi cum filice & lolio luctari, id demum eſſet regium; Carolus, quâ erat ingenij perſpicaciâ, facilè intellexit, quid per illas verborũ ambages filius vellet, conſiliúmque ſecutus ſuæ publicæque ſecuritati conſuluit, ſeditioſis illis de medio ſublatis, quibus ſine dubio infelicior nulla herba naſcitur, nec flamma ferróque dignior. Pipino prudentis oraculi merces perſoluta, de S. Galli ad Prumienſe monaſteriũ tranſlato. Carolus privato periculo duplici in BOICA defunctus tanto ardentius in pietatis ſtudia incubuit, precibus quidem ita addictus, vt vnicum eius negotium videretur oratio. Nullæ illum regiæ curæ ab intuitu diuini Numinis rebus humanis interuenientis & omnia arbitrantis abducere vnquã potuere, vt D. Martino, cuius id proprium fuiſſe legitur,

CAROLI M. INSIGNIS PIETAS.
Idem Sangal-lens. l. 2.

gitur,

gitur, comparare eum nihil dubitet vetus autor. Certos sibi dies sumebat, quibus genium ipse suum defraudans malignè famem extingueret; cùm publicè more Christiano supplicaretur, ex palatio suo ad D. vsque Emmerammi excalceatus Crucem sequebatur, nihil imminui de maiestate sua ratus, quam Deo substrauisset. Templa etiam Reginoburgi & Francofurti molitum comperio, ex ruderibus veterum tumulorum; aurum etiam inde frequenter eruisse, certante cum ipso Dei liberalitate, quod tamen in profanos auertere vsus nefas esse duxit, Deo Opt. Max. sacrum. Neque Reipub. curam interim deposuit, Hunnis præcipuè imminens, quos minimè omnium hostium quieturos ominabatur; in eámque rem pontem naualem, qui compingi diffuíq;, cùm vsus ferret, & fluminibus inijci, subitariâ operâ, posset, artificibus fabricandum dictauit; sequenti verò anno, qui nonagesimus tertius fuit, opus multo illustrius, & nisi successu caruisset, decantatis orbis miraculis non modo magnitudine sua, sed præsenti etiam vtilitate anteferendum, verè

Regino. Ann. Fuld.

PONS NAVALIS CAR. M. OPVS.

Iidem & Adelmus.

MOLITIO CAROLI M. IN RHENO ET DANVBIO FLVMINIBVS MISCENDIS.

verè regio animo complexus eſt. Rhenus Danubiúſque fluviorum Germaniæ reges, prouinciíſque, quas perlabuntur, prope maris vicem ſunt; alter Oceano miſcetur, alter in pontum Euxinum, latiſſimis vterque oſtijs, infunditur; ea flumina committi inter ſe, maximo bono publico, viamque nauibus per omnem penè Europam vltrò citroque ſterni poſſe, cordatorum hominum ſententia fuit: nam cùm Rhenus Mœnum recipiat, Mœnum Radantia augeat, in Danubium verò Almonius ſe exoneret, inter quem & Radantiam cùm interuallum non maximum ſit, duci inter eos alveus nauigabilis poſſe credebatur. In id opus, probante iubentéq; Carolo, multa hominum millia incubuerunt; ipſe Reginoburgo ſubvectus hortator adfuit, haud facilè alia ex re celebratius apud poſteros imperium ſuum fore exiſtimans; ſed ingentes conatus fortuna deſtituit; cùm iam foſſa trecentos pedes lata, bis mille paſſus longa, labore improbo ducta eſſet, animaduerſum eſt, cum natura rerum inuitâ ſuſceptum eſſe certamen; diurnas operas noctium damna

mna frustrabantur; tantundem palustris soli sponte sua relabentis subsidebat, quanrum diebus egestum fuerat: Autumnus insuper, quo opus fiebat, perpetuis imbribus fœdus molitioni invidebat: prodigia etiam visa, tristésque auditæ voces regem à cœpto absistere coëgere; creditúmque Deo cordi non esse, absolutum naturæ opus manu mortalium corrigi, damnatâ sæpius hac supervacuâ diligentiâ, quando & Isthmum Corinthiacum olim perfodere aggressis iniectam diuinitus manum fama est, oraculo edito, ne Isthmum foderent, neve aggerarent, Deum enim, nisi aliter visum, olim ipsummet facturum fuisse insulam. Carolum, dum operi irrito incumbit, Hadriani Pont. legati cum magnis muneribus adiere; verùm è Saxonia Galliáque tristes nuncij alij super alios allati, Saxones ad ingenium redijsse, fœderáque toties rupta toties integrata novo scelere violasse; à Saracenis etiam in Galliam Narbonensem ingressis omnia cladibus fœdata, præsidia occidione cæsa, prædam ingentem abactam: harum rerum cura Carolum è BOICA in Franciam

Regino. Mon. Egolism. Caroli vitæ scriptor.

ciam Orientalem retraxit. Saxonibus perfidia magno ſtetit, plurium deinceps annorum cladibus caſtigata; bis miſeri, qui nec pacem, nec bellū pati poterant, Carolo anniuerſarias victorias velut tributum pendebant.

III.

A. DCCXCVI. HVNNI CLADE AFFECTI. *Adelm. Regino. Ann. Fuld.* RINGI HVNNICI DESCRIPTIO.

Septingenteſimo nonageſimo ſexto bis contra Hunnos feliciter pugnatum eſt. Ericus Foroiulienſium dux Vonomiri Slavi ductu ipſam Hunnorum regiam occupauit; Ringum illi ſua lingua appellitabant, ſtupendæ munitionis genus; quod in muri vicem depactæ quercus aliæque arbores ætatem laturæ, perpetuo ordine, eóque duplici, viginti pedum altitudine omnes circumibant; eandem latitudinem ab interiore ambitu ad extimum colligeres; ſpatium interceptum ſaxo cretáque expletum, validiſſimi aggeris & ſpeciem præbebat & vſum: tum ceſpes vivus ſuperiniectus tam altè quidem, vt alere arbuſculas poſſet, quæ per interualla diſpoſitæ, gratiam loco conciliabant & vmbram. Intra hoc barbaricæ ſolertiæ ſepimentum vici villæque ſpargebantur, non connexis aut cohærentibus ædificijs, ſed ita diſcre-

discretis, vt humanæ vocis cõmercium intercedere inter proximos posset. id siue aduersus ignium casus prouisum remedium est, siue venustius visum, solem diémque ab omni parte admittere inoffensum: multa passuum millia, recto itinere hæc claustra transmittentibus, emetienda fuere; is qui coram ea spectavit Adelbertus vasto illo terrarum tractu, qui inter Constantiam & Turicum castrum interiacet, longitudinem descripsit. quod si Turicum, vti existimo, Tigurum hodie est, incredibilis Ringi vnius amplitudo colligitur: nouem enim omnino erant, procul illi quidem inter se sparsi; sed speculæ opportunè dispositæ, si qua res maior subitò incidisset, eius indicium, certo tubarum clangore, penè momento, per omnes Ringos circumferebant. Ex his ergo nobilissimum & ipsorum gentis principum regiâ inclitum Ericus vi cepit, opésque longa ætate cumulatas, prædarúmque è toto orbe eò conuectarum amplissimas reliquias inde egessit, & ad Carolum Aquis subsistentem transmisit; at ille gloria fortunáque sua contentus,

Sangallens. l. 2.

tus, partem Romam principibus Apostolorum donum destinauit, reliquum in amicos & milites est partitus, pulcherrimum diuitiarum fructum munificentiam existimans & pietatem. Lætum etiam illud accidit, quòd Tudunus ex primis Hunnicæ gentis proceribus, victorias perpetuámque Caroli felicitatem admiratus, illius etiam fidem religionémque adamare cœpit, & cum magna popularium manu ad eundem profectus, pia cum illo fœdera iunxit; atque vt fidem quàm sanctissimè daret, Christianam ipse fidem accepit; sed in patriam regressus, ciuili furore victus ad pristinos mores redijt. Hunni cùm à Francis ingentia damna pertulissent, & seditione insuper domestica duos principes amisissent, nouo rege creato, nihil eorum, quæ humanis prouideri consilijs poterant, ad tutandas erigendásque res suas, omisere, hostem non excepturi tantùm redeuntem, sed, si cunctaretur, prouocaturi. Carolus ea fama permotus Pipinum filiũ Italiæ regem, cum Italicis Boicísque copijs in Pannoniam proficisci iubet, qui plura fortitudinis prudentiæque

Adelmus. Regino.

TVDVNVS AVARVM PRINCEPS CHRIST. SACRA SVSCIPIT.

PIPINI CAR. F. RES APVD HVNNOS PROSPERE GESTÆ.

Ijdem auct.

tiæque militaris illic documenta edidit; iam tum in patris laudes accrescens, eásque, si prouixisset, exæquaturus. Regionem latè populatus, nec hostem vsquam consistere passus, eum vltra Tibiscum amnem submouit. Ringum etiam, incertum an alium ab illo, quem Ericus diripuerat, vi cepit, munimenta disiecit; & ingenti præda potitus, triumphans ad patrem redijt.

A. DCCXCVIII SALISBVRG. ECCLESIA FIT ARCHIEPISCOPALIS. *Metropol. Saluburg. VV. Hundij.*

Nonagesimus octavus annus Salisburgensi Ecclesiæ faustus inprimis & felix fuit, Archiepiscopij in eam dignitate, quæ penes Laureacenses antistites iam inde à prima Christiani nominis in Norico memoria fuerat, & Batauensibus postmodum, Laureaco ab Hunnis vastato, cesserat, auctoritate Leonis Papæ translata. Primus ea insignitus est Arno, BOICÆ Episcopis non modò volentibus, sed vltro postulantibus; nisi quòd mortuóne Valderico Batauensi, an superstite id factum fuerit, liquidò sciri non potest; diem suum iam obijsse ex eo videtur intelligi, quòd Agapitus Pont. qui diu post hæc tempora vixit, id factũ, VACANTE AB APOSTOLICO VICA-

Agap. in epist. ad Gebhard. Laureacen: Episc.

RIO REGNO BAIOARIORVM, disertè scripsit; neque simile vero est, Valdericum, si superfuisset, non vltima tentaturum fuisse, ne tantum decus ab Ecclesia sua avelleretur. Arno, vt nouæ dignitatis quàm celeberrima faceret initia, transmitterétq; æmulanda posteris, maximorum ante se præsulum Ruperti & Virgilij vestigia ingressus, Slavos Carantanos, Christianæ fidei præconium facturus adijt, & labefactatam apud illos, iniuriâ temporum, pietatem docendo hortandóque restituit; alibi nondum agnitæ spretǽque pretium statuit, eámq; pro dignitate sua amabilem fecit; sacerdotes instituit continuandis bene cœptis, templa in vsum sacrorum dedicavit, aliísque adminiculis omnibus religionis studia suffulsit; quæ vt æterna essent, Carolum monuit, è repub. videri, si suus Slauis Episcopus daretur; se Salisburgensis Ecclesiæ curis districtum adventitio huic & secundario oneri parem non esse; simúlque Theodericum spectatæ virtutis virum eóque loco dignum nominat, quem probante Carolo inauguratum, vnà cum Geroldo BOICÆ totius

ARNO ARCHIEP. SLAVOS CARANTANOS PIETATEM DOCET.

To. 6. antiq. lect. Canis.

totius præside, ad Slauos deduxit, provinciámque more maiorum regendam tradidit. Reginoburgi, eodem anno, sedes Episcopalis, quæ ad D. Emmerammi hucusque steterat, ab Adalvvino Episcopo in vrbem ad D. Stephani translata est. ostenduntur literæ, quibus rex & Pontifex factum probant, & Monasterij ab Episcoporum deinceps iure liberi tutelam profitentur. Quæ cùm ita sint, errore lapsum Arnolfum Comitē Vochburgensem dicere necesse est, accuratissimum cætera scriptorem, qui sedis trāslationem ad annos Simperti Episcopi, qui Adalvvinum antecessit, retulit.

SEDES EPISCOP REGINOB. IN VRBEM TRANSLATA.

Apud Hund. in metrop. To.2, ant. lect. Canis.

Seculi octavi annus vltimus, in magno rerum motu, plus tumultus, quàm præliorum habuit. Hunni in armis erant, distrahendísque Caroli copijs, quaquaversum belli famam metúmq; spargebant: sed vbique in paratos incidére. Ericus in Tharsaticam Liburniæ ciuitatem reiectos obsedit, iam ex crebris victorijs vsq; ad contemptum hostis provectus & fortunæ suæ fiduciâ incautior; quod ipsum illi exitio fuit. hostes securitate illius abusi, fortissimum virum in-

A. DCCXCIX

Regin. Sigeb. Eginhard. Adelm. Ado. Annal. Fuld.

insidias præcipitarunt; ita mors illi non pro vetere gloria obtigit, per iniquitatem loci etiam virtutis ostendendæ occasione amissâ. Duplicauit iacturam dolorémque etiam Geroldi BOICÆ præsidis mors, qui dum maximè aciem suorum instruit aptáque acuit oratione, missili temerè effuso, incertum cuius manu, occisus est. fatum iudicio mortalium miserabile talíque indignum viro Wetinus monachus Augiensis, rara sanctitate, cælestibúsque visis erudiri solitus martyrio coæquauit, testatus eum vitam animámque fidei propagandæ impendisse, locúmque inter Diuos suo sanguine purpuratos accepisse. corpus illius in Augiensi monasterio tumulum cum hoc carmine epitaphio accepit.

GEROLDI BOICÆ PRÆFECTI MORS.

Regino. Sigeb. Heito Episc. Basil. c. 27.

Antiq. lect. t. 6.

Mole sub hac magni seruantur membra Geroldi,
Huius iura loci cunctis qui viribus auxit,
Pannonijs vera Ecclesia pro pace peremptus,
Oppetijt, sæuo, Septembribus, ense, Kalendis,
Sideribúsq; animam dedit: artus Saxo fidelis
Abstulit, huc retulit, dignóq; hic clausit honore.

Hunni, Erico & Geroldo, duobus belli fulminibus extinctis, debellatum putabant: vtrumque exercitum duces

suos,

suos, id est spiritum & animam amisisse; his velut capitibus præcisis quid præter truncum corpus deijciendum restare? nihil igitur mediocre animo versabant, fortunæ fide nixi, cuius pignus duo nobilissima capita sibi videbantur accepisse: sed nimiopere sua illos spes fefellit. Ducum mors tantum abest, vt Francis Boiísque animos dempserit, vt auxerit etiam curámque iniecerit illustre documentum barbaris dandi, ad illos profligandos sibi ducem nunquam defore, veterem virtutem suam sequentibus: & sanè tanta deinde rerum facta conuersio est, & tot cladibus duorum hominum mors pensata, vt totius penè internecione gentis illis fuerit parentatum. Nobilitas quidem Hunnorum eo anno funditus extincta est; Cacani regia tantis odijs excisa, vix vt vestigium relictum sit; reliqua regio propè in solitudinem redacta, cùm nulli neque ætati neq; sexui Francicum ferrum parceret. itáque vulgo creditum est, Hunnos tandem, fatigati mille maleficijs orbis terrarum, vltoribus Francis, pœnas dedisse, qui, præter eius facti gloriam, spolijs amplissimis

Eginhardus in Vita Caroli M.

Hvnni Domiti.

CAROL. LEONIS PONT. TVTELAM SVSCIPIT.

ſimis relatis, eo demum anno pauperes eſſe diſierunt. Caroli verò ea tempeſtate fama ingens fuit, vt Leo etiam pontifex, cùm, inaudito ſcelere profligatiſſimorum parricidarum, lingua & oculis orbatus eſſet, vtrorúmque vſu diuinitus recuperato, ad illius potiſſimùm patrocinium ſibi confugiendum putarit; quem cùm Carolus exquiſito cinctum comitatu ſedi ſuæ reſtituiſſet, inter cæteros etiam Arno Salisburgenſis Archiepiſcopus Romam miſſus eſt, vt cauſæ cognitioni præſens adeſſet, & in ſacrilegos illos, qui communem orbis terrarũ patrem violare auſi fuerant, ſententiam ferret. Claudant ſeculum hoc Mettenſis monaſterij trans Danubium in BOICA ſiti primordia, etiam ipſa Caroli pietati debita. Vto prima loci fundamenta iecit; cuius res geſtæ cùm religioſiſſimi viri Gamelberti, quo magiſtro vſus eſt, rebus innexæ ſint, ab illo ordienda narratio eſt. BOICÆ oppido, quod Michelsbuch vulgo dicitur, natus eſt Gamelbertus, parentibus nobilibus, quorum voto militiæ deſtinabatur iam puer, quòd ad gloriã graſſantibus trita hæc illo æuo, & fe-

Baron. in Annal.

Andr. Presbyt. Ratubon: Exſcripſit ex ms. D. Emmerãmi Volf. Selenderus.

MONASTERII METTENSIS INITIA.

GAMELBERTI ET VTONIS RES GESTÆ.

& ferè sola via; sed quòd Gamelbertum ingenium mite atq; à turbis Martijs abhorrens ad mansuetiores artes trahebat, tenellus adeò ne inter crepundia quidem gladiolos amabat, quæque alia heroum filijs obijciuntur, indoli exasperandæ ad pruritum pugnarum. Quam imbelliam detestatus pater, vt degenerem & brutum rus amandatum pastoritiam agere iussit, quando nobilitatem suam neque agnosceret, neque more maiorum egregijs factis reddere vellet illustriorem; Suscepit ergo imperium in oues nobilissimus adolescens, à patriæ vrbísque desiderio tam remotus, quàm à vitijs fuerat; formabatúrque tacitè à Deo ad illustriorem Christiani gregis præfecturam. E somno quondam euigilans, librum haud dubiè cælestis genij manibus impositum pectori reperit; eo se ad literarum cultum capessendum invitari ratus, magistro erudiendum se permisit, insigni profectu, vt tamen maiores in virtutum studio faceret progressiones, pro quibus nobiles pugnas edidit reportavítque triumphos multo clariores ijs, quos illi ex profana

militia pater promiserat: prostituti pudoris fœminæ ad flagitium solicitanti ne victas manus daret, citatis se pedibus eripuit, quorum in hoc conflictu maximus vsus, ex quo fugientes coronantur. Postea cùm florem corporis integrum animúmque virginem Deo dicasset, sacris initiatus, verissimus patriæ suæ, quæ illi hæreditatem cum fratribus cernenti, sorte obtigerat, pater fuit, nullo beneficentiæ genere in quemquam mortalium prætermisso. Iam grandi natu Apostolorum limina Romæ salutauit: ex quo itinere redeunti in Italię exitu puerulus recens in lucem editus à parentibus offertur sacro fonte tingendus, quem ille Vtonem appellatum divinitus monitus successorem hæredémque sibi dari intellexit, neque difficulter à parentibus impetravit, vt è pueritia egressum emancipatúmque sibi velut in adoptionem darent. Ipse interim domum regressus tuguriolo se affixit, quaternis crucib' ad totidem cæli plagas depactis, vltra quos limites, lege sibi dicta, pedem nunquam protolleret. Semel tamen egressus dicitur, vt capitales inimicitias, quæ iam in

duel-

duellum eruperant, interventu suo sopiret. Mira sunt, quæ dixit quæque fecit religiosissimus senex, donec anno vitæ postremo, Vto, quemadmodum convenisse dixi, ad illum delatus, vltimum morientis spiritum hausit ipsius ex asse hæres & in virtutum etiam studio & procuratione sacrorum successor; qui, cùm etiamnum reliquas impiæ superstitionis fibras persequeretur, neque fructus operæ responderet, pertæsus inutilem laborem, Danubio traiecto, vastum nemus ingressus humili se casa abdidit nulli mortalium agnitus, donec Carolus Magnus feras eo loci sectatus in virum incidit, nescio quid operis molientem; cuius securim solaribus suspensam radijs (ita fertur) cùm attonitus spectasset, facilè animadvertit vili amiculo minimè vulgarem virtutem abscondi, quam sol tam raro obsequio prodidisset. Auxit opinionem hominis oratio cælũ & Deum spirans, qua delectatus Carolus Vtoni auctor fuit, vt cœtum sociorum colligeret, ædes conderet, in quas sumptum ipse est pollicitus. Atque ab his initijs Mettense monasterium crevit;

CAROLI M. CVM VTONE CONGRESSVS.

 quod,

quod, qui in alia tempora reijciunt, certissima illa nota facilè refutantur, quòd Carolo nondum Imperatore hæc contigisse veteres chartæ memorant.

IV. A. DCCC. CAROLI ACTA ROMÆ. *Regino. Ann. Fuld. Adelmus* &c.

Seculari anno octingentesimo Carolus Romam profectus nefarios homines Pontificiæ maiestatis, per summam iniuriam, læsæ convictos exilio affecit: obstiterat enim Pontificis admiranda lenitas, ne quid gravius in vltima exempla meritos decerneret. ipse deinde, die Nascenti Deo sacra, summos honores, quibus illius virtus augeri potuit, de Romani Pontificis manu accepit, festa solenníque cerimonia Imperator Augustus appellatus, vniuerso populo, inter

CAROLVS IMPERATOR SALVTATVS.

faustas gratulationes, acclamante, *Carolo Augusto à Deo Coronato, Magno & Pacifico Imperatori Romanorum Vita & Victoria.* Ita Imperatorium nomen, quod in Augustulo extinctum trecentis viginti quinque annis ab Occidente exulârat, Germanicæ genti assertum est, æternum vtique futurum, si ex octingentorum amplius annorum successione perpetua coniecturam capere licet.

Ca-

Carolus cum Imperatoris nomine imperij etiam curam suscepit, Iuris prisci tabulas nouis capitibus auxit, prætores prouincijs, iuri dicundo, dedit: annóque seculi illius tertio in BOICAM redijt, vt quando nuperis bellis Hunnorum res attritæ, magnáque Pannoniæ pars cultore nudata fuerat; pulcherrimæ fertilissimæque prouinciæ caveretur, ne in solitudinem abiret: quo tempore in agrum vacuum colonias ductas vicinarum gentium, BOIORVM maximè, credere non abnuerim. Sequenti anno BOICA summum Christiani orbis parentem Leonem Pontif. coràm aspexit & hospitio accepit; nam salutato Carolo Romam repetiturus BOIOS ex itinere visendos sibi putavit. Batavensis Ecclesia quinto anno Pontificem Vrolphum accepit, non diu illo fruitura; quindecim duntaxat mensibus sedem tenuit, cùm maioris spe frugis ad Hunnos concessit, quos longis cladibus edomitos Christi iugum minùs superbè, quàm antehac, spreturos credidit: Danubium etiam transgressus Moravos excoluit, tandémque operæ inter barbaros positæ rationem

Sigebertus. A. DCCCIII. CAROL. PANNONIÆ VASTITATI CONSVLIT. *Regino. Adelmus.*

Ex libell. de Conuers. BOIORVM & Carant. apud Marq. Freher.

A. DCCCIV. LEO PONT. BOICAM ADIT. *Annal. Fuld. Regino. Herm. Cont.*

A. DCCCV. VROLPHVS. PASS. EPIS. HVNNOS ET MORAVOS DOCET. *Catal. Episc. Passau.*

nem pontifici Eugenio redditurus Romam abijt, à quo peramanter acceptus Laureacensium Archiepiscoporum iuribus gaudere iussus est pallióque donatus, & amplissimis verbis, vtriusque provinciæ, quas instituendas susceperat, Episcopis Ducibúsque commendatus, ad vrgenda feliciter cœpta remissus est. Hunnorum etiam ante Vrolphi adventum multi nostra sacra amplexi fuerant; Thudunum iam suprà nominavimus, & hoc ipso octingentesimo quinto anno Theodorus itidem Christianus princeps Hunnorum Carolum Aquis adijt, & sibi suæque genti assignari sedes, quas tutò, sine cuiusquam iniuria colerent, petijt; Slavis enim post nuperas clades prædæ se esse conquerebatur; porrò indignum videri, cùm Franci vel victoriæ, vel clementiæ certè suæ testes superesse aliquas Hunnorum reliquias passi sint, illas nunc Slavorum ludibrijs expositas; nam moriendum si fuerit, Francorum gladium præoptandum fuisse; gentium omnium victoribus neque vitam, neq; mortem se gravatè debituros: illud ipsa morte tristius futurum, si imbelli Slavorum

Adelm. Regin. Annal. Franc. Fuldens. alij.

THEODORVS HVNNORVM DVX CHRISTIANVS.

rum

rum dextra Hunnis sit cadendum. Carolus motus Christiani principis querelis, agrum illis Sabariam inter & Carnuntum contribuit; eóque paulò pòst rebus humanis exempto, successori illius Cacani nomen dignitatémque, nihil imminuto iure veteri, restituit. Eodem anno contra Slavos in BOIOHÆMO, Duce Carolo filio feliciter pugnatum est; opima etiam spolia relata sunt, Lechone BOIOHÆMI rege cęso, quod à plerísq; gentis illius scriptoribus omissum est. Sequenti mox anno bellum recruduit: Carolus filius lectissimas ex BOIIS, Alemannis & Burgundis copias in BOIOHÆMVM reduxit eadémque fortunâ pugnavit; finem populationibus lassata demum ira & satietas prædæ imposuerunt. Hoc in bello insignem operā ab heroe Durgovio, quem Ænotherum Auentinus nominat, præstitam comperio, qui mole corporis ingens viriúmque fiducia ferox vnus multorum instar fuit; quantumvis intumescentia flumina & rapida transire vado solitus, equum suum capistro trahebat, malum restitanti & refractario minitans, ni herum

CAROLVS CAR. F. BOIOHEMVM SVBIVGAT.
Regino. Ann. Fuld. Herm. Cont. Sigbert.

A. DCCCVI.
BOHEMI ITERVM VICTI.
Iidem Auct.

In Sangallensi locus corruptus est.

ÆNOTHERI DVRGOVII ROBVR.

rum suum anteambulonem sequeretur. In ácie fulminis more totos hostium manipulos proruebat, pluréſque per ludum & iocum ſemianimes haſta transfixos reijciebat in tergum, & commilitonibus novum & horribile aucupij genus triumphans ipſe oſtentabat. Atque huiuſmodi Heroës robore corporis potiùs, quàm mole prodigioſos Caroli M. ævum nobilitaſſe plures, multò ſane credibilius eſt, quàm aliquas Gigantum reliquias etiam tum ſuperfuiſſe, quorum Coloſſeæ ſtatuæ & verò etiam ſepulchra attonitis hodie paſſim monſtrantur; quo argumento vulgo fucus factus eſt perſuaſúmque, Heroica ſecula nuper demum expiraſſe, quando nemo in tam vaſtos artus excreſcit, quos non pedibus, ſed cubitis metiri neceſſe ſit; cùm terra nunc velut effœta malos homines atque puſillos educet. At enim cordati viri ita ſentiunt, quæ de Sancimone quodam & Celebrando Græcis Gigantibus, quorum opera Hildegardis Caroli M. Vxor in Campidonenſis Monaſterij fabrica vſa fuerit, poeticis ſimilia monſtris referuntur, oblectandis vel in ſtupo-

ſtuporem dandis pueris confiĉta eſſe: quemadmodum neq; ea, quæ de Thyrſo & Haymone eius Vallis, quàm Oenus interlabitur, ſub hęc ipſa tempora, incolis, in Originibus Wilthinenſis Cœnobij, quod Haymonem Gigantem auĉtorem prodit, leguntur, niſi apud opidò credulos inueniunt fidem. Tam luculentas cum Draconibus pugnas, aliáque faĉta ingentia, quibus Herculem ęquâſſe feruntur, nulli veterum celebrare in mentem veniſſe, permirum ſit. Damus tamen hanc maioribus noſtris hæc portenta obtrudentibus veniam, tantò libentius, quantò ſimpliciùs peccant, qui fabulas, quàm qui ſcelera amant. Eodem anno Carolus mortalitatis memor, præcidendorúmq; certaminum ſtudio, quæ inter filios naſci, ſe mortuo, poſſent, ex ipſorum ſententiâ latiſſimi regni provincias partitus eſt, teſtamentúmque ſanĉtiſſimè conceptum Leonis pontificis manu firmandum Romam miſit. Exemplar illius à Pithæo editum eſt nonnihil tamen de illius fide dubitante. Quod BOIARIAM propriè ſpeĉtat, ea, vti Danubij divortio ſeĉta eſt, duos do-
minos

PIPINVS ET CAROLVS CAROLI M. FF. BOIARIÆ REGES DESTINANTVR.

minos accepit: quæ Italiæ cis flumen adiacent, Pipino cessere: Transdanubianam provinciam omnem, quæ Northgoia, id est Aquilonaris regio dicta, à recentioribus perversè Norici nomen accepit, Carolo in reliqua parte hæreditatis transcripsit. Atque in his tabulis prima fit villæ Ingoldestat mentio, quæ hodie Ingolstadium est, commune & nobilissimum Martis & Musarum domicilium. at enim bene meditatis Caroli consilijs, quæ perpetua humanarum rerum inconstantia est, mors manum iniecit: filiorum neuter, quibus BOIARIA obvenerat, hæreditatem crevit; vtrumque in ætatis fortunæque flore mœstus pater extulit, vnáque cum ipsis ingentes spes, quas gloriosissimis facinoribus excitaverant, sepelivit.

A.DCCCVII CONCILIVM SALISBVRGENSE.

Salisburgi anno octingentesimo septimo provinciale Concilium sacri Ordinis Arno Archiepiscopus collegit: de ratione decumarum potissimùm disputatum est, decretúmque factum de illis quadrifariam, more institutóque maiorum, dividendis. Iuvat, quoniam acta interciderunt, eorum summam ex

vetu-

vetusto codice Frisingensis Ecclesiæ, bona fide, describere; sic habet.

Cùm se congregasset Synodus E- “
piscoporum, Abbatum, cæterorúmque “
Clericorũ BOIARIÆ provinciæ ad me- “
tropolim Salzburgensem, & ibidem “
non pauca vtilitatis suæ pertractassent; “
moverunt ijdem Episcopi, Arno Archi- “
episcopus, Atto, Adalvvinus, Emricus, “
Hatto quæstiones de decima fidelium “
populorum, quæ affertur ad ecclesias: “
lectis inde capitulis ex Canonum autho- “
ritate, quid inde agi debuisset; invene- “
runt, quatuor portiones fieri; vnam Epi- “
scopo, alteram Clericis, tertiam paupe- “
ribus, quartam Fabricis Ecclesiæ. Tum “
consenserunt ibi cuncti Abbates, qui “
præsentes aderant huic decreto, secun- “
dum Canones, & reddiderunt portiones “
Episcoporum Episcopis, quæ illos con- “
tigisset: id est Meginhart, Vrolf, Iohan- “
nes, Wolfdrego, Wolfkanhart, Kerrich, “
Hepfilo & cæteri, vnusquisq; suo Epi- “
scopo, ea ratione, vt vlterius exinde nul- “
la inter illos discordia deinceps semper “
maneret. Act. XVII. Kal. Feb. An. VII, “
imperãte Karulo glorioso Augusto, post “
consulatum eius.

Episcoporum, quorum nomina exscripsi, iam alibi sedes nominavi, præterquam Emrici, qui post Alimum Sabionensi Ecclesiæ præfuit, & Hattonis, qui Vrolpho Batavensi ad Hunnos profecto successit. Meretur & Leidradus Lugdunensis Antistes suum in hoc Mitratorum procerum cœtu locum, qui BOIVS gente, hoc ipso tempore, claruit in Gallia, ab Agoberto vetere poëta specimen & decus Cleri appellatus: illius studio S. Cypriani Carthaginensis olim Episcopi pluriúmque Africanorum Martyrum ossa Lugdunum translata sunt. Atto, tertio, à concilio celebrato, anno, naturæ satisfecit, Frisingensi cathedrâ Hittoni relictâ. Idem annus Carolum Pipino filio Italiæ rege orbavit, quem cùm nondum eluxisset, sequenti mox anno etiam de Caroli morte tristes nuncij allati lacrumas renovarunt. tum demum felicissimus ad eam vsque diem rex de fortuna sua conquestus est, duobus adminiculis nòn modò senectutis suæ, sed etiam imperij, amissis, solo ex legitimis Ludovico superstite, post quem iam nihil posset amittere.

Theodulphus Aurelian. in paranet. ad Iudices de Leidrado scripsit, Noricus hunc genuit.

A. DCCCX.

PIPINI ET CAROLI MORS.

Igitur qui reliqua omnia maximo animo non modò tulit, sed vicit etiam, huic dolori, pio tamen, succubuit. Pipino natus Bernardus fuit, qui voluntate avi rex Italiæ creatus est; quo vno argumento, vt alia omnia desint, Theganus falsitatis convincitur, qui Bernardi natalibus maculam aspergit: quam enim veri speciem obtinet, tantam spurij dignationem fuisse, vt Italiæ coronam illi avus imponeret? cùm ipse præter Pipinum Gibbosum tres extra coniugij sanctitatem domi filios haberet, Drogonem, Hugonem, & Theodericum, qui tamen omnes in sortitione provinciarum præteriti in nullam partem fraternæ fortunæ admissi sunt. Scilicet Eginhardum certissimum auctorem, qui Caroli sobolem tanta libertate discrevit, ipsiúsque immortali famæ perpetuum stigma inussit, furtivis amoribus illius propalatis, in Pipino candoris sui pœnituit, ne sobolem illius, quam diligenter enumerat, hoc næuo notaret. & verò cùm id præcipuum in Carolo documentum pietatis interpretetur, quòd filio Pipino defuncto nepotem passus sit suc-

Eginhardus in vita.

Bernardvs Pipini F. Italiæ et Boicæ Rex.

cedere, quanto auctior firmiórque futura erat probatio, si ex vero adijcere potuisset, etiam in Spurium fuisse tam pium.

BERNARDVS PIPINI F. CAROLI N. BOICÆ CISDANVBIANÆ ET ITALIÆ REX.

Cum Italiæ regno etiam BOICÆ Cisdanubianæ possessionem à Bernardo aditam ex eo intelligitur, quòd hæc velut Italiæ appendix voluntate Caroli eundem dominum respiceret. Celebre alioqui per hæc tempora in BOIARIA Geroldi Comitis nomen fuit, cuius precibus victus Carolus, duodecimo Imperij sui anno, inferioris Altahæ Abbati Orulpho partem agri de Auaribus capti, literarum, quæ adhuc extant, fide transcripsit. Proximo anno conventum procerum Aquis habuit, hoc vltimum magnorum operum editurus, orbíque Romano Imperatorem daturus. Ludovicus hic erat, filiorum, qui iusta vxore editi essent, paulò antè minimus, nunc vnicus, quem pater in templum adductum,

A.DCCCXIII LVDOVICVS F. à CAROLO P. IN CONSORTIVM IMPERII ADSCISCITVR.

ctum, optimatibus præsentibus, sic est allocutus: Nisi mortalium votis altior ' vis intercederet, Ludovice fili, tres ho- ' die alloquerer, inter quos tu, qui nũc o- ' mnes spes meas sustentas solus, minimus ' assisteres: quanquam id non magis ex ' meo animo fieret, quàm tuo, cui neque ' amor meus tanti vnquam fuit, vt eo so- ' lus velles frui; adeo neque optimi boni, ' quod pater dare filijs potest, voluisti hæ- ' res ex asse dici. fraternis funeribus nemo ' veriùs illachrymavit, neque tristior tibi ' nuncius accidit, quàm cùm ad te perfer- ' retur, fratres duos tibi regna reliquisse: ' accusabas acerbam in te fortunæ muni- ' ficentiam coronas tibi coacervantis, ' fratrum capitibus detractas, quorum vi- ' tam non modò omnibus regnis, sed ipsâ ' animâ redemisses. Et dignus tu quidem ' eo pietatis tuæ fructu fuisti, cui neuter ' nostrûm ingemisceret; disces tamen ' hinc æstimare, quale bonum regna sint, ' ad quæ etiam qui innocens mollissimâ ' graditur viâ, per lachrymas eat, necesse ' est; sed sæpius per ferrum & sanguinem, ' vel alienum, vel etiam suum. neque tan- ' tùm difficiles aditus habent; plus est in '

 recess-

, recessu malorum; nihílque in omnibus
, fortunæ muneribus respondet fronti
, suæ; illa sola expolitur ad pompam o-
, stentationémque, vt fucum mortalibus
, faciat. Hoc dant regibus purpuræ, vt
, beati credantur, & cùm maximè sint,
, non licet illis palàm esse miseris: ita per-
, sonam felicium vel inviti agunt, quam
, diu Deus iusserit. Et fratrum quidem
, tuorum compendio acta fabula est; mea,
, vt vides, finem spectat; sed partes nostras
, tibi imponimus, sanè quàm in ingenti
, theatro; spectatorem habes orbem ter-
, rarum; tot iudices, quot homines; fa-
, mam, qualemcunque merebere, maxi-
, mam habiturus; tam modestus enim ne-
, mo est, qui de Principe suo sententiam
, non ferat; & vtinam æquos experiamur,
, neque severius sit populi, quàm con-
, scientiæ tribunal. Dominus tu quidem
, omnium vocabere, sed caue fallat te spe-
, ciosa appellatio; sub magno imperio
, maxima est servitus; cuiuscunque, etiam
, privati, commodis non inservieris, iam
, hic tibi audaci sententia imperium
, abrogabit, & ad tyrannos transcribet.
, quid? quòd odium incurrimus, cùm ma-
ximè

ximè amorem meremur, nihilo meliore quàm medici conditione, quibus etiam optima suadentib⁹ morosus æger irascitur; nam & cùm reipub. vulneribus remedia adhibentur, nulla tam faciunt dolorem, quàm quæ sunt salutaria. Et nobis quidem alicubi fortasse etiam novitas nostra, & Romanum imperium nostris manibus trans alpes latum, summáque orbis dignitas in sinum Germaniæ abdita invidiam facit. Nam olim quidem cùm à devictis gentibus titulos Imperatoribus suis Roma colligeret, eosdem etiam Germanicos salutavit; nuper Germano Imperatori applausit, ad novæ & insolitæ gratulationis patientiam condocefacta. At verò illi, qui nostram potentiam familiari etiam versiculo sugillant, & Francum amicum malunt, quàm vicinum, quo oculo iam nos aspiciant etiam Imperatorio sibi nomine æquatos? taceo populos bello à nobis victos, quos in officio solus metus cōtinet malus custos diuturnitatis. Multæ ergo latent sub purpura curæ, quam humeris tuis inijcimus, non nisi fulcro virtutum sustentandam, quas principi-

Græcis velut proverbio iactatum Φράγκον φίλον ἔχῃς, γήτονα οὐκ ἔχῃς. *Eginhard. in vita Caroli.*

bus necessarias etiam illi crediderunt, qui ijs destituti, pessimo tamen artificio, earum amorem simularunt, & boni, cùm non essent, haberi tamen studuerunt, peiores nequitiam palàm professis; Tibi, Fili, veris regiísque nitendum est, quarum exemplum si neque à me, neque à fratribus tuis petere potes, vndecunque sumito; non erit tibi apud nos invidiæ, si maiores tuos omnes virtute superaveris: illud memineris, pulcherrimum esse titulum imperantium, qui illis à pietate tribuitur; & ne Roma quidem Cæsares suos Felices appellavit, nisi prius eosd. Pios salutaret. Nos quidem pietate erga Deum & Romanæ sedis observantiâ imperium hoc nacti sumus; erras, si alijs id artibus te putas conservaturum. Iam neque hostem quidem aliud in te formidare, aliud amare civem velim, quàm virtutem: Miser es, si fortunam tuam tantùm suspiciunt, omnísque tibi vel ex opibus, vel ex viribus fama accrescit; quæ vtinam tanta te sequatur, vt mei fratrúmque, quibus succedis, etiam desiderium extinguat, ne vel mihi vel rerum mortalium conditioni irasci quis-

quam

quam iure possit, solum te ex Caroli li- '
beris orbi non Patrem, sed Dominum '
relictum. In hanc sententiam cùm Ca-
rolus perorasset, respondissétque mode-
stè Ludovicus daturum se operam, ne
patris spes, aut publica vota falleret; ius-
sus est coronam aræ incumbentem ipse
capiti suo imponere, in qua cùm se spe-
ctandum dedisset, à patre in consortium
imperij adscitus, inter concordes, fausta
acclamantium, plausus, Cæsar salutatus
est. Ita Carolus multò maxima oneris
parte in filium devolutâ, reliquum vitæ
inter sanctiores curas exegit, quarum il-
lud specimen nobile dignúmque cui
Carolus immoreretur; Quatuor Evan- STVDIA
geliorum divinum opus, Græcis & Syris PIETATIS
in partem iuvantibus, recensuit, & pri- CAR. M.
mævo nitori emaculatum restituit, eo-
démque ferè tempore lucubrationi &
vitæ finem imposuit. Decessit cæli viati-
co pastus, & inunctus, v. Kal. Febr. an- MORS CA-
no octingētesimo decimo quarto, cùm ROLI M.
regnasset annos quadraginta septem,
imperasset quatuordecim, Vir nimis
parcè suo ævo laudatus, etiam cùm Ma-
gnus diceretur; maximis virtutibus par

ingenium præconiúmque non reperit; res ab illo gestæ tantum abest vt narrando creuerint, vt earum potiùs fulgorem obscuri scriptores suffocârint. Germania ne hodie quidem illi operæ pretium retulerit, cuius ruditatem & prope infantiam primus ipse abstersit, literis introductis artéque Grammatica patrij sermonis inchoata: mensibus & ventis primus nomina dedit antehac nostris ignorata; veterum Heroum facta carminibus decantari, memoriæ fide, solita (quod maioribus nostris vnicum annalium genus) literis consignavit, tanto dignior, cui vicem posteritas rependeret. aut fateamur certè, vivam Caroli imaginem nulla literarum felicitate reddi posse; quemadmodum nec posterorum quisquam illius se pede modulóq; metiri ausus est. Mortem illius rerum natura præsensit tristibúsque ostentis quàm plurimis prædixit. Sol & Luna crebris laboribus hebetatóque lumine triennio integro antecepisse luctum crediti; Solis vultum præterea ingens macula fœdaverat vix septimo die eluta: Pons Moguntiæ, æternitati, vti ominabantur, mor-

Eginhard. in vita Caroli M.

mortales, à Carolo ſtructus, trium non amplius horarum ſpacio in cineres ſolutus eſt, fruſtra adverſus flammam omnibus Rheni aquis pugnantibus. Aquenſe palatium inſolitùm ſæpe tremuit; malum aureum de baſilicæ tecto, in qua poſtea conditus eſt, vi fulminis deiectum eſt; è coronæ margine, quæ templi partem ambiens Carolum eius autorem vncialibus notis inſcriptum ferebat, nomen principis penitus detritum, aliáque nihilo lætiora obſervata, quæ neque ipſe ad mortem ſuam pertinere dubitavit; cui vt ſecurior obviam iret, regiam gazam omnem liberaliſſima pietate ita partitus eſt, vt multo maxima illius pars Eccleſijs & pauperibus cederet. viginti & vnam Metropoles imperij ſui, inter quas Salisburgenſis octavo loco recenſetur, hæredes ſcripſit tabulis, quæ apud Eginhardum leguntur. Corpus eius purgatum repletúmque odoribus, in aureo ſolio, ſedentiş habitu, compoſitum eſt, adiecta omnia fortunæ illius inſignia, quædam etiam pietatis. veſtis intima cilicina vſitata viventi, edomando corpori: coronæ æternum

Vita Caroli M. apud Pithœū.

Sepvltvra Caroli.

Cru-

Crucis lignum insertum; manibus Evangeliorum liber auro exornatus additus, pera viatoria sed aurea in humeros reiecta, quæ illum in Romanis quondam itineribus comitabatur, peregrinantium insigne: sceptrum & scutum ex auro vtrumque, sacrum Leonis Pontif. munus, sepulchro appensa. Defletus est confusis orbis terrarum lacrymis; nam & barbari ingemuerunt, nullis questibus omissis, velut in propria clade; nec victi à victoribus, in publico luctu & velut certamine mœroris, discerni potuere; illis optimum Patrem, his mitissimum Dominum complorantibus. Reginoburgi pariter Adalvvino Episcopo decedenti Baturicus successit.

LVDOVICI PII INITIA. *Vita Lud. Pij à Pithæo edita & alij.*

Ludovicus patris morte comperta, è vestigio Aquas profectus Reipub. manum admovit, à disciplina domestica, quam nimia patris indulgentia labefactârat, initio facto; nam sorores profligatâ verecundiâ, inconcessis amoribus regiam infamaverant, non modò erubescendo exemplo, sed in publicam calamitatem erupturo, nî vindicaretur: nondum enim exciderat, quid turbarũ

Hil-

Hiltrudis olim dedisset, cùm Otilonis amore capta inscijs fratribus in BOIARIAM profugisset. Bernardo etiam Pipini fratris filio ex Italia accito regnum, quod patris voluntate acceperat, comiter confirmavit, BOIARIA tamen avulsâ, quæ, vt superiùs domesticorum annalium fide retulimus, Italiæ annexa fuerat; eam Lothario filiorum maximo regendam commisit; Pipinus Aquitaniam suscepit; Ludovicus patrem est secutus. Verùm ea reip. forma paulò pòst immutata est; mox enim anno octingentesimo decimo septimo, conventu Aquis acto, cum Lothario imperium cõmunicauit, BOICA Ludovico iuniori traditâ. ea sortitio tanquam parum æqua fratres inter se collisit, ingentiúmque, quæ subsecuta deinceps sunt, malorum origo fuit. Ludovicus vt cõsortem imperij tam repentè legeret, domestico periculo excitatum se credebat, quod illi penè exitiabile fuerat; ipso enim Cœnæ Dominicæ die, è templo in regiam regressus, subsidente porticu, quam cum frequenti comitatu prægravauerat, acerbè afflictus est. ea iam olim vitium

LOTHARIVS BOICÆ PRINCEPS DATVS DEINDE LVDOVICVS.

A. DCCCXVII

Adelmus.

LVDOVICI CASVS.

fecerat, tignis madore pluviarum infirmatis & fatiscentibus; id inobservatum antea subita illius diei ruina prodidit: & Imperatorem quidem clementiùs, quàm comites deposuit; abstulit tamen & ille luculenta, in convulso corpore, cladis vestigia, quibus admonitus suæ mortalitatis, casuúmque incerta animo reputans, noluit totam imperij molem suis tantùm humeris nixam fortunæ sub vnum ictum dare. Sanctiori deinde feliciorique consilio moribus Cleri prospexit; relatis in vnum librum optimis institutis, ad quorum normam sacrorum hominum vita exigeretur. Earum legum exemplum per omnes vrbes & religiosa domicilia totius imperij asservari voluit. Disciplinam etiam monasticam, gravissimis censoribus submissis, suo nitori restituit; sub Diui Benedicti signis militare omnes, in easdem iurare leges iussit, Pontificum vtiq; auspicia auctoritatémque secutus. Ingens vbique operæ pretium factum. Imperator ab his studijs Pij cognomentum invenit; subditi pulcherrima æmulatione idem meruerunt: Episcopi præsertim sacer-

cerdotésque inter se modestia certare, virtutibus nitidiores quàm vestibus procedere, bullas aureas, aut gemmata emblemata, calcaria denique & quidquid fastum oleret aut luxum, inter erubescenda ponere, suíque ordinis sanctitatem optimis exemplis defendere.

V. BERNARDI ITALIÆ R. DEFECTIO. *Adelm. Ann. Fuld. Herm.*

Sed tranquillitatem publicam subnata brevi bella convulserunt, & tristior ipsis bellis Bernardi regis Italiæ defectio: causæ non produntur; ereptæ BOIARIÆ dolorem in coniurationem erupisse, magis conijcere, quàm affirmare licet; traxit tamen in societatem turbidi consilij maximos quosque, non solum in Italia, viros, sed nonnullos etiam Franciæ proceres, quos vel iniqua odia armabant in mitissimum principem, aut familiaris egestas ad præmia bellorum, aut ipsa in bella furor rapiebant. Iam claustra Italiæ præsidijs munitionibúsq; firmaverat Bernardus, circumferebátq; per vrbes coniurationem, tantúmque, hominum mentes solicitando, effecerat, vt ad maximum bellum gerendum nihil præter meliorem causam deesset, qua fretus Ludovicus, ad primam defectio-

ctionis famam, contractis è Germania Galliáque copijs, maximis itineribus in Italiam contendit: sed egregij apparatus fama quantumvis properantem prævertit, quæ coniuratis non arma modò, sed etiam consilia eripuit; Bernardus ipse, quamquam tot præsidijs se obsepserat, nulli tamen ausus fidere, spes omnes in eius, quem lacessiverat, clementia reposuit: abiectis ergo non modò militiæ, sed fortunæ etiam regiæ insignibus, ad imperatoris, qui Cabillonem iam pervenerat, se pedes abijcit, professus insanîsse se, cùm illam ipsam dextram, ex qua regnum acceperat, in se armârit; dignum proinde, qui sola sceleris sui mole oppressus sine prelio vinceretur: patronum pessimæ caussæ, præter ipsummet victorem, neminem habere, cuius quàm invictum robur sit, tam facilem esse clementiam; ab illa se vitam exposcere; meliore fide imperatori animam, quàm regnum debiturum, &, si vsus ferat, redditurum. Exemplum regis reliqui coniurationis principes secuti se suáque Ludovico dediderunt; qui per hiemem in custodia habiti, post paschales ferias, pu-

blico Francorũ iudicio maiestatis conuicti, Episcopi quidem abdicatâ dignitate, in monasteria deportati sunt, reliqui capite damnati; cui sententiæ Imperator intercessit, & vitæ vsurâ permissâ, vsum oculorum pauculis ademit, etiam huic supplicio ingemiscens & vim ingenio suo fieri conquestus. Bernardus siue doloris vehementiâ, siue animi mœrore intra tertium diem contabuit: id Imperatori longè acerbissimum accidit, flevitque quasi à se occisum: nempe in mitigato ad speciem supplicio novum crudelitatis genus inventum, vt triduo integro inter tormenta ducto, vltimum periturus solatium amitteret, & tardiùs, quàm vellet, periret. neque has sibi querelas eripi passus est Pius Imperator, donec mortem Bernardi, quem omnes iure cæsum confitebantur, publicis piaculis luisset. Eodem anno Ægil gente BOIVS, quem olim Fuldensi monasterio, sub Sturmione Abbate, voto parentum, oblatum diximus, eiusdem monasterij Abbas, magna Imperatoris approbatione, electus est, vir non modò insigni prudentia, sed ea etiam morum sanctitate,

ÆGIL BOIVS ABBAS FVLDENSIS. *Ann. Franc.*

vt mortuo cælestes honores decreti sint. res ab illo gestas historici & poëtæ, pro illius genio ævi, non inscitè exornarunt. Proximo anno, qui seculi noni decimus nonus fuit, Ludovicus conventu Aquis celebrato, totius Imperij statum recognovit, quósque disciplinæ Ecclesiasticæ restituendæ causa, per subiectas sibi provincias disperserat, rationem successus coram reddere iussit. Forensibus etiam litibus finiendis decidendísque leges nonnullas novas tulit, iuríque veteri auctarium adiecit. Iuditham deinde Welfi, an Guelphi, siue Welfonis filiam emendatissimæ formæ Virginem coniugio dignatus est. Welfo auctori vitæ Ludovici nobilissimus Comes vocatus; Theganus eum ducem de nobilissima BOIORVM stirpe, matrem Iudithæ nobilissimi Saxonici generis scripsit; Velserus & Lazius Guelfos, qui ijdem Guelfingi dicti sunt, Agilolfingorum surculum coniecere, non longè abeunte ipsa vocis forma. Agilolfingorum verò stemma longè clarissimum & vnicum BOIORVM Ducum seminarium iam aliàs diximus. Anno octingentesimo vige-

Extant in Christ. Brovveri Siderib. Germ.

A. DCCCXIX *Vita Lud. Pij apud Pith. Annal. Franc.*

IVDITHA WELF. ALTORFF. COMITIS I. F. LVDOV. VXOR.

A. DCCCXX. *Annal. Fuld. Adelm. Vita Lud.*

vigeſimo cum Liudevico, ſeu Leutevito inferioris Pannoniæ duce res geſtæ variâ fortunâ. Tres contra illum exercitus educti ex Saxonibus, Francis, Alemannis, BOIIS atque Italis conſcripti. Primus per alpes Noricas, alter per Carantanos, tertius per BOIARIAM & Pannoniam ſuperiorem iter habuit; iunctis tandem in hoſtico caſtris, Liudevicum munitiſſimis locis ſe tenentem nequicquam ad pugnam elicere conati, ferro & flamma in obvia quæque ſævierunt, nemine iniuriam prohibere auſo. Ille tamen exercitus, qui per BOICAM ductus fuerat, in Dravi fluminis tranſitu, aëris aquarúmque intemperie afflictus, ex ventris profluvio cladem accepit. Proximo anno Arno Salisburgenſis Archiepiſcopus vivendi finem fecit, ingens non modò Eccleſiæ ſuæ, ſed BOICÆ vniverſæ ornamentum, de ſummis infimíſque optimè ſemper meritus & alter penè Caroli M. oculus. Inter æterna illius in vrbem Salisburgenſem beneficia etiam rivus albus eſt, illius impenſa & Chunonis Guttradij conſilio in vrbem deductus, quam duplici fluento inundat.

EXPEDITIO CONTRA LIVDEVICVM INF. PANNON. DVCEM.

A. DCCCXXI. ARNONIS MORS. *Vit. S. Ruperti t. 6. ant. lect. Canis.*

Successorem Ammilonium habuit S. Petri Abbatem, quem post sex menses vita functum Adalramus Archidiaconus excepit. Eodem anno mense Octobri, in Theodonis villa Lotharius Lud. Fil. cum Irmengarde Hugonis Com. filia, magnificentissimo apparatu, nuptias celebravit: eas Ludovicus pater memorabili clementiæ exemplo festiviores reddidit, dum omnes perduellionis reos, qui cum Bernardo nuper coniuraverant, data fide publica, laxatísque exilijs custodiísque, non modò libertati & publico reddidit, sed bonis possessionibúsque, quibus exciderant, donatos in integrum restituit. cuius beneficentiæ fructum etiam Bernardi sobolem tulisse consequens est; Pipinum Bernardi filium fuisse, Nithardi & Reginonis testimonio constat: Pipinum ipsum trium liberorum parentem Regino facit, Bernardi, Pipini, & Heriberti, sed quæ illorum fortuna fuerit, antiquitati summa tantùm rerum capita, morosissimâ verborum parsimoniâ libanti dicere curæ non fuit. Ex Nithardo id duntaxat discas, ijs bellis, quæ inter Ludovici liberos, infami-

Adelm. Ann Fuld. Herm.

LOTHARII NVPTIÆ.

LVDOVICI CLEMENTIA.

Nithard. hist. l. 2. f. 449. Regin. in Chron. a. 818. Genealog. B. Arnulphi fol. 220. ap. Pith.

bus odijs, exarſerunt, Pipinum, cùm Caroli priùs partes ſecutus eſſet, mutata cum fortuna fide, ad Lotharium tranſijſſe, neque quidquam amplius. filiorum illius res nihilo clariores. Heriberti factum vnicum Regino annotavit; Rudolphum Comitem filium Balduini ſuo ævo ab eo interfectum; neque multò pòſt, herilem mortem vlciſcente ſatellite, ipſum etiam ferro obtruncatum cecidiſſe. In tanto tamen vetuſtatis ſilentio copioſa eſt recentiorum facundia, apud quos pro indubitato ſcriptum reperias, Bernardo Italiæ rege exoculato, Pipinum filium in Nariſcos, ſiue BOICAM tranſdanubianam deportatum Lengenfeldenſem ditionem tenuiſſe anguſto Comitis titulo contentum, à quo deinceps perpetua ſerie inclitum ſtemma ad noſtros vſque principes deducunt; quos equidem vanitatis non arguo, ſecuritati nonnihil iraſcor, quòd maximam rem ſolâ auctoritatis ſuæ ſubſtructione fulſiſſe ſatis habuerint; cùm, ſi vnquam aliàs, tabulis & teſtibus agendum fuiſſet, quibus ſi deſtituti fuerunt, nimis ſanè fidenter candore poſte-

DE PIPINO LENGENFELDENSI RECENT. NARRATIO. *Henning. fac. 22. Auguſtin. Kölner in genealog. Marcus VVagner in chro. & reliqui à Chriſtoph. GeVVoldo in genealog. citati.*

ritatis & credulitate ad ſuas coniecturas
A.DCCCXXII. abutuntur. Anno vigeſimo ſecundo Batavenſem cathedram Reginharius inſcendit, cùm, Arnone vivo, vt tabulæ illius Eccleſiæ teſtantur, ius ſuum obtinere non poſſet: nam, cùm Arnoni de Archiepiſcopali dignitate litem moveret, ille Baturicum interim ſubrogandum curavit; verùm Arnone mortuo non modò ſede ſua potitum; ſed pallium inſuper Archiepiſcoporum inſigne à Paſchali Pont. impetraſſe, iiſdem tabulis perſcribitur; ſed hoc poſterius manifeſtè vanum eſt, cùm vetuſtis diplomatibus nunquam nomen Archiepiſcopi præfigatur; ſuperſunt enim Ludovici BOIARIORVM regis literæ, quibus Reginhario Epiſcopo in Avarum terris poſſeſſiones aſſignat. Eodem anno Ludovicus Imperator ex Iuditha cõiuge prole auctus eſt, cui in ſacro fonte Caroli nomen, & à defluente capillitio Calvi deinde cognomentum impoſitum. Haud perinde atque patri, grata ea novercæ fœcunditas privignis fuit, qui paterna regna iam olim ſortiti turbatorem ſpei deſtinationiq; ſuæ interveniſſe impa-

Apud Hund. in metrop.

Vita Lud. ap. Pithæum.

CAROL. CALVVS NASCITVR.

impatienter ferebant. Anno vigesimo quarto Ortomagus Bulgarorum rex, qui Triballi antiquis fuere, legatos ad Ludovicum misit, quorum oratio cùm perplexa esset, neq; satis appareret, tam longè semotis quid in Germania rei esset, Imperator discessuris Maghelmum, seu Machelinum è BOIARIA, specie benevolentiæ, sicuti honorarium comitem, sed revera arbitrum consiliorum futurum addidit, qui per summam dissimulationem barbarorum studia exploraret. Nondum abierat annus, cùm redijsse Bulgarorum Legatos nunciatum est; ijs tamen in BOIARIA hyberna decreta; neque ante Maium anni sequentis in conspectum Imperatoris admissi sunt; ibi de limitibus inter Francos Bulgarósque statuendis disceptantibus, responsum non ex animi sententia datum; quo offensus Ortomagus, etiam proximo anno, legatos ad Ludovicum ire iussit, qui sine vllis verborum ambagibus, directa percunctatione exquirerent, æquóne iure de finibus secum agi Francus pateretur; tergiversanti amicitiam renunciarent dicceréntque, Bulgaros sibi

A.DCCCXXIV.
SVSPECTA BVLGAROR. LEGATIO.
Ann. Franc. Thegan. Adel. Vit. Lud. Pij.

Adelm. an. 825.

F 4 manu

manu sua optimè consulturos. Rumor interim gliscebat, Ortomagum regno vel etiam vita depulsum, quæ Ludovico causa fuit, distinendi tantisper legatos, dum certi aliquid cognosceret: negotium ergo Betrico Palatino Comiti, Baldrico & Geroldo Avarici limitis præfectis dedit, vt in Carantanos profecti inquirerent, an fama verum dixisset: Qui reversi cùm nihil liquidi attulissent, tum demum legatis verbo respònsum, nam rescribi non placuit: eum contemptum Ortomagus armis vindicavit, transmisso, sequenti anno, Dravo, Slavos Francorum clientes flamma ferróque populatus; acceptæ cladis culpa in Baldricum Foroiuliensium Ducem impacta, cuius ignaviâ hosti vires & audaciam crevisse, & fideles socios lanienæ obiectos ferebatur; loco proinde motus est; & Foro Iulij quatuor Comites impositi. Priore, quàm hæc fierent, anno, Hilduinus D. Dionysij Abbas, Sebastiani Martyris ossa ab Eugenio pontifice impetrata ad Suessiones transtulit, quorum adventu & mortalium excitata pietas, & Numinis provocata beneficentia est, tam larga qui-

quidem, vt ad prodigiorum ingentium famam totus orbis terrarum obstupescceret: id annotare eò visum, quòd eiusdem martyris calvâ BOIARIA deinceps nobilitata vsu ipso didicit, fatalib. morbis profligandis, quæque inter illos principatum tenet, pestilentiæ extinguendæ certius auxilium non potuisse sibi cælo delabi. Sed nos ad rerum ordinem revertamur.

LVDOVICVS REX BOIARIÆ VI.

Anno DCCCXXV. suum BOIARIA regem accepit Ludovicum Imperat. Filium, quem etsi septimo decimo anno pater regem salutarat, hoc tamen demum in provinciam misit, cum Hemma coniuge, iam curis regijs per ætatem parem. Is Reginoburgi regiâ collocatâ, inde non BOICÆ solùm, sed pluribus insuper provincijs iura dabat; diu tamen quieto illic esse per Bulgarorum motus non licuit, qui cùm Slavis, vt supra diximus, infesti imminerent, patris iussu ad illos compescendos profectus est; belli eventus annalibus prætéritus est. id constat Bulgaros, etiam se- A. DCCCXXV. *Adelmus.* *Annal. Franc. ap. Pith.*

quentibus annis, Francorum fines carpsisse, & proxima Dravo obnoxia iniuriæ latrocinando fœdasse. Idem annus ingentibus calamitatibus, quarum infamia nondum illi ævo absterſa eſt, viam ſtravit. Carolus, quem Iudithâ natum diximus, ſextum ætatis annum agebat, vnica patris cura, id duntaxat noctes diéſque meditantis, quomodo colere exornaréque filium pro affectu poſſet; obſtabat votis, quòd futuri improvidus regna omnia in tres filios priore coniugio natos olim partitus, incōſulta liberalitate, Carolum, antequam naſceretur, exhæredaverat, cùm nihil ſibi tot provinciarum potens reliquiſſet, quod dare illi de ſuo poſſet; & facilè videbat, quantâ invidia oneraturus eſſet immerētem, ſi illi precarias opes & velut detracta fratribus ſpolia circumdediſſet: tamen, quòd alia ratio nulla ſuppetebat, non iam pro iure paterno, ſed penè precibus à filijs contendit, vt Carolum in partem fortunæ ſuæ admitterent, ne iniquiore, quàm ipſi vterentur, conditione vivendum illi eſſet, quem cunabula & omnia iura naturæ fratribus æquaſſent. Imperium

LVDOVIC. IMP. IN CAROLVM F. PROPENSIO.
Nithard. l. 1. Thegan. c. 25. Aim.

rium sua maiorúmque virtute partum, nulla re magis, quàm magnitudine sua laborare, citiúsq; dominos regnis, quàm regna dominis defutura. Verè iam olim dictum esse, non legiones, non classes perinde firma imperij munimenta esse, quàm numerum liberorum; sibi certè ad imperium accedenti nihil tristius accidisse, quàm quòd tantam molem solus cogeretur sustinere; ea propter cùm primùm per ætatem licuerit, filios adscivisse collegas; neque liberalitatis aut modestiæ sese suæ pœnitere; per ipsos tamen stare, ne pietas sua apud posteros nomen impietatis ferat, sentiátque Ludovici Imperatoris soboles, non nasci, vel quovis alio, quàm tali parente nasci sibi melius futurum fuisse. Hæc cùm, Lothario & Ludovico Boio astantibus, vultu confuso, diceret, illi, magis quia orationem patris refellere pudor fuit, quàm quòd eam probarent, verbo tenus assensi sunt; quinimo Lotharius blanda severitate verecundantem arguere, quòd vel patrem esse se parum meminisset, vel de filiorum modestia ausus esset dubitare; cuius enim esse omnia illa, quę filijs *Tac. in Vesp.*

filijs dediſſet? à quibus ſi vel animam repeteret, nimirum iure ſuo vſurum; ſe quidem parenti omnia, parentem ſibi nihil debere; quidquid dederit, inter gratuita numerandum; vt Caroli causâ angatur, nihil opus eſſe; certaturos ſe cum patre benevolentiâ, ne ille fortiùs ſe à patre, quàm à fratribus amatum dicere verè poſſit; congereret in illum, ſine invidia, quidquid animo collibitum eſſet; id tantùm ſibi grave futurum, ſi optima portione hæreditatis, id eſt, patris amore innoxij filij ſpoliarentur. Melior oratio & vultus, quàm anim⁹ fuerunt; neque artificium Patrem fefellit; nihilominus deſtinata executus Carolo Alemanniam, cuius tum latiſſimè porrecti fines, cum Rætia & Burgundiæ parte tradidit. Id verò filijs indigniſſimum viſum, neque aliter acceptum, quàm ſi ab hoſte provincia eſſent exuti. Lotharius maximè, qui patri aſſentans etiam Caroli tutelam in ſe receperat, malè ſimulatam benevolentiam capitalibus odijs permutavit; quaſi fratribus aliter probare non poſſet, ſe antea non ex animi ſui ſententia eſſe locutum. Nihil

PROVINCIÆ CAROLO DECRETÆ, ET NATA INDE FFR. IN ILLVM ODIA.

eorum

eorum occultum patri ægro animi & semet miseranti, quòd hostes ipse suos genuisset: domesticis ergo præsidijs diffisus Bernardum Septimaniæ ducem, quem olim ex sacro fonte levârat, in aulam accitum prætorio, cum amplissima potestate, præficit, infelicissimo successu; nam Bernardus, vt difficilior est prosperæ quàm adversæ fortunæ patientia, dignitatem virtutibus, aut earum simulatione, partam manifestis sceleribus exercuit: quædam insuper livor affinxit, pro veris tamen credita, quòd à reliqua vita non abhorrebant. Liberior illi cum Augusta familiaritas, eóque opportuna calumniæ totam domum Cæsaris lacceranti, inultâ audaciâ; neque Cæsar ipse eximebatur probris, quem hebetem & vxori devinctum stupore suo flagitia domestica accendere criminabantur, inter paucos primùm, sed, dũ benevolè audita nemo refutat, etiã in populi aures mẽdax fama irrepsit, breviq; effectũ est, vt imperatoris verè Pij innocẽtia neq; ex infima quidẽ plebe haberet patronum: Pipinus sceleratæ factionis se ducẽ professus, de abrogãdo patri imperio cõsilia agitabat, *Nithard. l. 1.*

per-

Thegan.

LVDOV. BOIVS PIPINI FR. IMPIA CONSILIA DISIICIT.

perfecissétque meditata, nisi Ludovicus BOIORVM rex furenti obstitisset, vnus omnium filiorum pietatis àdhuc memor: eousque tamen progressa temeritas est, vt afflictissimi patris non modò dignitas, sed salus etiam in vltimum adducta fuerint discrimen: cùm auxilij nihil suppeteret, Bernardo fugam suasit; Iuditham coniugem in Laudunensi monasterio, velut asylo, deposuit; ipse Compendium secessit, magis filiorum impietati, quàm fortunæ suæ ingemiscens: Pipinus cùm omnes parentis spes dissipasset, ne hac quidem illius ærumnâ satur, Augustam Laudunensi parthenone abstractam, mortis intentato metu, coëgit fidem dare, si sibi mariti conveniendi potestas fieret, auctorem illi futuram, purpuram cilicio mutandi: tum se quoque, sponte animi, caput velaturam: & illa quidem religiosa veste vitam redemit; Ludovicus spacium deliberandi poposcit. Fratres Reginæ Conradus & Rudolphus per vim attonsi; Heribertus Bernardi frater oculis spoliatus; Odo consobrinus exilio mulctatus; vnum omnibus crimen obiectum, familiaritas

cum

cum Bernardo, & ſcelerum illius conſcientia. Interim Lotharius menſe Maio ex Italia reverſus non modò fratris acta non reſcindit, ſed patrem Compendij cuſtodia circumdat; monachos etiam adiungit, qui religioſæ vitæ amorem inijcerent & iura docerent. Ea tempeſtate multò miſerrimus imperij ſtatus fuit, imperatore à filijs obſeſſo, permiſsâ peccandi licentiâ, eorúmque exemplo invitatâ, quos eſſe vindices oportuit; ſupplicia virtuti, flagitijs præmia decreta; plurimi ipſis ſceleribus & reipub. ruentis ſpectaculo paſcebantur. Pauculi quibus nondum extinctus pudor & mens à publici furoris contagio immunis, cogitationem ſuſceperunt imperatoris & imperij erigendi. ij animum Ludovici per internuncios confirmant, rogántq; ne de repub. deſperet; tantò maiorem illius ſervatæ gloriam fore, quò propiùs ab exitio abſit; ſupereſſe adhuc qui eam ſalvam velint, & forſan illos ipſos, qui ſtantem impulerint, ſceleris ſui verecundiâ, vel conſenſu meliorum victos cauſam deſerturos eſſe, in qua plus infamiæ eſſe videant, quàm lucri. Imperator beni-

LVDOVICI IMP. CALAMITATES, ET FILIORVM IMPIETAS.

benignam ſpem ſecutus, quod proximum erat, filiorum conſilia diducere aggreditur; apud quos etſi maieſtas & reverentia ſua eviluerit, nondum tamen miſeratione credebat extinctam. Gundebaldum igitur è monachorum contubernio rarâ prudentiâ virum, cùm ingentibus promiſſis, ad Pipinum & Ludovicum filios amandat, quibus oſtentatis, haud difficulter ab vtroque impetratum eſt, vt incrementa dignitatis ſuæ mallent ſuperis hominibúſque faventibus, ab optimi parentis manibus, quàm à fratre repoſcere; nam eum neque beneficum ſine ſummo ſcelere in illos eſſe poſſe, neque tam crudelem in patrem, pium in fratres futurum. Lotharius vbi comperit fratres eam modeſtæ laudem præoccupaſſe, id ſaltem refragari non potuit, quo minus res tota procerum iudicio permitteretur; & quanquam in Gallia, vbi maximis fortiſſimíſque clientelis abundabat, diſceptari mallet, vicit tamen etiam hîc patris ſententia, vt Noviomagi conveniretur. Eò Germania omnis confluxit fidei erga Imperatorem inconvulſę, & liberrimum pro illius iure

CONVENTUS NOVIOMAGENSIS.

iure

iure suffragium latura. Insuper factiosissimus quisque Lotharij partium, cuius vel vires vel impudentia timeri poterant, per speciem honoris ablegati, aut, reviviscente paulatim Imperatoria maiestate, pro imperio abire iussi: Ita ferocia adversarijs, deinde etiam fiducia exempta: fuga illis primùm & secessio, quódque æquè desperantium est, arma, & vis placebant; opprimendum ex improviso Imperatorem dictitabant; non nisi illius capite sanciri publicam quietem posse; mortuum vtique, quàm vivum orbi plus profuturum; esse, cùm sine scelere facinus magnum & memorabile fieri nequeat; insontibus innoxia consilia, sibi subsidium ab audacia petendum: inter has consultationes nox extracta; sustinuítque Lotharius conscelerari aures suas sanguinarijs vocibus ad parricidium invitantium; sed discussit iam compositum meditatúmque nefas Deus; Pater filium, multo mane, per certos homines commoneri iussit; descenderet tandem in sese, & ipse facti sui iudex fieret; nam vt nulla cæli iura sint, & principibus nemo leges scripserit, vt

omnes pro illo caussidici clament, Lotharium ab ipsomet Lothario absolvi non posse:amoveret,per Deum immortalem,ab auribus suis impias voces,quæ illi in parricidio inesse pietatem persuadeant, & in iugulum parentis ferrum filij exacuant: concurreret sanè cum patre,sed nudo pectore: inter sinceros amplexus pulchriùs ipsum vel suis, vel paternis lacrymis, quàm sanguine perfundendum;hunc ipsius clarissimum triumphum futurum, si patrem benevolentia & charitate vicerit. Euerberavit durum pectus tam amica provocatio, patríque se, quantumvis reclamantibus asseclis, reddidit, qui orationem magis aptam tempori, quàm memorem maiestatis filio corrigendo adhibuit; sub quam cùm inter factiosos orta seditio magnis clamoribus esset, neque iam à mutua cæde abessent longiùs, Imperator.comitante filio,in publicum processit; ille aspectus furentes diremit. cúmque seditionis principes ad supplicium postulati iudicio sisterentur,Lotharius,pro quo arma illa sumpta constabat,nihilominus inter iudices assedit, & latâ in ambitionis suæ

satel-

ſatellites capitis ſententiâ, miſero ſtipendio, digno tamen, perfidiam remuneravit: ſed mitior etiam hîc pater vltima exempla meritis vitæ gratiam fecit, exilio afficere, aut monaſterijs includere reos maieſtatis contentus: ita recuperata dignitate, filijs, qui pro patre ſteterant, regna ex pacto auxit, Lotharij imperium Italiæ finibus circumſcripſit: Iuditham Auguſtam, cùm infamiam iureiurando diluiſſet, in iura priſtina recepit. Bernardus ſequenti anno ex Hiſpania in aulam reverſus vltro actionem & duellum poſtulavit, in patrocinium innocentiæ; cúmque nomen illius nemo deferret, aut conditiones pugnæ acceptaret, ipſe ſe iureiurando, Lothario & Ludovico præſentibus, abſolvit. Reſpirare poterat reſpub. niſi incendium mala fide ſopitum, brevi, ijſdem ambitionis flabellis, quibus antea natum fuerat, revixiſſet: Bernardus enim poſtquam inſons videri cœpit, veterem dignitatis gradum, vt ius ſuum repetebat; verùm eum Gundebaldus Monachus iam occupaverat, virtute ſua & fide, vti ferebat, partum; contra vtrumq; Pipinus & Ludovi-

A. DCCCXXXI. *Vita Ludov. Imp. c. 13.*

dovicus nitebantur, inane nomen regiũ dictitantes, si summa potestas penes exteros esset, ipsíq; postMonachum & Bernardum ponerentur; & Pipini quidem eò prorupit indignatio, vt cùm à patre evocatus ad cognoscendam Bernardi causam esset, neque in tempore adfuerit, & longioris moræ impatientiâ, insalutato patre, discesserit. Ludovicus verò BOIORVM rex, qui priores turbas propè inoffenso pede transmiserat, sequenti anno, qui octingentesimus trigesimus secundus fuit, modestiæ & pietatis fœdissimum penè naufragium fecit. Quiescentem illum in BOICA Lotharius frater excitavit, instinctúmq; odijs contra patrem armavit. Iámque ad Laurishaimense D. Nazarij monasterium iras & bellum spirans processerat; cùm pater tristi necessitate compulsus, collecto properè exercitu, Moguntiacum progressus, non procul à filio consedit; sed ille, vt timida est impietas etiam armata, antequam paterna signa, & metuendum præ his ipsis signis patris vultum aspiceret, trepidum agmen in BOIARIAM reduxit. Institit fugienti pater Augustam Vin-

A.DCCCXXXII LVDOV. BOIVS CONTRA PATREM ARMA SVMIT. *Ex Vita Lud. Pij. C. XIII. Theganus.*

CVM PATRE IN GRATIAM REDIT.

Vindelicorum vſque, certúſque filium iam deferbuiſſe, iniuriæ iuxta & vindictæ immemor, ad bellum oſculo dirimendum finiendúmque non reluctantem evocat, turpiſque audaciæ non modò infamiâ ſed etiam verecundiâ obliteratâ, iterum incruentum clementiæ ſuæ triumphum egit. Lotharius cùm ſuo periculo redintegratam gratiam metueret, invidiæ, qua conflagrabat, amoliendæ cauſa, patrem Francofurti convenit, fruſtra ſuaſurus, nihil in Ludovici fratris facto ſuum fuiſſe; ſemel inſanivisſe ſe; non proditurum tam triſte ſeculo ſuo exemplum, vt optimi patris iram ingratus filius bis dicatur meruiſſe: fidem tamen innocentiæ nulli fecit, ne patri quidem, cui nihilominus gratum fuit, has ſaltem pudoris reliquias in filio deprehendiſſe; nam Pipinum iam etiam ſimulatæ modeſtiæ pœnitebat, neque ſatis illi erat, cum paternis hoſtibus caput & conſilia conferre; ſed illorum etiam animos tentabat, qui flagrantiſſimâ apud Imperatorem gratiâ fidem cum fortuna nondum mutaverant; Bernardum certè, cui vni pater fidere ſoleret pluri-

PIPINI FVRIOSÆ MOLITIONES.

 mùm

mùm, ſuis adiunxiſſe partibus ferebatur. Iterum ergo patri arma contra filium induenda, alios tunc hoſtes non habenti: & Pipinus quidem feſtinatione patris præventus, cùm parati nihil haberet, neceſſariò ſe illi Aureliæ ſiſtit, neque multò pòſt ex Aquitania retractus Treviros cuſtodiendus mittitur: Bernardus ob dubiam famam gradu motus, quòd domum ſuam Cæſar etiam ſuſpicione perfidiæ carere vellet, cùm eo ſcelere tunc maximè ſe peti videret. Regnum Pipini Carolo datum, eidémque proceres ſolenni ſacramento devincti ſunt. Hîc demum malè ductâ cicatrix in antiquum vulnus redijt: conclamatum, velut in publica Imperij ruina, quod cùm Ludovicus amore amens virorum manibus extortum puero obijciat, ipſum profecto bis puerum eſſe. Auxit tumultum Pipinus, eluſis cuſtodibus, elapſus, nequicquam deinceps à patre revocatus. Iam Lotharius remp. velut deſertam deſtitutámque à patre & in ſuum confugientem ſinum repellere, negabat ſuæ eſſe pietatis, egregias voces & plauſibiles in vulgus ambitioni prætexens, quibus

etiam

etiam Ludovici BOIORVM regis candori fucus factus est, vt patrem velut indignum imperio, aut certè imparem exosus ad impiam se fratrum factionem acclinârit. Profana odia iterum in bellum eruperunt, in quo vincere, quàm vinci, propè turpius esset: id in annum trigesimum tertium incidit; explicatæ in Elisatio (quam Alsatiam hodie vocamus) acies, Basileam inter & Argentuariam. Hinc tres reges filij, inde infelix pater, positis castris, victoriæ imminebant, pro qua neque votum honestè suscipi poterat; Eadem vtrinque signa, arma, mores; filiorum causa detestabilis, parentis misera, &, extincto scelerum pudore, æqualis vtrobiq; verecundia nominandi hostis; cùm id nomen nec patri in filios, nec filijs conveniret in patrem; auctoratus in parricidium miles, ne moriturus quidē sine scelere, vilem animam libidini ducum impendebat, certus dedecoris, vtcunque res cecidisset. Famâ interim spectatum in Alsatia nefas quaquaversum differente, cohorruit orbis ad tristius Thebanis fabulis bellum, quo excitus ipse Christianæ gentis pater Gregorius

NOVIS FRATRVM TVRBIS LVD. BOIVS ADIVNGITVR.

ANN. DCCCXXXIII PARICIDIALIS BELLI IN ALSATIA APPARATVS.

GREGOR. PONT. PACIS CONCILIANDÆ STVDIOSVS.

pontifex Max: transcursis alpibus, in sceleratum campum maiestatem in terris sanctissimam maximámq; intulit; si fortè religio naturâ potentior esset, resideréťque aliqua eius violandæ reverentia apud illos, qui cætera omnia iura temerassent. Fortè fortuna Gregorius castra filiorũ ex itinere primùm attigit, quod ipsum suspectum patri, quasi eo præiudicio causâ sua damnatâ, filiorũ insaniam probâsset; nihilo ergo segnius odia gliscebant, explicatæque, in pontificis oculis, acies, ipso Ioannis Baptistæ cunabulis sacro die concursuræ; agnoscebatur volitans ante signa Imperator; neque alia pugnæ mora, nisi quam pontifex faciebat, ob ingratam operam iam invisus. Pontifex, etsi iam aliàs ira doloréq; ægrum Ludovici animum mitigare aggressus frustrà fuerat, tunc tamen miserandæ cladis ipsis oculis admota fœditate, maiestatem suam publicæ saluti attemperans, per confertos armatorum globos, ad Imperat. penetravit. & salutatio quidem longè infra Pontificis dignitatem fuit; cæteri etiam congressus pleni querelarum, quas etsi nullus vnquam

pater

pater iustiores habuit, eas tamen Pontifex rogando invicem suadendóque ita mitigavit, vt condonaturum se reipub. & Pontificiæ maiestati dolorem suum, diceret, si filiorum pertinaciam ad ęquas conditiones vel ferendas, vel acceptandas deduxisset. Ita pontifex reditum pactus, ad filios reges transgreditur. quò iniquior eorum causa erat, eò plus ferociæ reperit, vt facilè appareret, citiùs armis vincendos, quàm flectendos oratione esse. Imperatoris interim vires quotidie decrescere, dilabi auxilia, iuxtáque ipsum solitudo fieri; siue donis corruptus miles est, siue patris senio cum filiorum iuventute comparato, maluit orientem solem, quàm occidentem adorare; Remanserant pauculi, quibus fides fortuna potior, solatio magis, quàm præsidio futuri; comitatus lugenti, quàm pugnanti opportunior; quos tamen ipsos comiter appellatos, velut vltimis officijs perfunctos consulere sibi, tempestivo ad filios transitu, iussit, ne fraudi ipsis esset pietatis pertinacia: nam hos animos, hanc virtutem vltra periculis obijcere, nimis grande etiam vitæ suæ

pretium se putare; irent proinde ad feliciores; apud se animos interim obsides remansuros. Ægrè ipsa iam castra defendebantur, & tam vile vulgò Imperatoris nomen & caput erat, vt non insidijs modò, sed aperta vi peteretur; perditissimo quoque parricidij non tantùm impunitatem sperare auso, sed præmium & famam; strenuéque omnibus annitentibus, ne odio erga imperatorem filijs & ducibus suis cederent. Conquerentem super vltimo scelere patrem hortantur filij, in sua castra transeat; illic eius salutem, suorum obiectu corporum, se tutaturos. Neque moratus est mitissimi vir ingenij, toties damnatam filiorum fidem, suo periculo, experiri: & dabant se initia sanè luculentè; filij obviam progressi, simul in patris conspectum venere, equis deruentes omnia pietatis obsequia doctissima simulatione explevere. Pater inter complexus & oscula iam omnium iniuriarum cœperat obliviſci, obtestans, vt, quo ipse candore cum tribus filijs in gratiam rediret, eodem ipsi datam sibi, vxori Carolóq; fratri fidem colerent, bearéntque se tandem incorrupti

FILIORVM LVD. SIMVLATIO.

rupti

rupti munere amoris; id vnum ab illis se repetere, quibus ipse vitam dederit, aliud vtique meritus, quàm vt totidem hostes cogatur numerare, quot filios. Responsum est patri verbis exquisitissimis & quantivis pretij, nî verba tantùm fuissent. Verùm vbi in castrâ perventum est, alia rerum facies fuit. Vxor ab illius latere avulsa, Ludovici BOIORVM regis operâ, Dertonam in Italiam, exulatura deportatur: Pater cum Carolo filio & familiarium pauculis tabernaculo à Lothario includitur. Imperium fratres inter se partiti, exercitum omnem sacramento in sua verba adigunt. Pontifex tot impietatis spectaculis excruciatus legationísq; irritus, longi itineris operæq; fructum nullum, præter rectè facti conscientiam domum retulit. Ludovicus deinceps in BOIARIAM, Pipinus in Aquitaniam rediere; Lotharius Carolum Prumiensi monasterio affixit; patrem velut in triumpho trahens, cum eo ad Kal. Octobr. Compendium venit, quò Episcoporum conventum iam antè indixerat. Principem in eo locum Hebo seu Ebbo Rhemensis Archiepiscopus

LVDOVICI IMP. SCELERATA EXAVCTORATIO.

pus tenuit, obſcuriſſimis natalibus & pravo ingenio vir, dignitatem illam malis artibus, famã ſceleribus adeptus; hic Lothario emancipatus, vt impiam illius cupiditatem aliquo pietatis & iuris fuco circumamiciret, cogit Ludovicum Epiſcoporum venalibus ſententijs iam antè exauctoratum, quidquid vnquam perperam egiſſet, ex libello profiteri palàm, recantatis etiam illis, quæ voluntarijs piaculis iam olim eluerat, quæque, niſi ſeverus cenſor in ſeipſo arguiſſet, defendi ſine patrono poterant, & quantumvis rigidis iudicibus probari. Acceptata tamen duriſſima conditione, Imperator ipſe ſe reum peregit, & verboſiſſimas tabulas, exaggeratis ad invidiam criminibus oppletas, infuſus lachrymis & crebro gemitu vocem interpellante, recitavit, impium ſe & quovis ſupplicio dignum proclamans, quidvis paſſurum acturúmque, ſi ſibi regreſſus ad innocentiam daretur. Simul libellum ſacerdotum manibus inſeruit, quem illi, ad explendam ambitioſæ pietatis fabulam, aræ impoſuerunt. Confeſtim imperator arma, purpuram & omnia regij cultus in-

Exauctoratio Lud. ap. Pith. f. 322.

insignia detracta corpori, eodem reijciens, pullam lacernam in vicem induitur, & ad reorum habitum squaloremq; deformatus, triste omnibus spectaculum solis auctoribus placiturum exhibuit. quæ omnia propudium hominis Ebbo eo consilio excogitaverat, vt obstrictus religione animus & hac ferali pompa externatus nullam de cætero lætiorem cogitationem, nedum recuperādi spem imperij admitteret: Lotharius rebus prope supra votum fluentibus, patrem, spoliū impietatis suæ, Aquisgrani clausum excubijs sepsit: sed ab oculis cōspectúq; hominū remotū ingens omnium ordinū miseratio secuta est: primus, quem tenerior ille affectus contigit, Ludovicus Boivs fuit, qui seriâ liberandi patris susceptâ curâ prioris temeritatis maculā eluere festinavit. Francofurtum ergo progressus Gozbaldū Abbatem & Morhardum Palatinū Comitem legatos ad Lotharium misit, imperatum potiùs, quàm rogatū, vt humanitatis erga communē parentem memor eum liberaliùs haberet. Sed Lotharius in patrem dur', fratri nihilo ęquior imperiosā legationē re-

Lvdov. Boivs Patris restidvendi cvram svscipit.
Thegan. c. 45.

respuit: illi insuper, quib⁹ ad patrē mandata ferenda dederat, etiam aspectu eius prohibiti, irriti rediere. Fratres tandē ipsi Moguntiaci congressi, propè alienioribus animis, quàm advenerant, discessere; dispares vtrinq; affectus erant: Lothariani omnes insigni in patrem odio, nihil de illius dignitate, quā Ludovicus acerrimè propugnabat, referri patiebantur: impotentia tamen Lotharij hactenus repressa est, vt quos sequēti anno, qui trigesimus quartus fuit, ad patrem legatos Ludovicus miserat, illius congressu non arcerentur: quanquam adiecti arbitri sunt & aucupes verborum, vt sermonis liberum commercium nullum esset; tamen, qui legati ierant, Grimoaldus Abbas & Gebchardus Dux, cùm inter insidiatores ex animi sententia loqui vererentur, fronte disertísque nutibus, optimam filij mentem gestienti patri explicaverunt; atque, vt ingeniosa est miseria & auxilia sua facilè intelligit, Ludovicus pater ex arguto illo Oratorum silentio & benevolis oculorum nutibus in lætitiam erectus & Ludovici filij redivivam pietatem exosculatus, etiam ipse vultum expor-

ANN. DCCCXXXIV.

exporrexit: Lotharius ſubodoratus, quæ conſilia Ludovicus frater agitaret, cùm Germaniam ijs opportuniorem eſſe intelligeret, Aquis relictis, in interiorem Franciam patrem captivum trahens abijt. Ludovicus BOIVS, ſi quid Thegano credimus, fratris profectione cognita, citato agmine inſecutus penè inopinantem oppreſſit: fuga illi ſaluti fuit, tam properata quidem, vt pater neceſſariò fuerit è manibus emittendus, quem Ludovicus cum ingenti gratulatione receptum Aquis-grani in regio ſolio collocavit. Qui præter Theganum Ludovici res proſecuti ſunt, eius reſtitutionem non ſoli Ludovico acceptam ferunt, ſed omnibus penè regnis connitentibus, Lothario tot adverſariorum potentiæ & ſceleris ſui invidiæ ſuccumbenti patrem extortum & libertati imperióq; redditum; & ad eius conſilij ſocietatem etiam Pipinum, operâ Ludovici, per Hugonem Abbatem pertractum ſcripſerunt, vt ſatis conſtet, primarum partium gloriam Ludovico deberi. Pater, quòd ab Epiſcopis diſcinctum exauctoratúmque ſe meminerat,

LVDOV. BOIVS PATREM LIBERAT.

Vit. Lud. Pij. Nithard. Adelm.

ne,

ne, vel ad ſpeciem, divini humaníque iuris quidquam obſtaret, nullum imperij inſigne attigit prius, quàm ab Epiſcopis qualicunque religione exolveretur, vir in vtraque fortuna nominis ſui retinens & verè Pius: vnde neque Lothario quidem inſiſtere illum naturæ lenitas paſſa eſt impune tot iniurijs laceſſita & poſt tot documenta ſeipsâ vegetior. Lothario ergo elapſo, Pipinus in Aquitaniam remiſſus eſt; Ludovicum, cuius fides conſpectior fuit, vt tutelam domeſticam, à latere ſuo diſcedere vetuit, iam tum animo prævidens, diuturnum otium non fore. Lotharius enim patris indulgentiâ peior, priores ſpiritus reſumens in paternos amicos omnia crudelitatis exempla edidit; ſacra, profana, nullo diſcrimine, rapinis, flamma, ferróque populatus, & ex felici ſcelerum ſucceſſu ſpem & auſpicia imperij, cui iterū imminebat, capere auſus. ipſos adeò legatos, quos pater, ad pervicacem animum flectendum vel certè tentandum, miſerat, parum abfuit quin violaret; vnde proximo anno, qui quintus ſupra trigeſimum fuit, repetenda neceſſario arma

A. DCCCXXXV *Thegan. c. 54.*

ma fuerunt, ingemiſcēte patre, toties in viſcera ſua ſibi ferrum ſtringendum. Secutus eſt patrem Ludovicus; adduxit & Pipinus auxilia; quibus cùm Lotharius, præter malam cauſam & vanam in Francorum erga ſe propenſione fiduciam, quos ad ſe tranſituros ominabatur, obijcere nihil poſſet, obviam tamen progreſſus eſt, longis odijs exercitatus contra patrem miles: verùm, cùm Francorum nemo ſe moveret, ſpe defectionis irritâ, circumſpicere vires ſuas cœpit, & imparem ſe profeſſus pedem retulit. at vbi circumvento interclusóque etiam fugæ negata copia eſt, patris experiri clementiam decrevit, quod aſylum ſatis ſciebat quantumvis ſcelerato ſibi patere. Neque illum ſua ſpes fefellit; avidior condonandæ noxiæ pater, quàm deprecandæ filius fuit; ſine mora admiſſus & pro tribunali aſſidentis pedibus advolutus, verbis ex formula depromptis, vultúque, quàm animo, meliore, contumaciam ſuam deteſtatus eſt, ſecurus veniæ, qualicunque illam oratione depoſceret. Pater modicè increpitum ire in Italiam eiúſque finibus contentum eſſe iuſſit;

anguſtias etiam alpium præſidijs occupavit, ne publicæ quietis turbatores vltro citróque commeandi liberam haberent facultatem. Aſſeclas Lotharij eadem facilitate abſoluit: ipſe hoc anno conventum Lugduni, ſequenti Wormatiæ egit, Pipino & Ludovico præſentibus. Interim in BOIARIA anno XXXV. Friſingenſis Cathedra Pontificem Hittonem ad ſuperos amiſit, cuius induſtriâ res illius Eccleſiæ mirificè auctæ ſunt, quod ex tabulis traditionum agnoſcitur; quin ipſe etiam ſplendidi patrimonij partem, ſorore ſua Cotesdiua & Heilrada nepte cōſentientibus, Friſingenſi Epiſcopio tranſcripſit. Collegium præterea ſex Canonicorum, cum Præpoſito, ad D. Stephani inſtituit, ſucceſſorem Erchenbertum nactus, fratris, vti fertur filium: vnde corrigas Friſingenſium Traditionum librum, vbi præpoſterè Hittoni Anno ſubijcitur, qui Erchenbertum, vt ſuo loco dicemus, excepit. Sequenti anno Salisburgi Adalramus Archiepiſcopus elatus eſt, poſtrid. Kal. Maij de Carantanis etiam ipſe bene meritus, quibus Othonem Epiſcopum ſubmiſit.

Annal. Franc. Thegan. c. 57. Vita Lud. Pij.

HITTONIS EPISCOP. MORS.

ADALRAMI EPISCOP. MORS.

Adal-

Adalramo Luipramus ſucceſſit, qui pallium à Gregorio IV. Pontifice accepit.

Anno trigeſimo ſeptimo Iuditha Auguſta ſuis malis docta & futuri metuens, ne, marito olim extincto, prætérita in ſe Carolúmque exempla repeterentur, ſtabiliendis vtriuſque rebus animum intendit, conſilio vſa, quod in ſpeciem ſolers catúmque rerum deinde eventus damnavit. marito Caroli cauſâ quidvis acturo perſuadet, vt quando filiorum vnanimis concordia deſperanda videatur, vnius ſaltem fidei incolumitatem fortunáſq; Caroli illiget: Lothariũ deinde nominat, vt opportuniſſimum voto ſuo, non modò ætatis reſpectu, cuius prærogativâ ad imperium vocabatur; ſed quòd patris odium meritus, illius penitus eluendi nullam occaſionem conditionémve videbatur repudiaturus: is ergo ſi per Carolum patri reconciliaretur, nihil dubitandum, quin tanti beneficij æterna apud memorem gratia hæſura eúmque devinctura Carolo eſſet. Muliebre conſilium probavit pater parum providens, vnius benevolentiâ duorum ſe odium Carolo empturum,

VII. ANN. DCCCXXXVII. NOVÆ INTER LVD. FF. DISCORDIÆ.

& singularem illam amicitiam eidem hostes duplicaturam: nimirum Pipinus & Ludovicus iudicio patris acquieturi erant, Lothario postpositi, cùm documenta fidei quærerentur? laturi erant æquis animis clandestinum fœdus, à quo excludi paulò minus sit, quàm hostem declarari? committi igitur fraternas acies, &, vt æqua pugna sit, vtrinque duos collocari, iterum classicum cantante fœmina, quasi aliter probare non posset trium se regum novercam. Nihilominus trigesimo octavo anno multò maxima Francici regni portio Carolo contributa est, Lothario non modò absente, sed ne assentiente quidem; qui mox, constituto, in valle Tridentina, certo loco, cum Ludovico Boio congressus est, vbi super super facto parentis multa in vtramque partem disputata, explicatum nihil est, vt in re ancipiti, quam proinde dissimulando in præsens transmittere tutissimum visum. Nihilominus, vbi eos capita contulisse compertum est, ingens eius facti invidia Ludovico incubuit, vt pater nihil tale merenti, aut metuenti, acerbissimo decreto, quidquid provin-

ANN. DCCCXXVIII

LVDOVICI BOII CVM PIPINO CONGRESSVS.

cia-

ciarum, extra BOICAM, illius imperio regebatur, eripuerit; Lothario, in eadem causa fuisse, impune fuit. Ludovicus pro indignissimo habuit, mite patris ingenium & ad quantacunque suorum scelera perpetuò connivens, repente domesticorum & vnius fœminæ furijs instinctū tam inclementer in se consuluisse; cuius etsi nulla in patrem extarent merita, gloriari tamen eo se nomine, etiam apud iniquos arbitros, posse, fratrum neminem minus peccasse; quámque alij innocentiam sponte prodegerint, ereptam sibi invito, eandémque celeri pœnitentia revocatam & sincerissimis obsequijs expiatam. Ira ergo & dolore victus cum ingenti per edictum evocatorum manu tertio Kal. Decemb. Francofurtum venit. Pater, si vis pararetur, eam vi propulsaturus, collecto exercitu, Moguntiacum proficiscitur, cùm paulò antè, mense Novembri, Pipino filio esset orbatus. LUDOVICI BOII IMPERIUM IMMINUTUM.

Qua tempestate etiam Batavis Reginharius Episcopus decessit. Lis illi olim cum Adelramo Salisburgi Archiepiscopo intercesserat, ob regiones, quæ vltra montes Comagenos porriguntur, quos REGINHAR. EPISCOP. MORS.

 iuris

iuris sui esse vterque contendebat; sed Ludovici BOIORVM regis operâ, certos vtrique limites statuentis, ad concordiam reducti sunt. Extant eiusdem Ludovici literæ duplices, quibus Reginhario Episcopo donationes prædiorum in Avarum solo iacentium confirmat. Sub

ANN. DCCCXXXIX.

anni sequentis, qui trigesimus nonus fuit, initium, Ludovicus BOIVS cùm iam ira deflagrasset, damnatis ferocibus consilijs, paterno nomini pietatíque, illatas sibi qualescunque iniurias condonavit, & modestiæ, quàm dignitatis graviorem iacturam reputans retro in BOICAM abijt, patri etiam tempus daturus ad receptum nimis pertinacis sententiæ; cuius tamen neque sic ira mitigata est; sed, cùm morte Pipini Aquitania ad ipsum redijsset, qua exornare, sine cuiusquam invidia, Carolum poterat, Ludovico in integrum restituto; nihilominus tamen in proposito perstitit, adeóque recentis iniuriæ, quàm veterum obsequiorum memoria præsentior fuit, vt, nullâ illius ratione habita, regna omnia inter Carolum & Lotharium partitus, angustam Ludovici potentiam solis Bo-

IARIÆ finibus incluserit. Ille iam alteris tabulis proscriptus, exactus hæreditate nullâ suâ aut levissimâ culpâ, quódq; acerbissimum filio, à patris amore & animo exul, victurum se deinceps fortunæ & invidiæ ludum, fratribus & ipsi adeò orbi terrarum prębiturum os ad contumeliam, fabulámque omnium circulorum fore ab ægro animo persuasus credebat dicebátque; damnatáque modestia sua, cuius tam acerbum fructum ferret, Lotharij fratris æmulari exemplũ statuit, cui arma in patrem lata & sua impietas sceptra & coronas pepererint, innocentum capitibus detractas. Coacto ergo, sub initium anni quadragesimi, exercitu, iterum Francofurtum descendit manu asserturus provincias, quas sibi patris ira subduxisset; verùm ad primum illius occursum (tanta est naturæ vis) hebescente ira & offusa caligine, omnis animo audacia excessit, & succedente invicem pia formidine, non arma tantùm, sed & victoria damnata. Igitur ne tentatâ quidem pugnâ, fugam per Turingos arripuit; quamquam & illa magno stetit; cùm, patre vestigijs inhæ-

A. DCCCXL. LVDOVICVS BOIVS IN PATREM INSVRGIT.

ARMA ITERVM PONIT.

rente,& alicubi prævertente,per Slavos iter aperiendum precio fuit. Atque hæc expeditionum patris vltima fuit, felix, si alium hostem habuisset: brevi deinde mors insecuta est, quæ illi, vti & orbitas optanda fuerat, cùm in calamitates suas senuerit genuerítque. Mortem quidem æquissimo animo excepit; quadraginta totos dies, præterChristi corpus, cibi nihil attigit. Deficientem Drogo Metensis Episcopus eiusdem frater de condonanda Ludovico Fil. noxia admonuit; quod etsi ab eo impetratum est, tristissima tamen oratione eius erga se iniurias perstringens palàm fecit, quàm altè animo impressum vulnus esset, cuius acerbitate contabesceret; quanquam illud alterum etiã gravius accidit, quòd iam tum prævideret, miseras sibi inferias ludósq; funebres cruentos parari; neque enim secum filiorum odia expiratura. Decessit XII. Kal. Iulij, anno vitæ sexagesimo quarto, Imperij vigésimo quinto, ipso vsu doctus idémq; alios docturus, mortales plerunque votis suis plecti, quæ cùm Deo prope extorserint, serò intelligant, pro suis se supplicijs supplicasse:

LVDOVICI PII MORS.
Vit.Lud.Pij.

Regna,

Regna, imperia, numerosam sobolem Ludovicus habuit; & tamen fatendum est, felicem futurum fuisse, nî tam felix fuisset. Sed nos ad illum iam mortuum, suo loco, mirissimæ rei narratione, revertemur. Quæ patris mortem insecuta sunt, vatem haudquaquam vanum eum fuisse ostenderunt; fratres enim pudore pridem consumpto, &, post patrem impugnatum, nullum bellum impium habituri, arma toties cognato sanguine imbuta in se verterunt. Initium omnia turbandi à Lothario ortum, qui ambitionis immodicus omnia ad se vnum revocabat supra iuxtáque se neminem æquo animo toleraturus. protinus ergo dimissum à patre imperium ab vtriusq; fratris evertendi consilijs auspicatus, arma in Ludovicum, dolos in Carolum acuit; cúmque ex Italia Francofurtum, traiecto Rheno, propinquaret, Ludovicum, cum valida Francorum, qui ad Orientem colunt, manu, ex insperato, obvium habuit: Quo minùs extemplo pugnaretur, Lotharij frustratione factum est, qui cùm ad opprimendum Carolum omnia in celeritate posita duceret, cupe-

Nithard. l. 2. Annal. Fuld.

LOTHARII AMBITIO ET NOVI MOTVS.

perétque integras quamprimum vires regno illius infundere, arma Ludovici, induciarum pactione, optabat suspendere; eæ primùm in vnam duntaxat noctem concessæ; quæ tamen ipsa nox sine metu non fuit, suspectâ vtrinque fide, & quia coniuncti castris animis nimium quantum dissidebant: tandem ad III. Id. Novemb. prorogatæ, quo in eundem locum rediretur, &, si pax quidem conciliari non posset, Mars communis causæ arbiter esset. In hunc modum à Ludovico liber in Carolum convertitur, vbi paratiora omnia expectatione sua reperit; cúmque nec vis nec doli satis procederent, iterum pacisci institit, vt vafris cogitationibus laxamento dato, insidias per otium disponeret fœderum velo tectas, notâ celebríque fallendi arte. Porrò quæ in Novemb. indicta erant comitia refrixerunt, iam depositis placidis consilijs, & vtroque ad arma spectante, quæ sequentem annum largè cruentarunt. Lotharius cùm comperisset Germanicam Rheni ripam à Ludovico occupatam, ex Otgarij Moguntini Episcopi & Adelberti Metensis Comitis, amborum

INDVCIÆ LOTHARII CVM FRATRE LVDOVICO.

ANN. DCCCXXXXI LVDOVICI À SVIS DESERTI IN BOICAM REDITVS.

borum odio Ludovici insignium consilio, Rhenum Wormatiæ clàm traijcit, & partim armorum formidine, partim blandis legationibus pleraque Ludovici auxilia corrupit, vt ille à suis fœdè destitutus necessariò pedem in BOICAM retulerit: certúmque est, si vti fortuna sua Lotharius sciuisset, Ludovici res ad summam desperationem adduci potuisse; at enim dum raptim in Galliam regressus Carolo totus imminet, Ludovico spacium se colligendi dedit, qui breui reparato exercitu, ingentes iras, quas prioris fugæ ignominia accenderat, ad Rhenum retulit, & III. Idus Maij, cum Adelberto, quem custodiæ causâ Lotharius reliquerat, acie congressus ingentem stragem edidit; victoriam Adelbertus ipse eo prælio occisus nobilitauit, quem satis constat impij inter fratres belli facem fuisse. Ita victor Rhenum transgressus, ad Carolum fratrem, cuius assiduis precibus evocabatur, magnis itineribus contendit; iunctis tandem castris animísque, alternis querelis in Lotharij impotentiam invehebantur, quæ etsi patientiam pridem supergressa fuerat,

RESVMPTA CONTRA FR. EXPEDITIO.

VICTORIA

IVNCTÆ CVM CAROLO FR. VIRES.

rat, vicit tamen pietas, ne quid intentatum relinquerent mollium remediorum. Legatos ergo vtriusque ordinis summos viros cum modestissima oratione ablegant, qui Lotharium monerent, Meminisset, Deum ius etiam regibus dicere; illi aliquando annumerandum esse genus humanũ viritim, quod regendum acceperint, rationémq; reddendam sanguinis, quem fidei suæ creditis expresserint; & neque guttæ vile pretium fore; quo magis cavendum sit, ne integræ ab illo legiones olim repetantur, quas gladio obiecerit contra eos præliaturus, quibus nec irascendi iusta causa suppetat: quid enim in fratribus odisse aliud frater possit, quàm quòd eodem patre geniti partem aliquam regiæ fortunæ sperare ausi sint? quámque, vivente patre, hæreditatem adierint, eandem illo mortuo tueantur? non hoc ipsum patri promisisse, cùm Caroli tutelam professus adversus quemcunque hostem auxilio se illi futurum iurasset: nunc eò ventum, vt præter tutorem suum Carolus, præter fratrem Ludovicus

AD LOTHARIVM FFR: LEGATIO.

hostem

hoſtem nullum habeant. Agnoſceret proinde tam propinquas neceſſitudines, fortémque in alio ſe hoſte probaret; nam hîc, vt omnia ex ſententia cedant, quod aliud præmium iuſtis belli fore, quàm vt diadema cæde fraterna cruentum ferat, tantò miſerior, quantò felicior? Modeſtia oratorum ferociam Lotharij auxit, maximè cùm vltimo loco adijcerent, fratres vltro omnia caſtrorum ſpolia illi traditurós, equis tantùm & armis exceptis, ſi bello ſuperſederet; id enim ille inſignem formidinem interpretatus, tantoque ſuperbiùs conditionem aſpernatus multo meliorem ſe dixit in gladio ferre; & cum hoc reſponſo legatis dimiſſis, ipſe Pipino iuniori, Pipini fratris filio auxilia ex Aquitania adducenti obviam profectus eſt, quem ſpe paterni regni ineſcatum ſuum fecerat. Ludovicus cùm pugnandum videret, etſi feſſus de via exercitus erat, & equorum inſuper penuria laborabat, famæ tamen intereſſe ſuæ credidit, quámque præverti rebus omnibus exiſtimabat æquum, fidei, fratris ſalu-

LOTHARII FASTVS.

ſalutem, alieniſſimo tempore, non negligere: igitur incommodis ſuis conſtantiâ obnixus inſiſtendum Lothario cenſuit: quem cùm non procul ab vrbe Antiſſiodoro aſſecuti eſſent, ceſſavit ſanè ignaviam formidinémque fratribus obiectare Lotharius, animoſiores quàm vellet expertus; ipſe copiam ſui facere non auſus, callidis colloquijs tempus ſedulò in Pipini adventum trahebat, famam interim captans optimi principis, quaſi conciliandæ pacis viam anxiè quęreret, ideóque ferrum ſtringere cunctaretur: quod etſi vanum erat, Ludovicus tamen & Carolus, qui omnia quàm bellum mallent, inſigni facilitate comiter omnia annuere, de iure ſuo decedere, &, ampliſſimis conditionibus propoſitis, Lotharium ad concordiam invitare, optione data, vt regnis Franciæ denuo diviſis, quamcunque vellèt partem caperet. Pipini tandem adventus Lotharij animum nudavit; miſſi è veſtigio, qui fratres ſine ambagibus docerent, ſe Imperatorem eſſe, animúmque tantæ maieſtatis capacem gerere, leges dare, non accipere; parem nec agnoſcere, nec pati; vnum impe-

imperij corpus vnius animo regendum. Ferox legatio pro classico fuit, fratrésq; tristi prælio, quod ex compacto in sequentis diei, qui VII. Kal. Iul. fuit, horam secundam indictum est, collisit. Pugnatum est penè ad exitium gentis Francicæ, cùm vinci evertíque, nisi à seipsa nusquam potuisset, nobilitatúsque est ea clade Fontoniacus vicus, vbi Francorum gloriam, quam Carolus M. ferè humanâ maiorem reddiderat, & formidatas orbi vires ab eiusdem nepotibus sepultas creditum est. neque deinceps de proferendis imperij finib. cogitatum, cùm etiã de partis tutandis desperaretur; Victoria nullum triumphum habitura ijsdem cessit, quorum melior causa fuit: Lotharius fugiendi non ante finem fecit, quàm Aquisgranum attigit; Ludovicus & Carolus castris potiti, quasi debellatum esset, ferrum condiderunt, notabili pietatis documento, plus tamen victis, quàm victoribus profuturæ: Impunitas promptiùs hostibus promissa, quàm acceptata; cæsis quoque acie honor funeris habitus; quíque tam pertinacibus odijs inter se concurrerant, tumulis

Exitiale inter Fr. Prælivm.

Regin. in Chro. & Sigeb. in Chron.

mulis sociati sunt. Parentatum iisdem Christiano ritu, votiva prece & tridui ieiunio: tum denique placandæ numinis iræ, si quam eo bello meruissent, ipsi etiam ad arbitrium sacerdotum expiati eodem in loco odia contumularunt. quibus ritè peractis Carolus in Aquitaniam, Ludovicus in Germaniam abiere. Lotharius cùm præter spem tempus sibi datum reparandi exercitus vidisset, eò strenuè vsus fratribus commodùm dissociatis infestus imminebat, sparsâ etiam in vulgus fabulâ, quasi Carolus bello perîsset, Ludovicus graviter saucius ægrè vitam tueretur, quem nullo negotio Salzæ in Thuringia se oppressurum regníque finibus exacturum minabatur: sed gloriosis dictis eventus non respondit: infecta re Wormatiam reversus in Carolo tentare fortunam statuit, nihilóque faventiorem expertus, trita, inter irritas molitiones, hieme, Aquisgranum se recepit. Ludovicus interim nec sibi nec fratri defuit, reparatóque exercitu, anno proximo, qui quadragesimus secundus fuit, in Franciam properavit. Rheni ripam iterum Otgarius Moguntinus

A. DCCCXLII. LVDOVICVS CVM CAROLO NOVA FOEDERA SANCIT.

nus Episcopus tuendam susceperat, odio in Ludovicum maiore, quàm viribus: sed Caroli adventu nunciato, ne vtrinque à fronte & tergo premeretur, Rheni custodiam deseruit; ita reges fratres nemine prohibente Argentorati congressi, nova fœdera sanxerunt, quorum vt causæ publicè extarent, Ludovicus exercitum circumfusum in hanc sententiam est allocutus: Vtinam hanc ' fratri nostro Lothario mentem Deus ' dedisset, vt fœdera sanguinis, quę in ipsis ' cunabulis, paciscente natura, contraximus, tam sancta crederet, ne alio fœdere ' opus esset; aut certè hanc miseram necessitatem nunquam nobis attulisset, vt ' adversus ipsum tale invitis præsidium esset quærendum; quemcunque nobis alium fortuna vel invidia hostem obiecisset, in eo cõmunibus viribus profligando, ego & Carolus concordis benevolentiæ documenta dare, & vicissim à vobis virtutis & fidei exempla petere maluissemus. Nunc quando illius ambitione & pervicacia in eum res deducta locum est, vt nos adversus fratrem tueri ' præter ferrum nihil possit, neq; aspicere '

' nobis illum nisi armatis liceat; non sumus iniurij in pietatem, si, quod circumventis deprehensísque natura ipsa subijcit, opem vel à nostro robore petimus, vel ab alieno mutuamur; nisi tam vilis nostra nobis vita, quàm exosa fratri est; quæ quidem etiam si prodigenda foret, mallemus tamen cuiusvis potiùs, quàm fratris esse hostia; quanquam ille post patrem toties bello petitum, etiam duplicis fratricidij infamiam apud posteros ambire videtur; sæpius certè avidiúsque iugulum nostrum, quàm amplexum petivit; & si tam felix, quàm impius fuisset, pridem opima spolia ex fratribus regibus tulisset. Sed superûm benignitate vestráque virtute factum est, commilitones, ne ferrum illius latera hæc contingeret, vestrum iugulo illius immineret, nisi nostra illud pietas revocasset, quæ iusta acie victum, prohibitis, qui insequi fugientem volebant, vltro è manibus emisit; copiarum ipsius reliquijs ita pepercit, vt militem extra pugnam nullum amiserit; quamquam clementiæ nostræ quodnam aliud pretium retulimus, quàm vt iterum eosdem

dem timeremus; quique suam nobis vitam debent, nostram ereptum redirent? Horum implacabilibus odijs iusto pióq; fœdere obnitimur, communem fortunam, vtcunque res ceciderit, habituri; vt neque vos diutiùs sacramento vestro teri milites velim, quàm datæ fratri meo fidei memorem me esse videbitis; idem ille dies, qui hos animos dissociaverit, à meo vos imperio absolvet. nolo quemquam regi suo fideliorem vivere, quàm me sibi frater meus sensurus est. Hæc cùm præfatus esset, fœdus vterque rex icit; Ludovicus lingua vsus est, quam ex Latina detortam depravatámque Romanæ nomine Nithardus dignatur, quæ hodie Galliæ vernacula est: Carolus Teutonicâ respondit. Reges præeuntes vterque exercitus secutus solenne sacramentum dixit. Formulas ipsas apud Nithardum videre est, horridiores vtique, quàm nostri ævi elegantia ferat. Atque hactenus nobilissimus idemq; doctissimus vir Marcus Velserus Reip. Augustanæ Duumvir BOIORVM res narrando perduxit; quos ego eodem iure felices appellem necesse est, quo Achillem Ale-

MARCI VELSERI ELEGANTISSIMI ACCVRATISSIMIQ. BOIORVM HISTORICI ELOGIVM.

Alexander; quòd & ipsi talem laudum suarum nacti sunt præconem, dignissimum certè, qui Livio veterum BOIORVM res Romanæ historiæ inserenti successor daretur; eóque minùs molestè fero, eum sæculi nostri Tacitum à quibusdam indigetari; etsi enim eo nomine non amplissimè laudatum intelligo, BOIIS tamen gloriosum erit, suæ quoq; genti Livium & Tacitum laudatores obtigisse: at enim quia illi egregiè cœpti cursus metam mors invidit, nos, quo possumus pede, certissimo duce destituti, cuius Manibus bene precamur, iter prosequemur. Fœdere icto reges diversis itineribus progressi Wormatiam inter Moguntiámque coniunctis castris consedere; quo in loco dum legatos ad Lotharium in Aquitaniam missos & Carolomannum Ludovici filium præstolantur, omni inter se officiorum genere certarunt; vnà cibum, vnà quietem capere, in commune consulere, miro animorum sententiarúmq; consensu; exercitus eâdem, qua fratres, caritate devincti ludicra ciere certamina, divisísque bifariam aciebus concurrere ad simulacrum

BENEVOLENTIÆ FRATERNÆ CERTAMEN.

crum pugnæ, fratribus ipsis ducibus; virtutem ostentare sine invidia; omnes alijs de gloria, de benevolentia nulli concedere; vt, quod in tanta ingeniorum populorúmque diversitate miraculi vicem obtineat, speciem vnius familiæ duo maximi exercitus præberent & concordiam propè vincerent. Carolomannus interim cum instructissimis BOIORVM Alemannorúmque copijs cum patre Moguntiæ se coniunxit: Bardo etiam ad Saxonum voluntates explorandas missus, gentem illam totam à Lothario abalienatam in duorum fratrum potestate fore renunciavit. at quò lætiora hæc fuere, eò molestiùs accidit, quòd Lotharius legatos nec conspectu nec alloquio dignatus habere irrisui dicebatur; quam insolentiam non ferendam rati reges, tripartito agmine progressi in villa Sentiaca hærentem crebrísque suorum transfugijs nudatum sine dubio oppressissent, nisi præcipiti ad Rhodanum vsque fuga ablatus, famæ insuper mendacio sibi cavisset, quæ ipsum transcursis alpibus in Italiam redijsse vulgaverat, qua inducti fratres ab eo persequendo desti-

CAROLOMANNVS LVD. PATRI AVXILIA ADDVCIT.

LOTHARII FVGA.

destiterunt, conventúque Aquisgrani celebrato, ex Pontificum sententia, quidquid Francorum, extra Italiam, imperio continebatur, æquis inter se partibus diviserunt; nulla fratris habitâ ratione: & Ludovico quidem Germania omnis, Gallia Carolo cessit, ad quam cùm ordinandam esset profectus, Ludovicus novis Saxonum motibus excitus ad eosdem componendos Coloniam abijt. Inde Verdunum, quò Carolus etiam venturum se condixerat, regressus, de Lotharij novis molitionibus certior factus est; nam Matiscone rursum speciem aliquam exercitus collegerat; sed neque duci, neq; militi crebris cladibus commitigato valde iam bella placebant, fortunam suam vtrisque damnantibus, cui semper mortales convitium liberiùs, quàm ambitioni suæ faciunt. Igitur quod olim sine armis & sanguine, fratribus vltro deferentibus, æquissimo iure, obtenturus fuerat, id nunc pro magno per legatos exambire cōtendit; vt quidquid præter Italiam, BOICAM, Aquitaniámque Francici iuris esset, in sortem conijceretur; id cùm fratres insigni facilita-

NOVA PROVINCIARVM SORTITIO.

litate concessissent, centum & viginti proceres communiter delecti, quorum in ea sortitione iudicio staretur. Sed res operosæ diligentiæ eo anno confici non potuit. Ludovicus interim per æstatem Saxones tumultuantes compescuit. Plebs illic nobilitati obnoxia nuper à Lothario ad pileum vocata fuerat, vt dulci libertatis pollicitatione delinitam suis partibus adiungeret; qua occasione plebs strenuè vsa, armata dominos invasit, illísque de fastigio deiectis vicarium sibi regnum vsurpavit. Sed Ludovicus terrore armorum ostentato, conditionis admonitam iterum sub iugum misit; conspirationis duces insolentiam capite luerunt; ipse sub finem anni in BOICAM reversus est, vbi Bathuricus Reginoburgensium antistes decessit, liberalissimum semper Ludovicum regem expertus, quando & ius in D. Emmerammi monasterium, quod Episcopis abrogatum fuerat, ipso annitente recuperavit, & ab eod. ampla ditione in Hunnorum provincia auctus est. Manseense quoque monasterium ab Hemma Ludovici regis coniuge accepit, cùm ei vicissim mo-

LVDOVICVS BOIVS SAXONES DOMAT.
Annal. Fuld. Herman. &c.

BATHVRICI EP. MORS.

nasterium Superius dictum Deiparæ Virgini sacrum Reginoburgi remisisset. Sequenti anno cùm Augusto mense tres fratres Virduni convenissent, imperium omne Francorum trifariam divisum est: quæ occidentem spectant Carolo, orienti viciniora Ludovico cessere, penes Lotharium Imperij nomen, cum Italia & æqua regnorum portione, inter vtriusque terminos sita, mansit; tum iureiurando dato acceptóque invicem, illius diei acta confirmata sunt, sublatísque è medio dissidijs, pax constituta. Huic pacificatorio conventui Erchanbertum Frisingensem antistitem interfuisse ex libro Donationum eiusdem Ecclesiæ constat.

ANN. DCCCXLIII. PROVINCIARVM INTER FFF. DIVISIO. *Annal. Fuld. Herman. Regino, &c.*

fol. 149.

VIII. Nunc quæ ductu auspiciísque Ludovici in Pannnonia gesta sunt, exequar; quæ si suis temporibus reddere voluissem, interrumpenda necessariò continens de fratrum capitalibus odijs narratio fuerat, quam vniversam in conspectum dari haud paulò aptius visum. Iam superiùs à me narratum est, Hunnis à Carolo debellatis & ferè occidione deletis, Slavorum Boiorúmque in vacuam

cuam possessore provinciã colonias deductas, limitibúsque ab Imperatore præfectos impositos; quorum nomina vt quique sibi mutuò successere, adhuc extant; Gonterannus, Werenharius, Albricus, Gotefridus. sed, Ludovico rerum in BOICA potiente, Rathbodus fines tutatus est, ad quem cùm Prininna sive Pryno à Moymaro Moravorum duce proscriptus transfugisset, Ludovici regis fidem expetijt: à quo comiter habitus Christiana etiam sacra suscepit, diúque Rathbodo quàm familiarissimè vsus est. Tandem, incompertum qua causa, sive levitas animi ea fuit, sive spes amplioris fortunæ, repentè ex amico hostis effectus, Ratimari Bulgarorum Ducis partibus accessit, ciúsq; legatum Hecilonem, qui ea tempestate Pannoniæ fines infestus incursaverat, armis iuvit. Sed Rathbodus Ludovici iussu hosti obviam progressus, nullo illum loco passus est consistere, magnísque cladibus multatum è provincia eiecit. cuius fuga cùm Prynonis etiam spes prostravisset, non minor vecordiæ illum pœnitentia, quàm pudor subijt: Optimum tamen factu

Ex fragm. vetere de Convers. Baioariorũ & Carantanorum. Ex edit. Marq. Freheri cum scriptis Bohemicis.

RATHBODI PANNONICI LIMITIS PRÆFECTI RES GESTÆ.

PRYNONIS MORAVI TRANSFVGIVM.

FIDEI CVLTÆ PRODITÆQVE EXEMPLA.

visum Rathbodo sese permittere, cuius cùm placabiles iras nôsset, brevem errorem pristinis officijs suis condonandum credebat; neque sua illum spes fefellit; Sauo traiecto, conciliatore Salachone Comite vsus veterem apud Rathbodum gratiæ locum obtinuit, quem ea fidei constantia tutatus est, vt dignum Ludovicus iudicarit, cui iuxta Savum flumen magnum agri modum contribueret beneficiario iure possidendum: quem locum deinceps inductis coloniis longè celeberrimum reddidit, & multis ædificijs exornavit, stabiliendísque fortunis, arcem insigni opere molitus sacra æde instruxit, quam Luitpramus Archiepiscopus Salisburgensis Deo Deiparæque consecravit ipso anno octingentesimo quadragesimo, VIII. Kal. Februarij. Neq; hîc constitit eius pietas; mox pluribus in locis ab eo templa excitata, Luitpramo architectos materiariósque submittente. quo religionis ampliandæ studio permotus Ludovicus rex, octavo deinceps anno, cum summa absolutáq; potestate provinciæ ab eo tot impendijs excultæ Prynonē præesse iussit, salvo tamen

PRYNONIS APVD LVD. BOIVM GRATIA.

PIETAS.

In edit. Freheri corruptè legitur.

DCCCL.

men Ecclesiæ Salisburgensis iure; acta in tabulas publicas relata. Reginoburgi summorum virorum auctorirate firmata sunt, quos inter Luitpramus Salisburgensis, Erchenbertus Frisingensis, Erchenfridus Reginoburgensis Antistites primo loco recensentur. Pryno sibi, quoad vixit, constitit, veterisque perfidiæ maculam maximis virtutibus non modò texit, sed obruit. Luitpramus antecessorum exemplo, Othone Episcopo mortuo, Slavis Osvvaldum eadem dignitate præfecit. plures etiam, qui sacra procurarent & divina iura populum docerent, submisit, quos inter Sunarnagellus & Alifridus insigni præ cæteris doctrinæ fama floruere. Verùm dum Prynonis studio Christiana res ea, quæ diximus, incrementa capit, parte alia Obodritorum patefacta defectio est. Rex Gozzomvillius, quem Gestimulum alij vocant, iugi impatiens gentem ad arma concitarat, infelici temeritate, quæ illi exitium attulit; nam inter ipsa initia oppressus, regno & vita exutus est. bellum quod cum eo gestum est, non tantùm exitu insigne fuisse, vetus annalium conditor

ANN. DCCCXLIV. *Annal. Fuld. Herm. Sigeb.*

OBODRITI à LVDOVICO BOIO DOMITI.

ditor vno verbo significasse satis habuit, quando Populum, Rege cæso, diuinitus subiugatum scripsit. Victoria Ludovicus prudenter vsus est; mutata reip. forma, pro rege genti duces imposuit, eósq; exteros omnes & spectatæ fidei, opportunum perduellibus frenum.

Lapsus est Schaffnaburgensis; cùm pro Ludovico Lotharium supposuit in Chro. Ann. Fuld. Aim. l. 5. Item in libello de transl. S. Germ. Herm. Sigeb. &c:

ANN. DCCCXXXXV. NORTHMANNORVM IN FRANCIAM IRRVPT.

Annus quadragesimus quintus Franciç regno luctuosissimus fuit; Dani, quos Northmannos illa ætas appellabat, cum valida classe, Ragenario duce, Sequanam ingressi, nemine prohibente, Parisios vsq; penetrarunt; quam vrbem ipso Paschatis pervigilio, incolis metu dilapsis, vacuã ingressi omnibus barbaræ *di*ritatis exemplis impleverunt. Sacrũ profano quid distaret, impio militi & nulla religione imbuto expendere curæ non fuit; donec superis ipsis pro aris templísque pugnãtibus, sceleris sui gravitatẽ ex suppliciorũ mole, quç irato cælo pependit, vel invitus cœpit agnoscere; certè plus morborũ, quàm spoliorum ablatũ; lues infanda etiã fugientes secuta fœdè totũ latronum exercitum confecit. Mira sunt, quæ Kobbo Ludovici BOIORVM regis legat⁹, cùm ab Horuco Northmanno-

KOBRO LVD. BOII AD HORVCVM REGEM LEGATIO.

Boricum alij appellat; alij Rericum.

norũ rege redijſſet, retulit: cuius mittendi eã cauſam fuiſſe exiſtimo, quòd Dani etiã Saxoniam vexaverant, caſtello Hamburgo, quanquã non ſine iactura, direpto: quod cùm ad regnũ Ludovici pertineret, fecialem ab eo Kobbonem miſsũ veriſimile eſt. is ingentium ærumnarum, quæ ſacrilegis prædonibus, incredibili atrocitate, incubuerunt, oculatus teſtis, ſpectatas à ſe deinceps tragœdias publicavit. Eminuit ante alios in ipſum latronum ducem Ragenarium vindex Dei manus, qui cùm immenſam auri vim in Horuci principis conſpectu effudiſſet, & revulſos ex porta vrbis Pariſienſis vectes truncúmq; trabis è D. Germani cœnobio exciſæ, infamia ſpolia, iactabundus velut in triumpho oſtentaret, impiáque dicacitate bellum ſibi cum vivis negaret fuiſſe, ſed cùm larvis tamen ſe luctatũ; quòd in Francia tumuli tumultuari ſoleant; nam præter Germanum capularem ſenem & iam olim defoſſum, mortaliũ neminem auſum ſecum congredi; intempeſtivam vrbanitatẽ novo ſupplicij genere exſolvit: in eodem enim veſtigio oppreſſus afflictúſq; ſolo, miſerabili qui-

Baron. ex Aimoini lib. de transl. S. Germani recitat.

RAGENAR. NORTHMANNI IMPIETAS VINDICATA.

quiritatu regiam complevit, Germanũ inclamans vindicem sceleris sui, cuius sibi manibus animam elidi sentiat: cúmque triduum integrum inter tormenta exegisset, ad vota non profectura conversus, statuam auream ad sui corporis modum fingi iussit, quam Kobbo legatus placando Germano piaculare anathema Parisios deferret, promissione adiecta, simul ac vires recepisset, Christo se nomen daturum: sed irritæ preces pondus non habuere, novúsque sui sæculi Antiochus vltima omnia passus, follísque in morem inflatus, confusis sensibus, monstrum hominis, rupto tandem ventre infelicem animam cum visceribus eiecit. votivum aurum templo receptum non est, ne impurissimi latronis imago sanctitatem loci inquinaret. Similem exitum reliquorum fuisse idem Kobbo retulit; quin insontes etiam grassantis luis contagione carpebantur, vt quotidianis funeribus Libitina non sufficeret; manasśetque malum latiùs, nisi Horucus feralem illam regni sui pestem carnificis gladio subiecisset: præcisa capita Christianis, quos captivos abstraxerant,

rant, annumerata, iíq; ſine pretio dimiſſi memorabilem de ſuis victoribus triumphum egerunt, quo nonnihil acceptæ cladis emollita eſt acerbitas. Lætior in regno Ludovici ſtatus, cui id inſigne hoc anno ad memoriam accidit, quòd dynaſtæ duodecim ex Bohemia, cum magna popularium ſuorum manu, ad illum tranſgreſſi Chriſtiana ſacra expetierunt; quos Ludovicus benevolè complexus pietatis magiſtris excolendos tradidit, cæleſti deinde lavacro diem opportuniſſimum legit, octavum ab illo, qui Orientis Principibus Deum in cunis vagientem adorantibus ſacer eſt. Sub autumnum Paderbornæ conventus egit pluriúmque gentium oratores audivit; nam & Northmanni & Slavi & Bulgari illum adiere. denique Fratrum etiam legatis reſponſa dedit; ex itinere ad Hersveldenſe monaſterium delatus multa Monachis indulſit, quæ in tabulas relata ſunt. eoſdem Otgero Moguntino Antiſtiti reconciliavit. Sequens annus, qui quadrageſimus ſextus fuit, iteratis odijs fratres reges inter ſe colliſit. Accenderat animos vetus bellorum cauſa, raptus

Annal. Fuld. *Herman. Sigebert.*

DVODECIM BOHEMI PROCERES LVD. BOII STVDIO CHRISTO DANT NOMEN.

Lamb. Schaffnab.

ANN. DCCCXLVI.

NOVÆ INTER FFrr. REGES SIMVLTATES.

Annal. Fuld. Hermann.

raptus Helenæ. Nam Giſelbertus vir potens de Caroli regno, Lotharij filiam vi abductam ſibi in Aquitania deſponderat: id Lotharius Carolo conſcio, ſi non ſuaſore, factum credere maluit, quàm inquirere; neque enim aliàs inviſum illum generum ſuum intra regni limites paſſurum fuiſſe. Ludovicus vt gliſcentem flammam tempeſtivè extingueret, vltro ad Carolum profectus, cùm eius expertem conſilij comperiſſet, publica teſtificatione facinoris patrati conſcientiã à ſe pariter Carolóq; amolitur: ad lacum deinde Brigantinum, actis paſchalibus Ferijs, cum fratre Lothario congreſſus, omnia egit, vt eum cum Carolo in gratiam reduceret; ſed occupatus animus ſibi ſatisfieri non eſt paſſus. Adulta iam æſtate, cùm certis nuncijs Moravorum animos ad defectionem inclinatos cognoviſſet, oſtentato propiùs terrore armorum, turbida conſilia diſcuſſit. Raſticem etiam Moimari, cuius iam ſæpius facta eſt mentio, nepotem genti Ducem dedit. Rebus compoſitis, cùm per Boiohemum exercitum reduceret, cladem paſſus eſt, quam tamen Bohemis magno ſtetiſ-

LVD. BOIVS PACIS STVDIOSVS.

MORAVORVM MOTVS COMPRESSI.

ſtetiſſe, ex Lamberti Marianique anna- *Lamb. Schaff-*
libus cognoſcitur. Salisburgi Ruper- *nab. Mar. Scot.*
tinam ædem S. Virgilij nobiliſſimum o- *in Chron.*
pus incendium deformavit. Quadrage- *Hund. in Me-*
ſimum ſeptimum annum publica pace *trop. in L VI-*
florentem fratrum Lotharij & Ludovici *PRAMO.*
concordia lætiorem reddidit: iucundiſ- ANN.
ſimum inter eos amoris certamen exar- DCCCXLVII.
ſerat alternis convivijs mutuáque liber- FF. REGVM
alitate frequentatum: vnus ille de Caro- CONCORDIA.
li fratris iniquo erga ſe animo Lothario *Ann. Fuld.*
aculeus hæſit pertinaciâ ſuſpicionis cō- *Herman.*
firmatus, quæ innocentibus iuxta atque
nocentibus implacabilis. Moguntiæ Ot-
gero mortuo Rhabanus ſui ævi Phœnix
ſucceſſit, ille operoſi poëmatis, quo Æ-
ternæ Crucis laudes canuntur, auctor,
aliiſq; monumentis ingenij nobilis; qui
mox, ex Ludovici ſententia, coacto pa-
trum concilio, multa egregia, collapſis
moribus reſtituendis, ſanxit. Extat cum *Tom. 3. Concil.*
pſis actis Patrum ad Ludovicū epiſtola in *Venet. edit.*
qua ex merito ſuo *ſtrenuiſſimus rector,*
ac defenſor ſanctæ Dei Eccleſiæ appella-
tur: decretæ eidem ſupplicationes vo-
táque pro illius ſalute facta, tam copioſè

quidem & ferventer, vt *Missarum ter mille quingentarum & psalteriorum mille septingentorum numerus* ex symbolis collectus gratum Catholico Regi munus transmitteretur. Adducta est in eorundem patrum consessum celebris præstigiatrix Theoda nomine, quæ veteratorijs artibus ementitísque oraculis sui seculi Sibylla audiebat. familiare cum cælo commercium & domesticos Genios ad suum obsequium emancipatos iactabat; illis se nuncijs arcana diuinitatis cognoscere & ordinem Reip. humanæ: quæ quò *im*pudentiùs fingebantur, tantò promptiùs credita sunt; pendebátque ab ore illius non modò plebs obnoxia ludibrijs, sed sacri homines & magna professi hanc suo æuo magistram contigisse gratulabantur: illa stultitiâ abusa mortalium, adesse mundo vltimum diem, qui humanum genus sepeliret, attonitis minabatur; vt multi positâ vitæ curâ momenta numerarent ruituri orbis, felicissimos arbitrati eos, quibus Theoda patrocinium apud Superos pollicebatur,

Annal. Fuld.
Herman.
THEODA PRÆSTIGIATRIX.

velut

velut tesseram, beatæ immortalitatis; emebatúrque hic favor maximis ab illa opibus, quarum vilissimum tunc pretium fuit, tanquam apud mox perituros. His terriculamentis cùm Alemanniam implesset, comprehensa à Salomone Episcopo Constantiensi, & Moguntiam, adducta conspectum gravissimorum, patrum non tulit, quibus imponi posse desperaverat; fassáque est, sibi facilem hanc ad opes viam à sacrificulo monstratam; ex eo tempore instituisse fumos vendere, & quæstuosissimum mercimonium expertam: secta deinde flagris vaticinandi artem sub fascibus lictoris eiuravit.

Anno quadragesimo octavo Lotharius cum Ludovico ad Rheni & Mosellæ confluentes congressus omnes fratri machinas intendit, vt eum à Caroli amicitia abduceret, quem si tali presidio nudasset, tum scilicet imparem invadere obrueréque, nullius negotij iudicabat; sed Ludovicus impia de fraterno capite comitia detestatus, negavit se alterius fratris benevolentiam alterius proditione empturum: & miserum vtique

ANN. DCCCXLVIII LVD. BOIVS AD DESERENDAM CAROLI FR. AMICITIAM INVITATVR. *Ann. Fuld.*

 fidei

Annal. Fuld. Hermann.
LVDOVICVS LVD. F. BOHEMOS SVPERAT.

fidei pignus tam nobilem perfidiam futuram. Et verò Ludovicus insignem pietatis suæ fructum tulit, quando paulò pòst triumphantem de Bohemis Ludovicum filium recepit, qui in patris regnum irrumpere conatos tanta vi repressit, vt pacem per legatos petere & dare obsides coëgerit. Ad Kal. deinde Octob. cùm Moguntiæ conventus ageret, fratrum suorum, tum etiam Northmannorum Slavorúmque oratores audivit, & domesticas insidias in Rhabanum Episcopum compertas, prudenti dexteritate discussit, & meditati sceleris convictos cum Patrono in gratiam reduxit. Gisalbertum etiam, quem Lotharius, ob raptam filiam, capitalibus odijs prosequebatur, è regno Caroli profugum Lothario per legatos in Theodonis villa conciliare contendit. Gotschalcum pestilentem hominem & vitiatæ doctrinæ venena spargentem communíque patrum sententia damnatum proscripsit, iuramento adactum in regnum Ludovici malum pedem nunquam allaturum.

ANN. DCCCXLIX.

Proximo anno cum Bohemis infelici-

liciter pugnatum est, Ducum superbiâ, quæ nusquam gravius, quàm in bello peccat. dederant in eam expeditionem nomina procerum nobilissimi quique; etiam è sacro ordine; copijs omnibus cum summo imperio Ernestus præerat regi in paucis charus, Nariscorum præses & limitis custos. Initia belli egregiè se dabant; nulla re par nostro militi hostis munimentis se tenebat; sed Ernestus viribus animísque suorum fretus, ad castra ipsa oppugnanda accessit: ibi acris pugna edita; cùm hostis loco, nostri virtute vincerent; cadunt vtrinque multi, plures vulnerantur; ex quibus etiam Dachulfus partium nostrarum dux Sorabici limitis præses secundum genu sagitta ictus est. Castra etsi capta tunc non sunt, illorum tamen in posterum tuendorum hostibus spes adempta. Igitur de deditione agi cœptum, evocato ad id illo ipso, quem modò nominavimus, Dachulfo, ob peritiam linguæ, & quòd cætera etiam virtute olim cogniti æquitati magis confiderent. Dachulfus, ne hoc ipsum ferociores hostes redderet, si saucium aspexissent, obligato vul-

CLADES IN BOIOHÆMO ACCEPTA.
Annal: Fuld. Hermann. Sigeb.

DACHVLPHI PRVD. MILITARIS.

AMBITIONIS VANITATISQ. EXEMPLVM.

nere, in equum impositus, dolorem animi constantiâ pressit & cum legatis pacisci cœpit. Æqua omnia & honorifica nobis postulaverant; quæ dum ad concilium ducum refert, quidam cœca ambitione abrepti fremere indignaríq; palàm, quòd confecti belli gloriam in se potissimùm transferre Dachulfus satageret; pacificatoris personam nunc ex equo agere, postquam pugna infeliciter cecidisset: quin potiùs arma viris relinqueret, & Sorabis suis extra teli iactum ius diceret; id claudum scilicet optimè facturum. Minimo minus nuper abfuisse, quin hostis castris exueretur; nunc metu perculsum, in vltima rerum omnium desperatione, mentionem pacis iniecisse, non apud summum belli ducem, cuius ea res arbitrij sit, quem conditiones non accepturum, sed daturum esse sciebat; sed apud eũ, qui quoquo modo bellum cuperet finiri, altero saltem crure integro, cuius illi, quàm famæ gloriæque potior sit cura; se quidem non passuros, victoriam sibi vnius imbelliâ è manibus eripi. Hæc duces per se, & apud exercitum haud paulò ferociorem iactare

ctare, pacem qualemcunque Dachulfus fecisset faceretque detestari, & turbidissimis vocibus prælium deposcere, vltrò locum ac tempus pugnandi sumpturi, si ab Imperatore non daretur. ergo conclamatum est ad arma & in Bohemos omnia alia cogitantes impetus factus; quibus cùm nec armandi sui tempus suppeteret, ipsa tamen nostrorum iniquitas animos dabat; cohortantésque se mutuò, scirent sibi cum violatoribus iuris humani diviníque negotium esse, nostros inconditè irruentes non excepe-runt modò fortiter, sed paventes lymphatísque similes, cùm non æquè vigeret in pugnam manus, atque paulò antè lingua in convicia diserta fuerat, ferro concisos, ignominiæque & vulnerum plenos in castra, pecorum more, egerunt; ad prædam conversi, per summum otium spolia corporibus detraxerunt, non modò nemine resistere auso, sed neque ad fugam satis animato: igitur versâ fortunæ aleâ, qui nullam antè pactionem auribus admiserant, iam ipsi pro capite decidere & pro magno impetratum velle, vti salvis corporibus abire

HOSTIS MALE CONTEMPTVS VINCIT LVD. BOII COPIAS.

ſibi inde liceret;in eam rem nulla conditionis fœditas recuſata eſt, quas inter illa fuit,ne de publica via decederent, vt per frequentia hoſtibus loca, velut in triumpho traducti, miſerabili ſpectaculo infeſtos oculos paſcerent:quæ clades, vt quibus auctoribus deberetur, publicè conſtaret, ſub idem tempus Hochſtadij, in agro Mogũtino,malus genius inſeſſi à ſe hominis ore profeſſus eſt,ſe in eo bello claſſicum cecíniſſe, & duabus Furijs Superbia & Diſcordia in partem iuvantibus,præclaras in Boiohæmo res egiſſe.

FVRIÆ BELLI CONCITATRICES.

A. DCCCL. *Annal. Fuld.* RORVCVS NORTHMANNVS LVD. BOII OPERA DIGNITATEM RECVPERAT.

Quinquageſimo ſuper octingenteſimũ anno, Rorucus Northmannus gente, domi ſuę nobilis,vetus Ludovici Pij cliens,à quo Doreſtadium vrbem precario imperio regendam acceperat, apud Lothariũ maieſtatis, nullo ſuo merito, poſtulatus,prævalentibus, qui in illius perniciem conſpiraverant, accuſatorib⁹, in cuſtodiam datus eſt; è qua brevi elapſus ad Ludovici BOIORVM regis fidem confugit, certiſſimum apud illum innocentiæ ſuæ perfugium patere exiſtimans; cui cùm cauſam ſuam facilè probaſſet, honeſtiſſimè habitus & in Saxonũ Northman-

mannorúmq; confinio collocatus, brevi popularium suorum clientelis auctus potentiam recuperavit; adornatísq; navibus, illam Galliæ oram, quæ Lothario parebat, infestam habuit; invectúsque per Rheni ostia Dorestadium vi recepit: vbi cùm se munivisset, vt sine vi pelli non posse videretur, Lotharius, ne alieno tempore dubio bello implicaretur, obliterare offensas, quàm lacessere fortem virum maluit, vltro delatâ maritimæ oræ præfecturâ, vt eam cum fide adversus Danos tueretur, & portoria vectigaliáque in ærarium inferret. Eadem tempestate fame laboratum est ad perniciem vsque mortalium, editáque passim sunt sævissimæ calamitatis miseranda exempla. Ad Rhabanum Moguntinensium antistitem tota egentium examina convolabant, quorum ille tenuitatem quotidiana stipe largiter sublevabat. Fuit, cùm fœmina infantem vlnis complexa eandem sportulam ablatura, in ipso portæ limine extincta est; nihilo secius tamen miseranda soboles parentis vberibus inhians vitæ subsidia à mortua expetebat; cuius acerbitati spectaculi

FAMES CALAMITOSISSIMA.

nemo non illacrymavit. Atrocius est quod sequitur; Grabfeldensis colonus famem fugiens cum vxore & tenera prole, iter in Thuringos arripuerat, vastúmque nemus ingressus scelestum & nulla necessitate excusandum consilium ceperat, filioli mactandi carpendíque in cibum, vt quem paulò pòst vnà secum moriturum diceret, & in pabulum feris cessurum: matre dirum nefas abominante, ad tempus repressa sævitia est; sed exacuente mox iterum rabiem fame, è repugnantis sinu moriturum abripit strictóq; ferro quærebat vulneri locum; Trepidanti tamen ad vltimi sceleris infamiã, & cum reliquijs oppressæ humanitatis luctanti commodùm duo lupi oculis obiecti semesam cervam dilaniantes, in quos reductum à filio ferrum cùm vertisset, innoxia præda, fugatis lupis, potitus est; cuius frusta cruore manantia cùm vxori ostentasset, decepta specie mulier, artus eos filij rata, defecta viribus concidit, ægrè ad aspectum recepti pignoris recreata.

IX. Proximo anno Sorabi tumultuantes Francorum agros vsserunt, magno

A. DCCCLI.

malo

malo suo: nam Ludovicus per Thuringiam ducto in eos exercitu, cladem, quã intulerant, iisdem cum fœnore est remensus; latè agrum omnem populatus, Sorabos ad vltimum inopiæ adduxit; ita bellum sedendo confecit, faméque edomitos ad deditionem compulit. Quinquagesimus secundus annus conventibus vtriusque ordinis, Moguntiaci, iussu Ludovici actis, celebris fuit: Sacro Rhabanus Archiepiscopus præfuit; adfuere frequentes ex Orientali Francia, BOIARIA, Saxonia Episcopi, & cœnobiarchę: principum præfectorúmque provincialium comitijs Ludovicus ipse præsedit, rebúsque ex sententia confectis, auditísque Bulgarorum Slavorúmque legatis, in BOIARIAM redijt, vbi non diu moratus Coloniam secundo Rheno descendit: inde à colloquio cum Lotharij fratris proceribus habito digressus, in Saxonia ius publicè dixit, vsitatis tribunalium corruptelis medicinam facturus: nam prætores passim non aliter ad forum, quàm ad auream messem convolabant, lites tum demum decidere soliti, cùm litigantes exsuxissent, pertinacissimæ

SORABI à LVD. BOIO DOMITI. *Annal. Fuld. Hermann.*

ANN. DCCCLII.

MOGVNTIÆ CONVENTVS HABITI. *Annal. Fuld. Herman.*

LVD. BOIVS IVDICIORVM CORRVPTELAS CORRIGIT.

mæ pecuniarum hirudines; vt multis vadimonium deserere vtilius esset, quàm causam prosequi, minùs actori, quàm patrono & iudici profuturam. Dum iudiciorum formulam constituit, illámq; fori tabem repurgat, possessiones etiam nonnullas vetere optimóque iure suas recuperat, invasoribus iniustisque incubatoribus pulsis. inde in BOIARIAM regressus Ratisbonæ hibernavit, quæ amisso Erchenfrido Embricum præsulem hoc ipso tempore accepit. Sequens annus Galliæ luctuosus extitit. Northmannorum rabies per Ligerim infusa Turones vsque grassata est: illic D. Martini templum religiosissimum totíque Galliæ sacrosanctum funesto incendio impunè deformavit. nam animorum, ad prædones vlciscendos, nihilo plus fuit, quàm nuper fuerat, fœdâ socordiâ. Sub idem tempus ex Aquitania legati ad Ludovicum venere rogatum, vt cum gentis longis fessæ malis hostiúmque furoribus obnoxiæ & à suis regibus desertæ patrocinio, etiam regnum susciperet, aut filiorum certè aliquem ad illud capessendum mitteret; id nisi impetrarent, indignis fœderibus eos sibi

ERCHENFRIDI EP. MORS.

ANN. DCCCXLIII.

NORTHMANNI GALLIAM VASTANT

Annal. Fuld. Herman. Sigebert.

LVD. BOIO AQVITANIÆ REGNVM DELATVM.

ſibi vel invitis conciliandos eſſe, quos Religionum diverſitas & ingenij ferocia procul à piorum amicitia ſubmoviſſet. Ludovicus conditionem non aſpernatus filium cognominem ſequenti anno in Aquitaniam miſit: ſed elanguerant ſcilicet effuſa illa ſtudia & tam ambitioſè delata: rari prodibant obviam, nec tanquam regi gratulaturi; ſola Gotzberti factio Carolo privatim inimica, ob Gotzbertum nuper iure, an iniuria ab eo occiſum, ſtipabat latera, aptior invidiæ conflandæ, quàm parando regno turba; de eo ſummum vbique ſilentium, nemine capti mutatíve conſilii rationem reddente, ne ob levitatem animi cuiquam eſſet erubeſcendum; quam cùm Ludovicus abunde exploraſſet damnaſsétq;, ſub autumnum ad patrem redijt. Northmanni cùm per continẽtia XX. annorum latrocinia, plus damnorum Galliæ quàm iuſtus vllus hoſtis intuliſſent, hoc anno inteſtino inter ſe bello colliſi meritas ſcelerũ ſuorũ, quibus cælum terráſq; vexaverãt, pœnas dedere. Partium duces Horucus rex, & Gudurmus fratris fili' fuere: hos tota gens in factio-

A.DCCCLIV. LUD. BOIUS FILIUM IN GALLIAM REGNI CAPESSENDI CAUSA FRUSTRA MITTIT. *Annal. Fuld. Herman.*

NORTHMANNORUM INTESTINUM BELLUM.

factiones ſciſſa ſequebatur. commiſſum eſt prælium atrox & cruentum: promiſcuum vulgus ſine numero cecidit; plebeio ſanguini etiam regius confuſus eſt; nam præter impuberem vnum, quem ſua ætas tutata eſt, nemo bello ſuperfuit regiæ ſtirpi annexus.

A. DCCCLV. MORAVORVM REBELLIO OPPRESSA à LVD. BOIO *Annal. Fuld. Hermann. Lambert.*

Anno quinquageſimo quinto Ludovicum Moravi exercuerunt, cùm eos Raſtices ille ipſe, quem Ludovicus principatum in ea gente tenere iuſſerat, ad arma concitaſſet: ſed bello appetiti intra munimenta refugerunt tam valido opere firmata, vt ab eorum oppugnatione Ludovicus neceſſariò ſibi putârit abſtinendum: *provinciam* tamen longè latéque populatus exercitum præda explevit, hoſtilémque manum caſtra ſua aggredi auſam occidione occidit. Sed quibus calamitatibus contuſos animos credidit, eæ ferociam multo maximè auxerunt, quæ vſq; ad Ludovici diſceſſum ſuppreſſa ingenti mox impetu in tranſdanubianam regionem erupit.

LOTHARIVS EX IMPERATORE MONACHVS

Lotharius interim regna & titulos tam cupidè olim quæſitos arreptoſque generoſiſſimo faſtidio abiecit, veréque ſecum reputans, tutius eſſe in cili-

cilicio mori, quàm purpurà, omnia maiestatis insignia cum Christi paupertate & centonibus permutavit, & coronâ comáque posita Prumiæ Monachum professus actæ vitæ optimam clausulam imposuit VI.Kal.Octobr.morte sic obita, quàm vita & imperio longè clarior. Regna in tres filios partitus Ludovicum Cæsarem Regémque Italiæ appellârat; Carolo Narbonensem Galliam & Burgundiam; Lothario Lotharingiam attribuerat, cuius ille possessionem non nisi annuente Ludovico Boio adijt. Sub idem tempus Frisingensis cathedra Annoni obtigit: hunc Hala vrbe, quæ Oeno adiacet Salinis nobilis, oriundum veteres tabulæ affirmant; qui cùm parentibus copiosis & nobilibus ex asse hæres successisset, patrias opes Episcopio Frisingensi transcripsit; cuius liberalitatem æmulatus Annonis nepos eidémque cognominis, quidquid Halæ rerum iurísq; habuit etiam ipse Frisingam transtulit. Anno sequenti Rhabano Moguntino Archiepiscopo extincto Carolus Pipini Aquitaniæ regis filius voluntate potissimùm Ludovici BOII successit. Fuldenses

Herm.3.Kal.

ANNO EP. FRISING.
Hund. in Episcop. Frising.

Lib. Tradit. Frisi. ms.

A. C. DCCCLVI.
Annal. Fuld. Lambert. Herman.

ſes monachi Hattoni Abbati mortuo Theodonem ſubrogarunt; Ludovicus itidem auctor factus. Auguſto menſe in Dalmatas, quos alij Dalemincios rectiùs vocant, ſuſcepta expeditio eſt, itinere per Sorabos inſtituto; prælium ex ſententia confectum; Dalmatæ in ditionem Ludovici concesserunt tributúmque pacti, fidem datam obſidibus firmarunt. inde cùm exercitum deportaret, in Boiohæmum deflectens aliquot gentis regulos in fidem recepit. Deſiderati ea expeditione præter ignobile vulgus Bardo & Erpho Comitum dignitate illuſtres. plus negotij ſequente anno in Boiohæmo fuit; Sclavitagus illic Wiztrahi Ducis filius tyrannidem arripuerat, cuius documentum primùm in fratre edidit, quem imperij conſortem non ferens, per ſummam iniuriam, avitis bonis & ipſa adeò patria expulit: is ad Sorabos fuga elapſus exilij mala miſerandus Cziztibori cliens vtcunque tolerabat. Sublato æmulo Sclavitagus cùm multo impotentiùs ageret, Ludovici in ſe iram vertit, qui Orgario Epiſcopo, Ruodolfo Palatij Comiti & Erneſto Erneſti

DALEMINCII SVBIVGATI.

SCLAVITAGVS TYRANNVS BOIOHÆMO EXACTVS.
Ann. Fuld.
Herman.

nesti filio summa rerum permissa, bellũ illud per legatos administravit successu felici. Civitas vbi fortunarum prædarúmque domicilium Sclavitagus constituerat, in potestatem venit; tyrannus fuga elapsus ad Rasticem Moravorum regulum similitudine ingenij facilè conciliandum se contulit: frater ab exilio reversus cùm fidem modestiámque Ludovico probasset, in honore habitus, eundem dignitatis locum, vnde frater scelere suo exciderat, ab eodem impetravit..

ANN. DCCCLVIII. *Annal. Fuld, Sigeb.*

Annus quinquagesimus octavus placidè cœptus penè cruentos exitus habuit; non tantùm externis bellis gliscentibus, quorum anniversaria vicissitudo ferreo illo ævo non numerabatur inter tristia; sed cognati sanguinis primùm odia, deinde etiam bella nuper defletas calamitates novis exemplis instaurarunt. Ludovicus BOIVS Moravis duce Rastice tumultuantibus Carolomannnum; Obodritis & Linonibus Ludovicum filios; Sorabis autem Tracholfum obiecerat; ipse ad reip. curam conversus pacis studia, velut in portu, tracta-

TRES LVD. BOII EXPEDITIONES. *fort. Dachulfum, de quo sup.*

 bat,

bat, cùm repente procella, vnde minimè timebatur, ingruens ipsum in medios fluctus expulit. Adehardus abbas & Otho ex optimatibus Galliæ mense Iulio Francofurtum ingressi & ad Ludovicum perducti legatos se pro communi reipub. salute ad ipsum missos affirmarunt; patriam ad vltimum malorum perductam supplices ad illum manus tendere precaríque, ne se barbaris prædę esse patiatur, quæ paulò antè, sub maioribus eius, iura legésque orbi terrarum dederit. In Carolo, inquiebant, iam olim auxilij nihil fuit, ex quo ad luxum deliciásque dilapsus fructum magni imperij maximam licentiam putavit, & pro regijs virtutibus sola potestatis insignia circumferens, regum Franciæ solium vana maiestatis vmbra & fluente purpura implevit. tolerandum tamen id miseris civibus fuit, quamdiu nec sibi nec publico vtilis ignaviâ sua patriam hostibus prodidit. Sed cùm ad inertiam tanta etiam crudelitas admigrasset, vt leviora essent, quæ ab hoste ferocissimo damna acciperent, quàm quæ inferebãtur à rege, victa nimirum est patientia

LVD. IN GALLIAM AD REGNVM INVITATVR.

vlti-

vltima passorum, neque haberi pro rege ‘
iam potuit, qui tyrannus, quàm patriæ ‘
pater esse maluit. verùm circumspicien- ‘
tibus auxilia contra duplices hostes, à ‘
quibus foris domíque bis miseri oppri- ‘
mimur, tu primus omnium, Ludovice, ‘
occurristi, quem iam olim nobis debi- ‘
tum habituri regem fueramus, nisi, iratis ‘
superis, hunc patris suorúmque fratrum ‘
degenerem partum infelix noverca & in ‘
nostras calamitates fœcunda effudisset. ‘
quanquam vt tam propinqua nomina ‘
desint, abunde tibi causarum sit, quòd ‘
desertos, quòd prædæ expositos, quòd ‘
tua misericordia dignos intelligis: ad e- ‘
vocandam in nostra subsidia humanita- ‘
tem tuam, satis est, illius adeò indigentes ‘
vidisse, qui maiorum tuorum similis & ‘
dignus Carolo Magno nepos, bene me- ‘
reri de omnibus, id denique putas Fran- ‘
cicum. Noli, obsecro, ad illius infamiæ ‘
necessitatem nos cogere, vt vivo & vi- ‘
dente te, alieno patrocinio sublevandi ‘
fuisse dicamur, & cùm tot gentes suam ‘
nobis libertatem & vitam debeant, quis- ‘
quam hominum in suis ponere titulis ‘
possit, se Francorum populum à regum ‘

„ suorum tyrannide & hostium infestatio-
„ ne vindicasse. Perplexum legatorum oratio Ludovicum reddidit; non quòd indignos auxilio censeret, si illud ferri salva pietate posset, vel certè honestate: blandas enim spes, quæ obijciebantur, tantundem ferè infamiæ, quantum emolumenti videbat allaturas; ad coronam nimirum se vocari, sed fratris capiti incumbentem, & non nisi gladio deijciendam; ergo iterum cum fratre bellandum, meliore fortasse, quàm olim causa; si modò fratri contra fratrem iusta vlla esse belli causa possit; certè famæ eam se vix probaturum, quæ ægre creditura sit, rem populi suâ sibi potiorem fuisse, cupidiúsq; salutem civium, quàm diadema petijsse: nimis enim notum iam vulgo regum artificium, qui bellis, dirissimæ rei, pulchras causas pręstruant, & bonum publicum obtentui sumant, ne ambitione vel avaritia dicantur arma induisse. Sed neque legationi ipsi tutum omnia credere; nuper Aquitanos eadem orasse; cúmque omnia exorassent, suam filiíque credulitatem illis irrisui fuisse; hos ipsos, qui nunc mutare dominum gesti-

gestiant, semel levitati assuetos, simul ac nova querimoniarum causa nata fuerit, aut præmium perfidiæ ostentatum, nullâ verecundiâ novum regem quæsituros, à quo ne fraudi ijs sit discessisse, veniã sceleris maiori scelere empturos; & se scilicet simul de corona & capite periclitaturum. Hæc quanquam Ludovici animum à legatorum postulatis averterent, vicit tamen diversa suadentium sententia, vt magnificentior regi & salubrior reipub. quam deserere oppressam, non esse modestiæ, sed soporis & ignaviæ. iret modò, quò vota publica vocarent; magni animi esse virtute niti, famámq; non minus, quàm invidiam contemnere, & vtriusq; iniquitati rectè facti conscientiam opponere. Responsum ergo legatis benignè; abeuntésq; rex, collecto Wormatiæ extemplo comitatu, Augusto mense est secutus; cùm Ponticonam pervenisset, proceres regni frequentes in illius verba iurarunt, ijs duntaxat exceptis, qui Caroli castra sequebantur; mox ad ordinanda regni negotia conversus, Concilium Episcoporũ ad VIII. Kal. Decembris convocat, cum illis de

ACCEPTAT CONDITIONEM LVDOVICVS.

GALLIAM INTRAT.

Baron. in annal. hoc anno.

repub. in commune consultaturus; sed suspectus Ludovici in alienum regnum ingressus & provida futurorum præsensio divinatióque domi eos continuit; libellum tamen, quo & absentiam excusabant, suámque super Ludovici facto mentem aperiebant, prolixissimè cordatissiméque scriptum, eidem ex Carissiacensi Palatio transmittunt, dignum profectò qui principum manibus oculísque teratur. Interea Carolus de improviso fratris accessu certior factus, omissis hostibus, cum copijs omnibus adversus eundem profectus Briaci obvium habuit; sed numero & viribus impar militem in aciem eductum & ad signum pugnæ intentum rebus suis diffisus sub cultro reliquit; qui mox ipse sibi consulens cum totis ad Ludovicum castris transijt. Fratri, cuius assequendi certissima spes, & ad eundem retrahendum è fuga concitatissima exercitus studia erant, pietatis memor nō institit; illius tamen discessu & effusis gentis erga se studijs in summam securitatem perductus, exercitum Germanicum, vt supervacaneum & gravem provinciæ à se dimisit; ipse consilia de

EPISCOPI FACTVM LVD. IMPROBANT.

CAROLVS FR. METV FVGIT.

de maximis rebus cum novis clientibus miſcere, fidem illorum ex vultu & dictis æſtimare, credere facilis, ſuſpectare neminem, & procul metu tanquam inter addictos devotóſque diverſari. Vtebatur præ cæteris familiariſſimè Conradi Comitis filijs, qui ſceleratam mentem & meditatas fraudes fucatis obſequijs doctiſſimè celabant; hi ad exploranda Caroli conſilia miſſi, captata illius conveniendi occaſione, ei modum rationémque dictant Ludovici opprimendi; quòd & parati nihil habeat, illorúmque fide nitatur, qui ſola perfidiæ ipſi documenta dediſſent: Cupidè hæc à Carolo accepta; parabatúrque, ijſdem auctoribus, certa Ludovico pernicies, niſi illum nunciata Sorabum defectio è Gallia in Germaniam tempori retraxiſſet: eo profecto, in fide nemo manſit, temporariíq; imperij fructum nullum præter invidiam abſtulit, qua & apud Nicolaum pontificem Max: & Ludovicum Imperatorem conflagravit, apud quos Carolus de fratris iniurijs conqueſtus fuerat; Ii ſuſcepto cauſæ patrocinio, cum Ludovico per literas expoſtulant, quòd prava

INSIDIÆ LVDOVICO STRVCTÆ.

SORABVM DEFECTIO LVDOV. è GALLIA REVOCAT.

INVIDIA LABORAT.

ambitione pacem publicam convellere, iuráque pietatis, fratre peſſundato, abrumpere auſus eſſet; monent etiam atq; etiam, ne nuper admodum ſepultas & nunquam ſatis defletas calamitates, quibus iactata miſerè Francia fuerit, cum humani generis pernicie, reſuſcitatas iterum patriæ infundat. Ludovicus vbi traductum iniquis criminationibus factum ſuum, ſéque haud procul abeſſe ab

A. C. DCCCLIX. FACTI SVI RATIONEM REDDIT LVDOV. *Annal. Fuld. Hermann.*

odio animadvertit, proximo anno fratrem nepotémque primùm per internuncios placare aggreſſus, eò rem deduxit, vti conſtituta die cum æquo amicorum numero, in Rheni inſula ad Aternacum oppidum congrederentur; illic Ludovicus, innocentiæ fiduciâ, facti ſui rationem reddere ingreſſus, neq; ſuſpicionem quidem ambitionis apud ſe reſidere paſſus eſt; fatigatum ſe legatorum infimis precibus, periclitantem Galliam & ad turpiſſima fœdera cum barbaris paciſcenda ruentem, opportuno adventu ſuſtentaſſe & in meliora fratris tempora ſervaſſe; id quanquam probaſſe fratri viſus eſt, tamen partium ſtudioſos in priſtinum gratiæ dignitatíſq; locum, quantum.

tumvis ſtrenuè adnixus, non reſtituit, inexorabili Carolo adverſum perfidos & peſſimi exempli auctores: ſpes tamen erat, vbi cum tempore inteſtinus remiſiſſet dolor, hanc quoque ſuorum iniuriam vel Ludovico, vel Reipub. condonaturum; eóque res integra in congreſſum alterum, qui ſub autumnum Baſileæ futurus erat, dilata. Ipſe interim Theodonem Abbatem Fuldenſem ad Nicolaum Pont. & Ludovicum Imper. in Italiam miſit, qui vtrumque, quale ſuum prioris anni conſilium fuiſſet, edoceret, ſéq; gráſſantibus ad contumeliam ſuam rumoribus eriperet. Theodo vtrobique legatione ex animi ſententia functus, in Ludovicum ex Italia redux apud lacum Brigantinum incidit: irrito itinere Baſileam acceſſerat, quòd regum neuter promiſſis ſtetiſſet. Prorogatam illam de pace ſtabilienda actionem rigore Epiſcoporum Galliæ exiſtimo, qui Carolo addictiores omnia in Ludovici facto reprehendebant, neque niſi datis piaculis ſatisfeciſſet, eximendum liberandúmque à noxa cenſebant; eámque in rem graviſſimos ſui ordinis viros Hinc-

Ex vet. ms. Cod. M. Ant. Mureti & alio Ant. Aug. apud Baron. anno Christi 859.

marum Rhemensem, Guntharium Coloniensem, Wenilonem Rothomagensem Archiepiscopos, cum sex Episcopis, ad Ludovicum Wormatiæ commorantem, Iunio mense, miserunt, cum mandatis severissimis, ad quorum normam omnis illorum cum Ludovico disceptatio institueretur. Atque ille quidem legatos pro dignitate accepit coluítque, negavit tamen, Episcopis regni sui absentibus, quorum consilijs ea in re stetisset, illud iudicium se subiturum. Secundum hæc Tullense Concilium celebratum; eius cogendi princeps causa Wenilo Senonum Archiepiscopus fuit; *cui vt* defectionis primario Duci Carolus rex iniuriarum & perduellionis dicam scripserat. Actum nihilominus de reconcilianda inter fratres reges nepotésq; gratia, vt præmollitæ mentes faciliùs in concordiam coalescerent; id quod sequente anno, qui sexagesimus supra octingentesimum fuit, ad Rheni & Mosellæ Confluentes feliciter effectum est, VIII. Id. Iulij, cùm eò Ludovicus, & Carolus fratres & Lotharius eorundem fratre genitus, cum splendidissimo quisque

Extat libellus proclamatoris editus à Pithæo fol. 491.

A. DCCCLX. FOEDVS CONFLVENTINVM INTER REGES.

Annal. Fuld. Herman.

que comitatu, acceſſiſſent. Primùm o-
mnium iacta fundamenta pacis, vt
quando neque facta infecta reddi, præ-
teritáque reprehendi magis quàm corri-
gi poſſent, eorum ſaltem memoria ſem-
piternâ oblivione deleretur; malefacta
deinceps beneficijs obruerentur, da-
mnatíſque bellis, nulla in poſterum re,
præterquam benevolentia certaretur;
aulæ ne criminatoribus, regna ne tranſ-
fugis paterent; eoſd. amicos, eoſdem
hoſtes haberent; maieſtatem Eccleſiæ,
religionis iura, legibus & haud paulò va-
lidioribus exemplis tuerentur. Tum fœ-
dus à regibus ictum: Ludovicus Germa-
na lingua prçivit, Carolus Lothariúſque
Romanâ, ea ſcilicet, quæ Francica hodie
dicitur, ſecuti ſunt. tabulæ in hanc ſen-
tentiam conceptæ. Quæ res mihi fratríq; ‘
meo fraterníſque liberis, ita feliciter ‘
vertat, reíque Chriſtianæ & publicæ bo- ‘
no commodóque ſiet; vti ego ex animi ‘
mei ſententia fratri nepotibúſque meis, ‘
donec vivam, benevolens amicúſque ‘
cõſiliarius iuxta atq; auxiliarius ero, ca- ‘
pitis fortunarúmque tutelam ſuſcipiam ‘
gerámque, fide optima, quaque inter ‘
bonos

, bonos bene agier divina humanáq; iura
, iubent. Illata deinde à Ludovico mentio eorum, qui à Caroli fide discesserant, suam secuti; horum suscepto patrocinio petebat, ne fraudi illis ea secessio esset; ita demum se intellecturum, fraternum nomen animósque candidè simplicitérque resumptos, si nemo suâ causâ plecteretur. Assensus est Carolus, & ad illius diei lætitiam etiam hoc auctarium adiecit.

X.
A. DCCCLXI.
PROCERES ALIQVOT GRADV MOTI.
Ann. Fuld. Lambert Herman.

Proximo anno Ludovicus Ratisbonæ in conventu publico Ernestum inter proceres principem perfidiæ sive compertum sive suspectum loco movit honoribúsque exuit. Sighardum Comitem, Vtonem item & Berengarium pari nobilitate, & Waldonem Cœnobiarcham Fuldensem horum fratrem vt affines culpæ eadémque meritos exauctoravit. fratres dedecoris impatientiâ in Galliam commigrarunt; reliquis patriæ charitas quantumvis honorato exilio potior fuit. Offenderat etiam Carolomannus apud Ludovicum patrem, quasi precarij imperij modulum egressus in eius iura involasset: ijs enim, quos pater

LVDOVICI IN CAROLOMANNVM F. IRÆ.

pater Pannonico limiti & Carantanis præfecerat, de gradu deiectis, sibi obnoxios imposuit, ad altiora ab his initijs & non concessa tendere creditus, oculóq; ad regnum adiecto, duces asseclásq; ambitioni suę conquirere; ei suspicioni tanto opportunior Ludovicus erat, quòd exemplis domesticis imò & suis didicerat, regibus etiam filios timendos, neq; vllis parentum seniũ gravius esse, quàm qui reges testamento fiunt. Carolomannus rumoris iniquitatem compressurus, fide publica, Ratisbonam, proximo anno, advolat, causam innocentiæ suæ apud patrem sine patrono agit, palatinos sorices, qui famam illius adroserant, iniuriarum postulat, & convincit. Pater, redintegratâ cum filio gratiâ, Moguntiacum profectus cum Lothario Fratris F. de repub. consultat; ducto deinde in Obodritos exercitu, feliciter pugnat, ducémque gentis Tabamvizilem imperata facere intérq; obsides etiam filium dare cogit. Carolomannus sequenti anno, in eandem flammam relapsus iniqua infestáq; omnia apud patrem est expertus, cuius aures tot criminationibus adver-

ANN. DCCCLXII. CAROLOMANNVS PATRI SE PVRGAT, *Annal. Fuld. Hermann.*

ANN. DCCCLXIII. LVD. BOII ODIA IN F. RECRVDESCVNT. *Annal. Fuld. Herman.*

versarij opplevere, vt improbitatem filij publicè detestatus, degeneri se nullam vnquam partem Reipub. commissurum deierarit. Carolomannus rerum omnium ignarus iuxta ac securus, in ipso itinere, quod ad patrem instituerat, tristibus nuncijs perculsus accusare fortunas suas coactus est miserámque innocentiam, in qua neque filio apud patrem quidquam præsidij esset, delatoribus imperantibus & vtramque sibi patris aurem præripientibus: proinde neque tentata quidem defensione, ne trucem sententiam in optima causa audire cogeretur, retro in Carinthiam abijt, & ad necessaria magis, quàm decora consilia compulsus, latebris & amicorum fide incendium flagrantis iræ, quod extinguere non potuit, declinavit. Pater conscientiâ sceleris causǽque diffidentiâ filium refugisse interpretatus, bello eum appetere statuit; vtque incautum opprimeret, famam sparsit, in Rasticem Moravorum Ducem arma sumpta; verùm è medio itinere in Carantanos deflectens rectâ in filium duxit, quem vltima necessitas & victa iniquitate patientia vel in-

ARMATVR IN FILIVM PATER.

invitum armaverat; iámque præmisso Gundacaro Comite, qui patrem fluminis transitu excluderet, ad vltimos casus animum obfirmaverat; Quo minùs manus consererentur, Gundacari perfidiâ factum est, qui præfecturæ promissione inescatus, deserto Carolomanno, cum omnibus copijs ad patrem transijt; ita scelus scelere prohibitum est: & Gundacaro quidem Domini proditi merces Carantanorum præfectura obtigit; Carolomannus, proceribus agentibus, fide data patris conspectum intrepidus subijt, & cùm causam non posset, etiam iudicium, qualiscunque eius forma futura esset, timere desijt: reorum neque vultum neq; habitum sumpsit; ea constantia indicium animi fecit. cúmque nemo tam amabilem confidentiam accusaret vel lacesseret, ipse se Carolomãnus, patre non invito, absolvit. Sexagesimo quarto contra Rasticen æternũ hostem res præclarè gestæ: compulsus intra Dovvinæ civitatis mœnia circumsessúsque, cùm neque obsidionem ferre diutius, neque sui copiam facere, per vires, posset, ad pacis conditiones descendit, obsides, quos

PATRI F. RECONCILIATVR.

A. DCCCLXIV RASTICES MORAVVS BELLO APPETITVS. *Annal. Fuld. Herm. Lamb.*

quos rex petierat, dedit, fideique toties violatæ vindicatǽq; ſacramentum cum proceribus ſuis renovavit. Hæc Auguſto menſe patrata. Septembri proximo, Ludovicus & Carolus, apud Duſicam villam congreſſi novæ concordiæ fœdera ſanciunt, datâ acceptáq; viciſſim offenſiuncularum, in quas ſubinde amicitia incurrerat, veniâ; quæ quidem quales fuerint, ijs annalibus, vnde hæc hauſimus, perſcriptum non eſt; ſed extat, apud Baronium, epiſtola ad Nicolaum pontificem Ludovici nomine Lothariíque perſcripta, ex qua perſpicuè intelligitur, Carolum pactis conventis ex fœdere Confluentino non ſtetiſſe, ſuáq; fortuna non contentum vtriuſque regna ſua ambitione concitaſſe, ſolicitatíſque eorum clientibus, ſecretas ſocietates an coniurationes, malo more exemplóque inſtituiſſe; ex quibus ne quid gravioris damni in remp. erumperet, otioſis ſibi eſſe nunquam licuiſſe ambo reges conqueruntur; & quanquam externa bella conticuiſſent, pervigilandum tamen fuiſſe, ne quid ab inteſtino hoſte domi turbaretur; ita Romanam profectionem,

LVD. & CAROL. FFR. CONGRESSVS DVSICENSIS.

Ann. Fuld.

Annal. Eccleſ. A. C. 860.

ORIGINES FRATERNARVM SIMVLTATVM

nem, quæ in votis vtrique fuerit, successu caruisse. Sanè siquis coniecturæ locus est, propior opinanti sim, illos ipsos proceres, quos paulò antè maiestatis postulatos, in Reginoburgensi conventu, diximus, cum Carolo capita consiliáque contulisse; neque nullum eius rei argumentum est, quòd eorum plerique rectà ad Carolum profecti comitérque ab eo habiti sint; cùm idipsum tamen in fœdere cautum esset, ne transfugæ reciperentur. Iam etiam ipse Lotharius ad infanda scelera dilapsus multum ad convellenda fratrum fœdera valuit. Eadem enim, quæ Carolo vitio data fuerant, hic in Lotharium retorquebat; inter quæ illud iniquissimè acceptum, quòd Balduinum, qui Iuditham Caroli Filiam viduam rapuerat, suo regno non prohibuisset: verùm alterū illud multò fœdius, quòd Theutbergâ iustâ coniuge repudiatâ, inconcessis Waldradæ pellicis amoribus, insanabili furore, indulgeret; cuius probri infamiâ Pontifex Nicolaus boníque omnes commoti graviter fuerant, Carolúsque ipse non immeritò ab illo erat alienior. Ludovicus etsi

Ex cod. Ant. Aug. & M. A. Mureti apud Baron. an. 862.

LOTHARII FOEDI AMORES.

factum Lotharij detestabatur, nihil tamen prætermisit, quod ad conciliandum eidem Carolum pertineret, indicto etiam, eam ad rem, ad Sablonarias conventu, anno octingentesimo sexagesimo secundo, cui cùm ferè ducenti ex vtroque ordine proceres, cum tribus regibus, interfuissent, acta tamen vulgari nõ placuit, quòd in ijs Lotharij turpitudo graviter perstricta fuerat; cuius quãdiu sanandi spes aliqua supererat, famæ parcebatur. Cùm ergo Ludovicus vbiq; mollioris sententiæ auctor à tristibus remedijs refugeret, fratrísque impetum ratione cohiberet, in se propemodum illius odium avertit; quod ferè pacificatoribus bonæ operæ stipendium persolvitur. Verùm siue hæ, sive aliæ quæcunq; causæ recrudescentium, post Confluentinum fœdus, irarum fuerunt, eæ tamen, quemadmodum diximus, hoc anno in Duſicensi, sive Tusiacensi conventu, depositæ sepultæque sunt; quo in loco etiam antehac fratres Reges, stabiliendæ amicitiæ causâ, cõuenisse, ex epistola Caroli ad Ludovicum, quam Baronius recitat, intelligitur. Illud porrò hoc vltimo

LVDOVICI AD LOTHARIVM SANANDVM STVDIVM.

Anno. Chri. 862. n. 38.

mo congressu sapienter humanitérque excogitatum, vt ad perpetuandam concordiam, vtrinq; arbitri darētur, qui admonendorum regum ius haberent, iísq; in amicitię leges peccantibus auriculam pervellerent. nominati à Ludovico Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, & Engelmarus Comes; à Carolo Luitbertus Moguntinus, & Altfridus antistes. Sequenti anno Arsenius Episcopus ob Lotharij potissimùm cum Theutberga divortium in Galliam legatus literas etiam à Nicolao pontifice ad reges Ludovicum & Carolum attulit: ab vtroque seorsim honorificentissimè exceptus eosdem ad Agrippinensem conventum invitavit, in quo tum de Repub. vniversa, tum de stabilienda inter fratres gratia, renovandóque cum Ludovico Imper. fœdere multa concordibus animis acta. Sed Ludovicum BOIVM pace alibi parta lætum, domestica seditio, quibus minimè decuit autoribus conflata, altero statim anno exercuit. Princeps coniurationis Ludovicus filius fuit infensus patri, quòd in Carolomannum fratrem propensior, refrige-

ANN. DCCCLXV.
ARSENIVS PONT. M. AD REGES LEGATVS.
Annal. Fuld. Hermann.

ANN. DCCCLXVI.
LVDOVICVS LVD.F. CONTRA PATREM ARMA SVMIT.
Annal. Fuld. Hermann.

ratâ erga ſe benevolentiâ, immerentem fortunis poſſeſſionibúſque, quas illius favore obtinuerat, exuiſſet ſuíſque ſpolis fratrem exornaſſet. Ea illi iniuria bello digna viſa, quod vt patri difficile & atrox concitaret, Thuringos & Saxones in ſocietatem nefarij conſilij pertrahere omni ope contendit. Vtonem etiam & Berengarium Comites, ante aliquot annos, vti diximus, à patre dignitate ſpoliatos recentíſque ignominiæ memoriâ irritabiles magnificis promiſſis illectos, & cum illis Werinharium, quem eo primùm anno pater perduellionis reum in ordinem redegerat, eóque vindictæ cupientem nullo ſibi negotio adiunxit; &, ne quidquam intentatum relinqueret aut inauſum, Henricum copiarum ducem ad Raſticen Moravum concitandum dimiſit, quo infeſtiorem ea tempeſtate BOICA hoſtem non habuit. ita omnia egit impotens animus, vt iram vel ruina patriæ obrueret, vel ipſius parentis ſanguine extingueret. Pater nefariæ molitionis nuncio accepto auctori periculi potiùs, quàm periculo ingemuit; relictóque, ad tuendam BOIARIAM Caroloman-

SOCII CONIVRATIONIS.

lomanno, ipse confestim in Franciam abijt bellum propulsaturus, quale ipse olim patri intulerat; quo minus accusare ei rerum humanarum iniquitatem licuit, cùm in filio mores suos recognosceret. Neque is felicior fuit, quàm ipse olim fuerat, cùm eod. exemplo fureret; nam quacunque pater iter faceret, vrbes populiq; sequebantur, bellum sibi contra humani iuris violatorem, miro consensu, deposcentes; tantúsque omnium ardor fuit, vt parricidialem exercitum vel occidione deleturi, vel vinctum ad parentis pedes attracturi fuerint, nisi qualiscunque filij reverentia ruentium impetum refrenasset. Carolomannus interim, quem præsidio BOICÆ relictum diximus, quo propiùs à periculo aberat, eò conspectior illius virtus fuit. Erat inter clientes illius Guntpoldus quidam homo ingenio pravo, venalique ad omne scelus fide, qui, incertùm qua spe præmióve corruptus, arma pro Carolomanno & patria sumpta repente in hanc ipsam dominúmque convertit, exitu mitiore quidem, quàm tanto sceleri deberetur, funesto tamen; nam acie

INFELICES LVDOVICI F. CONTRA PATREM CONATVS.

GVNTPOLDI CONTRA CAROLOMANNVM MOLITIONES.

fusus, amisso exercitu, ægrè elapsus in ignominiam provixit. Ita in eundem annum parricidij perfidiæque vindicatæ documenta collata sunt. Ludovicus filius Luitberto Moguntino antistite deprecatore vsus, mense Novembri, patri reconciliatus est, vt vitam eidem bis deberet. Ne nihil ad lætitiam præsens annus haberet, commodùm Bulgarorum legati Ratisbonæ auditi pulcherrimæ rei nuncio BOICAM omnem exhilararunt. Afferebant enim principem suum cum popularibus plerisque sacra Christiana complexum, eiúsque nomine Ludovicum rogabant, vt tironibus doctores submitteret, qui in rudi adhuc gente pietatis magisterium exercerent. Verùm nihil ab re fecero, si gentis Boico imperio, cùm latissimè illud pateret, vicinæ primos ad tantam felicitatem ingressus retulero.

LVDOVICVS PATRI RECONCILIATVR.

A BVLGARIS REI CHRISTIANÆ DOCTORES EX BOICA PETITI.

XI.

BVLGARORVM AD CHRISTVM TRADVCTIO.

Curopalates.
Cedrenus.

BOGORIS BVLG. PRINC. RES GESTÆ.

Theophilo imperatore Orientis è vivis sublato, Bogor Bulgarorum princeps, despectâ Michaëlis ætate, qui cum matre imperio puer admotus fuerat, efferre se altiùs, iacere minas superbísque legationibus Theodoram (id reginæ nomen)

men) laceſſere cœperat. Sed cordata mulier, plusquam virili animo, reſponſum minanti reddidit, veniret ſanè vir fortis, & ex puero fœmináq; triumphum quęreret cantandum poſteris: ſibi quidem etiam vinci minùs turpe fore, quàm ipſi vincere; meminiſſe tamen debere, non vnã inter fœminas Semiramidem fuiſſe, cuius manus nihilo infeliciùs telum, quàm colum ſuſtinuerit. Bogor ex dicto ingenium fœminæ arbitratus irritare Amazonem illam deſijt, fidémque, quàm arma, experiri maluit. Detinebatur apud Bulgaros captivus Theodorus Cuphara cognomento muneribus in repub. olim geſtis clarus: viciſſim in Græcorum regia Bogoris ſoror eandem ſortem tolerabat, eo nomine felix, quòd captiva Chriſtum agnovit, cuius deinde deſiderium fratri per literas nunciósq; inſerere non deſtitit; quod ipſum multò etiã ardentius fecit, quando cum Theodoro permutata ad fratrem redijt; ille quanquam meliora videret probarétque, deteriora tamen ſecutus eſt, donec bonam illi mentem mala publica iniecerunt. Cæli ſolíque mali-

gnitate, fame apud Bulgaros vltimâ laborabatur; quæ cùm iam neque ferri, neque auferri posset, ad vota conversus Princeps divinos Christo honores spondet, in eiúsque nomen se, cum tota gente, transiturum, si inopiam pepulisset, quando id præter Deum nemo posset. Valuere preces; levata annona; reúmq; se voti Bogor fassus est; quo vt se promptiùs exolveret, hac potissimùm occasione impulsus est. Cùm venatione impensè delectaretur, etiam vbi vivas sectari feras nō poterat, pictis tamen voluptatis suæ spectaculis pascebatur, quæ passim per totam regiam doctæ pictorum manus dispersérant. Fortè ita evenit, vt Methodio Monacho eadem arte claro animandam penicillo aream locaret, nihil certi imperans, modò, quidquid pingeret, terroris quàmplurimum haberet facerétque. Ille cùm nihil in tragœdiis omnibus tristius sciret illo decretorio mundi die, quo humanum genus ad dicendam coram Christo iudice causam evocabitur, complexus animo rigidissimi tribunalis horrorem, & innumerabilium reorum ora in mortem pal-

PICTA IVDICII DIVINI IMAGO BOGORI CHRISTIANAM RELIGIONEM PERSVADET.

pallida, & totum feralis carnificinæ apparatum, tormentáque æternitati suffectura, tristissima vtique hæc ratus, vti verè sunt, etiam cùm pinguntur tantùm aut finguntur, totum hoc formidabili argumento parietem implevit; perfectóque opere, in quod omnem tristitiæ imaginem absumpserat, admisit principem, quem primus miserabilis spectaculi obtutus penè extra se posuit. Cùm verò Methodius affirmaret, nihil in illa scena ingenio se indulsisse, sed seriam rem nulláque arte imitabilem adumbratam à se tantùm, rationem etiam singulorum redderet, &, quæ penicillo non poterat, oratione explicaret, princeps dicentem attonitus audijt; negavítque, cùm in picto ore iudicis tantum irarum sit, & tormenta omnem patientiam exuperent, illam infelicem reorum turbam, quibus tales flammæ ardeant, sese auctu-rum. móxque advocatis Christianæ legis doctoribus nostra sacra suscepit, & ex nomine Imperatoris Græci Michael appellari voluit. Facti novitas cùm invidiam apud populares & denique bella concitasset, ille Deo fretus, cum exiguis

BOGOR CHRISTIANVS IN BELLO FELIX.

copijs, quibus Constantini exemplo præferri crucem iussit, instructissimos suorum exercitus fudit, miraculóque rei mutatos facilè ad Christum traduxit: quibus excolendis cùm magistri deessent, suppetias, vti diximus, à Ludovico Boio flagitavit, qui tantam Bulgaro felicitatem gratulatus, Ermenricum Episcopum, cum bona sacrorum virorum manu, sequentis anni initio, petenti transmisit: sed ij cùm in provinciam venissent, occupatam eam Romanis Episcopis sacerdotibúsque reperere; neque visum est operæ, in illorum messem falcem mittere; eáq; propter, rege non invito, in BOICAM redierunt. Porrò cùm constet hoc ipso tempore Ratisbonæ, vbi Bulgarorum audita legatio est, Embricum Episcopum fuisse, non abhorret à vero, hunc ipsum fuisse, quem ex Annalibus Francorum Ermenricum appellavimus. Michaelis deinceps in virtute mirifici progressus fuerunt vsque ad regni titulorúmque contemptum: nam dum omnia sibi ad Dei tribunal, quod semel exhorrescere salubriter cœperat, præsidia conquirit, etiam purpuram cilicio

BOGOR EX REGE MONACHVS. *Sigeb. Chron. A. 865.*

licio mutavit, cum quo Monachum induit, quòd eorum conditionem in illo iudicio regiæ longè antistare intellexerat. Verùm cùm filius, cui sceptra tradiderat, levitate animi abreptus malísque consultoribus obsequens ad avitos ritus erroréſque relaberetur, summam rerum ad se retraxit, donec filij perfidiã oculorum orbitate & carcere vltus est; cúmque minorem natu in solium imposuisset, sacræ palæstræ se reddidit. Crescebat interim Lotharij cũ scelere infamia, Waldradâ seculi illius Helena in locum Theutbergæ iustæ vxoris reductâ; quod cùm Nicolao Papæ nulla ratione ferendum videretur, Ludovico & Carolo negotium dedit, vt ipsi consanguinei Regis sanandi aliquam rationem reperirent: quibus ea opportunissima visa, vt Carolus, Episcopo comite, ad Lotharium profectus hortando suadendóque illius pervicaciam frangeret; qui etsi nonnihil promovisse visus est, cùm hominem eo deduxisset, vt Romam iturum se staturúmque Pontificis arbitrio promitteret, negavit tamen Pontifex quidquam effectum videri, donec familia-

LOTHARII ADVLTERINOS AMORES PARAT. LVD. BOIVS EXTINGVERE.

Nicol. epist. 55.

liarem illam pestem à se segregasset; notas enim sibi Lotharij artes esse, quibus iussa sua ludificaretur: hortatur proinde Ludovicum, ne Lothario itineris Romani suscipiendi auctor esse velit: iubet deinde eundem ab irrito Guntharij Coloniensis & Thetgaudi Trevirensis Præsulum patrocinio desistere, quos ob Lotharij scelera impijs studijs defensa loco moverat. Auxit iustam indignationem pontificis Helletrudis Berengarij Comitis viduæ ipsiúsque Lotharij sororis calamitas, quam frater hæreditate & dote per vim everterat, ereptáque sorori Northmannis Ecclesiæ *hostibus*, beneficiario iure possidenda dederat: quam rem pessimi exempli detestatus Pontifex, miseram illam Ludovico & Carolo in tutelam dedit, vt eâ in integrum restitutâ, nepotis avaritiam compescerent. Moniti sunt ab eodem pontifice per literas Ludovici Boii filij Carolomannus, Ludovicus & Carolus, qui Crassus postea dictus est, de reverentia honoréq; parentibus habendo; caussam literis dedisse prioris anni gesta, quę à nobis narrata sunt, nihil dubium est.

Anno

Anno ſequenti, qui ſexageſimus octavus fuit, Maio menſe, Wormatiæ antiſtitum conventus fuit, cui Ludovicus etiam interfuit. multa ibi decreta rei Eccleſiaſticæ profutura, Græcorum etiam ineptiæ exufflatæ. Hadrianus pontifex Nicolai ſucceſſor Ludovicum per literas monuit, ne Ludovici Imper. præclarè tum adverſus Saracenos rem gerentis fines carperet: neque enim, ſi bella placeant, deeſſe veros hoſtes, ex quibus ſpolia, ſine invidia, peti poſſint. Idem annus tumeſcentibus aquis fœdáque eluvione per agros reſtagnantibus, corruptíſque ex eo ſegetib. inopiam famémq; Germaniæ & Galliæ invexit. Sequens bellorum victoriarúmq; ferax fuit: omnes Ludovici filij, cæſis hoſtibus, triumpharunt. Initium à Bohæmis factum, qui in agrum Boiorvm effuſi, cùm incendijs rapiníſque latè omnia fœdaſſent, mortalium greges, fœminarũ præſertim, captivos ttaxiſſent, ad reprimendam in præſens barbaram licentiam, Ludovicus limitũ illorũ præſides in armis eſſe iuſſit, donec iuſto bello inquieta gens appeteretur. Bohemi vbi obſeptũ in Boios iter ani-

Ann. DCCCLXVIII. Conventvs Wormatiensis *Annal. Fuld. & Herman.*

A. DCCCLXIX Victoriæ à Lvdovici Filiis partæ. *Ann. Fuld. & Herman.* Bohæmorvm Grassationes.

animadverterunt, Sorabis cæterísque fœderatis gentibus immixti Thuringorum fines depopulantur, multis locis vastitate illata, nulláque incolumi relicta re, cui ferro aut igni noceri posset, magnā etiam hominum stragem ediderunt, qui viribus & numero impares iniurias vlcisci paraverant. Nihilo quietiores apud Moravos res fuere, Rastice totam iterum gentem concitante; ad quem cùm Gundacarus desciviſſet, ille ipse, qui Carolomannum nuper prodiderat, nulláque re magis quàm repetitis perfidiæ exemplis inclaruerat, hostilibus à Rastice copijs præfectus, quò maiorem armorum vsum notioréſque artes & vires nostras habere creditus est, eò in certiorem spem Moravos adduxerat, aut illo duce, aut alio præterea nullo Boios vinci posse: sed superbas spes Deus esse ratas noluit, votáque in contrarium vertit; nam simul atque in locum certaminis ventum est, adversǽque constitere acies, tantus Gundacaro repente iniectus divinitus pavor est, & tam densa animo offusa caligo, vt nihil neque providere ipse, nec militi præcipere posset: cúm-

MORAVI DIVINITVS DEBELLATI.

cúmque torpentem socij excitarent bonúmque habere animum iuberent, Vos quidem, inquit, macti virtute este, milites, & si quid in dextra opis est, aras focósque defendite; mei vobis vsum irata fortuna negat; iniquam dicerem, si mitiorem meruissem. estis superi, nunquam impune læsi! ingentes vires habet lassata cæli patientia; neque gravior vindicta venit, quàm cùm diu dilata est. Nunc ego Divorum Manes toties irrisos manúsque Emmerammi sentio, ad quorum olim aras perfidum Ludovico regi regiísque filijs sacramentum dixi, nullâ reverentiâ erga testes mortuos: sed vivunt profectò & tota me mole premunt, armísq; impeditum & nexum furijs scelerum meorum victimam hostibus obijciunt; atque vtinam vno eóque vili capite satisfieri superis hominibúsq; possit! Hæc cùm sibi ipse vaticinaretur iam iam periturus, superveniente Carolomanni exercitu opprimitur, vir non vna morte dignus. diffusus à Duce in exercitum pavor ex bello cædem fecit; Carolomannus victoriam nobilem cælitibus gratulatus laureatas ad patrem literas misit,

misit, quæ non illum modò, sed Ratisbonam omnem gaudij festáque lætitiæ implevere; supplicationes per omnia templa decretæ; sonuerunt ex turribus æra, mixtáque plaudentium voces Emmerammum inclamantes, quòd illius potenti dextra præsentíque ope cæso superbissimo hoste, gravissimum bellum esset extinctũ; transmissum etiam ad posteros documentum, optimam esse artium militarium pietatem, qua si Superos in partes traxeris, nec tuas, nec hostium copias anxiè numerandas; Cælo favente neminem vinci: vnum Emmerammum, aut quemcunq; Cæli *Civium* pro legionibus esse: Ludovicus perculsis instandum ratus, Augusto mense, tres exercit⁹, delectu ex omni prope Germania habito, explevit; primum ex Thuringis & Saxonibus collectum Ludovico filio Duce Sorabis obiecit; BOIIS Carolomannum præfecit, vt si Zuentibaldus Rasticis nepos quicquam movisset, paratum contra illum præsidium esset. Ipse Francis & Alemannis sub sua signa vocatis, Rasticen capitalem hostem sibi depoposcit; sed hæc parantem in ipso

TRIPLEX LVDOV. EXPEDITIO.

pro-

procinctu, gravis morbus cœpto desistere vicésque suas Carolo tertio filiorum tradere coëgit; cuius tamen ea enituit virtus, vt annos factis exuperans ad parentis famam pervenerit. Clauserat se munitionibus Rastices, quibus nulla humana vis videbatur iniuriam factura; Caroli virtuti nihil inaccessum fuit. ad operosas illas moles flammâ iniectâ sibi viam fecit, hostem nullo loco passus consistere; aut virium fiduciâ congressum omni clade perdomuit. Carolomannus in impari laudis materia nihilo inferiora fratre gessit; Zuentibaldum ad vltima consilia adduxit, vt nulla illi, nisi in deditione & clementia victoris spes superesset. Tandem vterque exercitus fratrésque Duces prædâ gloriáque onusti, in medio victoriarũ cursu castris coniunctis consedere, triumphísque, quos meruisse videbantur, modestè remissis, potentem Dei dexteram religiosis mentibus adorârunt. Interim Ludovicus eorundem frater, cùm signa aliquoties cum Sorabis contulisset, semper è prælio superior discessit; Sorabi ipsi in deditionem venerunt; Bohæmorum auxilia-

CAROLVS LVD. F. PARENTIS LOCO PVGNAM EGREGIE CAPESSIT.

CAROLOMANNI VIRTVS.

LVDOVICI RES FELICITER GESTÆ.

res copiæ ſtipendio à Sorabis conductæ vel conciſæ, vel turpi fuga in patriam reiectæ. Sed publicos plauſus tot lætis nuncijs excitatos valetudo Ludovici patris interpellabat, quæ quotidie ingraveſcens non procul ab vltimo periculo aberat; neque in medicorum arte quidquam opis aut adeò ſpei reliquum; quò impenſiùs auxilia è cælo flagitata, propitiandóque numini gaza regia omnis in Monaſteria aut inopum manus effuſa; Ea liberalitas regi iam depoſito ſaluti fuit. Verùm Carolus Galliæ rex comperta Lotharij morte, quam Auguſto menſe Placentiæ obierat, nunciiſque de fratris afflicta valetudine acceptis, eiúſque filijs bello implicitis, vni ſibi arridentem fortunam avidè amplexus, regnum Lotharij in poteſtatem redigit publicè Metis coronatus: imperium agnoſcere recuſantes opibus & honoribus exuit; quæ res magnis deinde motibus cauſam dedit; cùm & Ludovicus Imperator Lotharij fratris regnum ad ſe pertinere diceret, haberétque Pontificem in cauſa ea patronum; & Ludovicus etiam BOIVS eodem iure niteretur, quod

VALETVDO LVDOVICI BOII VOTIS PIORVM ERECTA.

Annal. Fuld. & Regino.

CAROLVS CALVVS LOTHARII MORTVI REGNVM OCCVPAT.

quod Carolus cupiditati suæ obtendebat. Tentatus ergo repetitis legationibus Caroli animus; sed diu æqui nihil impetratum est; videbatúrque ad tam opimam prædam extorquendam fortius aliquid oratoribus requiri. Auctum est gliscentis discordiæ incendium nouâ lite; Carolus Gunthario Coloniensi à Pontifice abdicato Hilduinum sufficere omni ope laborabat; trahebat idem ius ad se Ludovicus, & verò etiam voto suo potitus est, Williberto per Luitbertum Moguntinum in eam sedem inducto; quo comperto stomachari Carolus eóq; ira provehi, vt raptim Coloniam advolans insigne Williberto eiúsque factioni malum daturus fuerit, nisi opportunâ fugâ se fortunásque suas in tuto collocassent. Ludovicus non id modò factum defendit, sed per Luitbertum & Altfridum legatos eò Carolum perpulit, vt regno fratris cederet, metu armorum, quæ ostentabantur, modestior factus; tum denique æquis conditionibus & iure secum certari passus, in diem locúmque, quo cum fratre congrederetur, operam condixit; eò cùm Ludovicus proficisceretur,

Regino.

Lvdovici Boii casvs.

Aimoin. vel Adelm. Regin. Annal. Fuld. Hermann.

retur, in Flammersheimensi villa, eodem, quo pater olim infortunio, è tabulato pegmate, quod ædibus affixum suæ ætas cariésq; labefactârat, sublicis pondere victis fractísque, decidit, non sine quassati corporis incommodo; costarum certè collisarum fragor familiares advertit: rex tamen presso dolore & ne gemitu quidem edito, sereno se vultu suis reddidit, Augustóq; mense quatuor Episcopis, decem consiliarijs, & triginta ministris palatinis stipatus sortitionem regni cum fratre auspicatus est; comparatisque provincijs divisísque, Aquas reversus, malè dissimulatæ, ex nupero casu, convulsionis dolore lecto affixus est, ægrè sectâ etiam ferro vomicâ persanatus. illic Adriani pontificis & Ludovici Imperatoris, cuius ratio habita nulla fuerat, legatos audivit & ad Carolum fratrem misit: ipse confirmata valetudine Ratisbonam regressus Rasticen Moravorum principem ex vinculis causam dicere iubet. Zuentibaldus illum Carolomanno vinctum adduxerat; nam cùm hic bella pertæsus se suáque omnia Carolomanni fidei permisisset, execratus igna-

LVDOV. REGNVM CVM CAROLO FR. DIVIDIT.

RASTICES à ZVENTIBALDO NEP. CAPITVR.

Annal. Fuld. Hermann.

ignaviam Rastices imbellem nepotem & servitutem regno prçferentem de medio tollere cogitavit: insidiæ vt tectiores forent, accumbenti locatæ, quas ille indicio conscij evitavit; cuius nutibus evocatus, cùm, in quanto periculo versaretur, didicisset, fastidium cibi mentitus, quasi id aucupio levaturus esset, cum prædatricibus avibus properatò progressus avum elusit. Ille, cùm doli non processissent, ad vim conversus, cum armata manu fugientem insecutus, miro fortunæ ludo, ab eodem, quem captatum venerat, captus vincula nepoti causa ipse tulit; mox à Carolomanno in BOIARIAM cum custodia missus vsque ad Ludovici reditum in carcere fuit; inde productus & multiplicis perfidię convictus capitis damnatur: sed Ludovicus, mitigatâ sententiâ, luminibus orbatum Monasterio inclusit, vbi reliquum vitæ inter ærumnas exegit. Ad huius anni res etiam Coloniensia comitia ad sanciendam Ecclesiasticam disciplinam voluntate Ludovici coacta pertinent. Carolomannus tot rebus præclarè gestis omniũ ore sermonibúsq; celebrabatur, patríq; haud

RASTICES EXOCVLATVS MONAST. ABDITVR.

ANN. DCCCLXXI.

CAROLOMANNVS PATRIS AMOREM, FR. ODIVM INCVRRIT.

Ann. Fuld. Herman.

haud dubiè in amoribus erat; qui cùm in eo exornando effusior esset, & nonnulla à fratribus iam spe præcepta illi adiecisset, Ludovici fratris veteres iræ recruduerunt; & quia eadem Caroli causa erat, is quoque odio implacabili ardebat; ambo orbitatem suam vivo patre accusabant, matri nihilominus infesti, apud quam Carolomannus immodicâ gratia prævalens vnus omnia posset; se etiam post triumphos fraternis nihilo ignobiliores, velut degeneres abijci, & virtutis suæ iniquiores arbitros nullos vsquam parentibus suis habuisse; de quorum animo ne dubitare possint, tristia quotidie in se exempla edi, & illas ipsas benevolentiæ exuvias, quibus olim quantumvis parcè cohonestati fuerint, sibi detractas; nimirum his initijs suæ exhæredationi præludi, & ad vltimæ iniuriæ patientiam maturè se his contumelijs exerceri. Hæc regijs iuvenibus dolor & ira mali consiliarij suggerebant; quæ pravorum hominum exaggerata malevolentiâ, quasi coactis nubibus, in fœdam tempestatem eruperunt. nam impijs cōtra patrem armis resumptis, Spirensem,

FILII IN LVDOVICVM BOIVM INSVRGVNT.

vti

vti tum appellabatur, Pagum occupant; & collocata in eo belli ſede, inde circumſpicere auxilia malæ cauſæ cœperunt. Pater primo coniurationis nuncio excitatus ex BOIARIA Francofurtum properè abijt & filiorum animos blandis primùm legationibus tentavit; quæ cùm ſuperbè reijcerentur, dicta comitijs dies & integra cauſæ dijudicatio eò reiecta; paci publicæ interim inducijs cautum & Ludovicus in BOICAM redijt. Illic Zuentibaldus perfidiæ ſuſpectus & à Carolomanno oppreſſus in vinculis tenebatur; cum populares Moravi perijsſe rati, ne ſine duce eſſent, impetu animi præcipites in Slagmarum omnes conſentiunt, eúmque, quòd duces ſanguine contingeret, ſibi principem depoſcunt; ſed parum ſpei erat voluntate quidquā facturum; nam & intactus erat ab ambitione & ſacris inſuper initiatus omnia alia peritiùs, quàm arma tractare noverat; nihilominus vim & metum adhiberi placuit. inopinantem aggreſſi, nihil medium, ſed aut imperium atq; honorem, aut, vbi reſtitaret, mortem denunciantes Ducem conſalutant; ille ex ſacrificu-

MORAVI SLAGMARVM SACERDOTEM SIBI DVCEM LEGVNT.

SLAGMARI INFELICES CONATUS.

lo repentè miles & imperator effectus contra Engelschalcum & Willhelmum Carolomanni legatos movit, velut infessis vrbibus illos exacturus; sed sive fortuna conatus elusit, sive belli artes deerant, malè multatus in fugam compellitur. Iam Maius mensis, & dicta colloquio Triburiensi dies aderat; quò cùm Ludovicus pater accessisset, filiorum neuter comparuit; nam ad veteres odij causas novum vulnus accesserat, quòd pater Saxonem quendam nuper oculis spoliârat; quam iniuriam ad se pertinere opinabantur; vicit tamen patris modestia filiorum ferociam, suúmque congressum indignantes vltro secutus, non sine lenocinio ingentium promissorũ, ad se Gericheshemium pertraxit, & benignè omnia indulgendo, si non avaras cupiditates explevit, tamen impotentes iras compescuit. Agitata deinde Zuentibaldi causa est; suspicionibus magis, quàm argumentis petebatur; eóque paratior defensio fuit; nam cùm nihil satis probaretur, infamiæ invidiǽque exemptus Carolomanni sententiâ absoluitur, & ad abolendam vinculorum ignominiam,

PATER CUM FILIIS IN GRATIAM REDIIT.

ZVENTIBALDVS ABSOLVITVR.

niam, regio more habitus donatúsque, commeatum in provinciam suam tanto faciliùs impetravit, quòd extemporale & vmbraticum Slagmari imperium se contriturum promiserat: sed prioris iniuriæ memoria recentis beneficij gratiam extinxit. nam vbi se suáque in tuto esse vidit, omisso Slagmaro, in BOIOS periculi securos omnem iram effudit, subitáque irruptione castra inobservata adortus ingentem stragem edidit: præter paucos, quos sua morti fortuna subduxit, omnes ferro necavit aut vivos in potestatem redegit. quæ cùm fama tristibus nuncijs divulgasset, ingens BOICAM omnem mœror occupavit; quippe fœdata insigniter veterum victoriarum, ea clade, gloria fuit, & præsens iactura, quò propius ad singulos pertinebat, eò faciliùs pristinæ lætitiæ dulcedinem vitiavit. Carolomannus animi anxius vt captivis, quà posset, consuleret, obsides omnes toto regno conquisitos reddi iussit; sed neque hîc Zuentibaldo fides constitit; vnus Ratbodus idémq; ægrè animam trahens & hominis veriùs simulachrum quàm homo, per ludibrium red-

EIVSDEM PERFIDIA.

CLADES BOIIS ILLATA.

NOVÆ FILIORUM LUD. SIMULTATES SOPITÆ.

ditus eſt. Auguſto menſe Ludovicus Rex cum Carolo fratre de repub. collocutus, cum filijs, quod maximè optabat, redire in gratiam non potuit, quòd hi parentis fidem accuſarent, atque vt cunctatorem in promiſſis præſtandis aſpernarentur. Verùm cùm paulò pòſt fallaces nuncij de Ludovici Imp. morte ex Italia percrebuiſſent, conſternatúſque ijs Ludovicus Aquas ſe mœrens reciperet, vltro filij in patris complexum properantes cùm omnia ex voto impetraſſent, beneficijs expugnari animos ſuos paſſi ſunt. Pater ea re lætus cùm Tridentum vſque excurriſſet, ex Engelberga Imperatoris coniuge falſa omnia, quæ de mariti morte vulgata fuerant, cognoſcit, illíque Lotharij regnum, quod ipſe nuper cum Carolo fratre diviſerat, repetenti benignè annuit.

EXPEDITIO BOHÆMICA

Expeditionem deinde in Bohemos indixit, qui BOICÆ infeſti imminebant. copijs Arnus Epiſcopus & Rudoldus Comes præpoſiti. hoſtes cùm loco naturâ munito conſediſſent, aditus omnes præſidijs occuparunt, vno duntaxat relicto, qui inſidijs locandis opportunus ſubeuntes in anguſtias inexplicabiles pel-

pelliceret. sed nostri loco solerter evitato, Moravos Bohæmis fœderatos eò præcipitarunt. Fortè ij, domum deductâ Bohæmi principis filiâ, vt inter nuptias, soluti metu tripudiantésque observati à nostris oppresśíque, facili, vt putabant, receptu, evadere in arcem à Bohæmis infessam properabant; sed in illas delati fauces, per quas vix pediti expeditum iter esset, vt vitæ consulerent, equos impedimentáque omnia, & totum apparatum nuptialem diripiendum nostris reliquerunt. equi frenati stratíque sexcenti quadraginta quatuor fuere & totidem scuta, tanto iucundior præda, quanto minore periculo parta fuit.

MORAVI EX INSIDIIS OPPRESSI.

XII.

ANN. DCCCLXXII.

Sequentis anni initio legati Basilij Græcorum Imperatoris Ratisbonam ingressi literas cum amplissimis muneribus Ludovico regi obtulerunt; inter quæ prima crystalli æstimatio fuit; visendo ipsâ magnitudine operi doctæ artificum manus & prodigè insertæ gemmæ pretium addidere, & carius omnibus gemmis lignum ex illa trabe decisum, in qua Deus pependit; quod crystallo clausum religios' rex, qua par erat religione, ado-

LVD. REGI IMP. BASILIVS MVNERA TRANSMITTIT.

Annal: Fuld. Hermann.

PROVINCIAS INTER FFF. DIVIDIT.

adoravit.Forchemij deinde,in Conventu publico,ſopiendis diſcordijs,quæ inter filios iam tum gliſcebant,quáſque ſe vita functo multo impotentiùs exarſuras, non vano metu, augurabatur, provincias, quæ ipſius imperio regebantur, inter eos dividit, & Ludovicum Carolúmque iuramento adigit, neq; reipub. otium,neque ſenium deinceps ſuum interturbaturos. in BOIARIAM paulò pòſt reverſus Bohæmos Moravóſq; bello appetere ſtatuit.

BELLVM CONTRA MORAV. & BOHÆM:

Primi in Moravos Thuringi & Saxones miſſi, irrito conatu pleni dedecoris redierunt; Rege deſtituti legatis inviti parebant; quòd ij non minùs inter ſe,quàm à milite diſſiderẽt. ita vetus verbũ cladibus noſtris ſanximus, Vbi ſummus Imperator non adeſt ad exercitum, citiùs quod facto vſus non ſit, quàm quod facto eſt opus,fieri.Igitur dũ inter illos bella ſunt, miles hoſtibus prædæ fuit.

THVRINGORVM & SAXONVM FVGA.

Deſperato amiſsóq; decore victoriæ,neq; in fuga flagitiũ creditum eſt; quam quidẽ galeati illi lepores tam turpiter capeſſebant, vt,cùm poſt viros in fœminas incidiſſent, illis quoque irriſui fuerint. ſatis cõſtat nobiliſſimi ſanguinis equi-

equites ab ijs pulsatos fuisse & contusis lateribus detractos ex equis dignas ignaviæ suę pœnas dedisse. Hæc trepidis nuncijs in BOIARIAM relata Ludovicum ad delectus multo acriùs habendos cōpulere; cúmq; iustos exercitus duos comparasset, Arnoni Episcopo & Sighardo Abbati Fuldensi alterū tradidit, & Carolomanno auxiliatum ire iussit. In summa militum ducúmq; virtute, fortunę malignitate, res nostræ haud procul periculo fuere; clades datæ acceptǽque propè æquatæ sunt, & copias ex hostico reduxisse, nobis pro victoria fuit. Alter exercit⁹ sub Luitberto Moguntino Antistite res maximas cum insigni nominis sui gloria gessit; Bohæmos adortus instructissimas illorum copias cum quinque regulis Zuentislao, Witislao, Herimanno, Sportimaro, Moyslano in fugam avertit; sed bello superstites Fuldaha flumen hausit. Incessit deinde, quoquo traheret prædæ spes, victor exercitus, privato cuiusq; compendio publicas iras acuente. Quod cùm Carolomannus etiam in Moravis faceret, cædibus & incendijs omnia miscens, ab aperta vi tutus insidijs petitus

EXPEDITIO IN BOHÆM. RESVMPTA.

fort. Multava.

MORAVI BOIOS OPPRIMVNT.

tus est. nam Zuentibaldus, vt damna illata aliquà solaretur, exercitum silentio ad Danubij littora misit; vbi Boii ad tutandas naves relicti inopinato hostium adventu oppressi partim cæsi partim capti sunt; solus Embrico Reginoburgensis antistes cum paucis acceptæ cladis nuncius in BOIARIAM redijt. Æstas anni huius insolitis tempestatibus fœda fuit; passim lapidibus pluit; multi mortales fulminati; sacra, profana de cælo tacta: terræ motu Moguntia desedit III. Non. Decemb. quo ipso mense Ludovicus rex ordinatâ BOIARIA Francofurtum abijt, eóque loco Christi *Dei* natalitia egit. Sequentis anni initio publica comitia, ad quæ vtriusque ordinis proceres convenerant, tristissimo spectaculo interpellata sunt. septimo enim Kal. Febr. Carolus Ludovici F. subitò, omnibus stupore pavoréque attonitis, insanire luculenter cœpit, torquere caput monstrosè, iactare brachia sine lege, ore spumare, ardere oculis, nihil pro sano, ac ne pro homine quidem agere aut pati: sex validissimos viros furenti compescendo additos lassavit & in languorem

ANN. DCCCLXXIII. CAROLVS LVD. F. à MALO GENIO AGITATVR.
Annal. Fuld. Hermann. Sigeb.

rem dedit, vt dubitare nefas esset, larvis illum agitari, & â Dæmonibus invectam esse amentiam. nemo ergo fuit, quem non exempli diritas in lacrymas cogeret: mœstissimus ante omnes pater suam filiíque sortem tanto ferebat gravius, quanto ei certiùs constabat, suam ipsum causa plecti: vnde cùm in templum vi abstraheretur, vt carminibus devotorijs, publico Ecclesiæ ritu, infernus incola pelleretur, filium cognominem plena gravitatis oratione perstrinxit: Hos nimirum, fili, consilia vestra exitus habent; idem illa, qui suggerit genius, castigat, &, vt se familiarem vobis ostendat, cui imperium in animos dedistis, en qualem tyrannidem in corpora etiam exercet! non hodie primùm frater tuus mentem amisit: cùm enim patrem vestrum odijs & armis impetebatis, multò miserabiliùs insanîstis. Huius enim rabiem sex viri vtcunque domant; nuper totius Germaniæ pacem turbastis, & tot hominum millia duorum stultitia armavit. & hanc quidem fratris tui insaniam omnes miserantur; nuperam vecordiam, præter patrem, nemo

„ mo miſericordiâ dignam cenſuit. ſed tu,
„ ſi potes, ſapere ex furente diſces; certè
„ triſtiſſimi ſupplicij exemplum ad te per-
„ tinet; quo niſi corrigeris, inſanabile in-
„ genium habes, & periculoſiùs quàm
„ frater furis. Hæc filio pater, eundem ad reatus ſui Chriſtianam expiationem invitans; quæ omnia tanto plus momenti habuere, quòd Carolus, vbi ſibi redditus eſt, ſponte affirmavit, non tum demum illud ſe ſupplicium pependiſſe; ſed quoties parentis infeſtandi conſilium ceperit, diras ſe paſſum. Aimoinus etiam ipſas veteratorias mali Dæmonis artes, quibus Carolus in fraudem perniciémq; inductus eſt, recenſuit; eum enim ex atro in album transformatum, cæleſti vultu Carolo ſe obtuliſſe viſendum, alienum patris ab eo animum compoſitáſque in eius caput inſidias ementitum; ſed nimirum illum Deo curæ fuiſſe; ſcelus in auctorem ſuum recidiſſe; patrem ob meditatum nefas mox vita exturbandum; Carolum non modò provicturum, ſed innocentiæ ſuæ præmium patris regna habiturum. Ad hæc tam læta nihilominus externatum Carolum properè in templum

Aimoin: l. 5. c. 30.

QVA FRAVDE CAROLVM DÆMON OCCVPARIT.

plum se conieciſſe; Dæmonem è veſtigio inſecutum, cùm vanos illius metus caſtigaſſet, bucceam protuliſſe, profaniſſimum divini panis ſimulachrum, incautúmq; iuvenem hac illecebra ineſcatum paſtúmque Stygia offa occupaſſe; in conſeſſu deinde publico procerum, cùm illum inſania percepiſſet, deliramenta loqui & diſcingere ſeſe, tandem etiam veſtibus deſpoliare aggreſſum, vi abreptum in templum, cùm Luitbertus Archiepiſcopus pro illo ſacra faceret, horrēdis vocibus omnia impleſſe, identidem væ capiti ſuo ingeminantem. Circumductum deinde per tumulos Martyrum, vt illorum votis, inferno hoſpite pulſo, animum reciperet. Rembertus denique Bremenſis Antiſtes miranda etiam aliàs patrare ſolitus larvis liberavit. Feralis ſine dubio tragœdia, quæ tamen, quod mireris, ad perſanandam Ludovici erga parentes contumaciam ſatis non valuit, vt ſequenti anno dicetur; Interim, dum recens illius memoria fuit, patri obſequens vnà cum illo ius non procul Wormatia dixit, vbi commorantem Sigefridi Danorum regis le-

Alb. Staden.

Lvdov. cvm Danis foedvs sancit

gati adiere, fœderis inter Saxones Danósque ſanciendi causâ, vt libera commercia, ſine cuiuſquam fraude, bono publico, inter vtramque gentem intercederent: Fœdus ictum; Ludovicus autor factus. Eodem tempore Berthrammus Alemannus gente à Moravis è cuſtodia dimiſſus, quemadmodum inter ipſos convenerat, poſtulata Zuentibaldi Ducis ad Ludovicum detulit; qui Aquas inde profectus Roricum, obſidib' ab eo datis, in fidem accepit. Auguſto menſe Halbdemus Sigefridi Danorum regis frater ſuæ etiam genti ad miſcenda cum Saxonibus mercimonia commeatum impetravit: neque eo contentus, vt arctiora ſibi fratríque cum Ludovico fœdera eſſent, patrem illum ſalutavit, animíq; ſui teſtem gladium auro inſignem tranſmiſit; eius mucronem à Ludovico ad capulum reductum ruptúmq; Aventinus ex Sangallenſi exſcripſit, eadem fide, qua ſcriptores perpetuò tractat: id enim factum ad Ludovicum Pium pertinet. Verùm non idem Northmannis omnibus animus; eodem namque tempore, quo hi amicitiam fœderibus ſanxerant,

xerant, Rudolphus ex ea gente etiam ipſe regij ſanguinis claſſe in regnum Ludovici invectus Friſios vexavit & vi intentata tributum exegit; cùm imperium aſpernarentur, nemini mortalium, præter Ludovicum eiúſque filios ſe obnoxios profeſſi, bellum ijſdem indixit. Friſijs plus in bonitate cauſæ caſtìsq; ad Deum precibus, quàm armis repoſitum ſpei fuerat, eáque potiſſimùm armati hoſti obviam iere: Signis collatis Rudolphus belli fax primus cecidit; cum eo octingenti ferro cæſi; reliqui viâ ad naves interclusâ proximas ædes occuparunt: eæ quoque à Friſijs cùm obſiderentur, pugnatum ſententijs eſt, victoriæ an deinceps eſſet inſiſtendum: vicit tandem mitior Northmanni oratio, qui pridem Chriſtianis ſacris ſuſceptis, civitate à Friſijs donatus fuerat: is cenſuit omnes inde quamprimum inviolatos dimittendos, Manum, inquit, Commilitones, 'Deo commodavimus; ille vicit, & has 'hoſtium reliquias furori noſtro conſultò 'ſubduxit: victoria nobis ad illius exemplum 'vtendum eſt, quo nemo placabiliores iras habet & promptiorem cle-

Rvdolphvs Northman: Friſios vexat.

Occiditvr.

, mentiam. quòd si quibus lenior senten-
, tia vt ignava & minus habitura gloriæ
, displicet, ij copias nostras numerent li-
, cet; quotvsquisque sine vulnere est? tam
, nostro, quàm hostium sanguine irrubui-
, mus; qui si quibus integer est, vires tamē
, etiam victoria imminuit, quæ nunc vi-
, ctis ex desperatione crescunt: gravissimi
, illorum ictus sunt, qui pugnant vt mori-
, turi, nihílque crudelius est iris exspiran-
, tibus; quin ergo certa victoriæ præmia,
, quàm incertam pugnam malumus? redi-
, mant auro vitam; quam si illis eripere vi
, paratis, mementote illos in manu ferrū
, habere; etiam qui vitam desperat, sperat
, non inultum se moriturum. Probatâ sententiâ, de deditione actum; accepti à volentibus obsides; pars ad naves missa ingens auri pondus egessit, vitę pretium. eo annumerato etiam iureiurando adacti sunt, in Ludovici regno pedem deinceps non posituros.

LEGATIONES AD LVD. BOIVM MISSÆ.

Septembri mense à Pontif. Max. Ioanne eo nomine VIII. Formosus Portuēsis & Gaudericus Velitrensis Antistites legati ad Ludovicum regem missi ad rescindenda pacta, quibus Carolo fratri,

tri,ob Lotharingiam,præter fas occupatam,obſtrictus fuerat;neque Ludovicus moratus auctorirati Pontificiæ extemplo paruit, & imperio iniuriâ vſurpato lubens voléníque ſe abdicavit. Ratisbonam reverſo Agathon Archiepiſcopus Baſilij Græcorum Imperat:literas & munera ampliſſima obtulit. Lautia legato præbita; munera nihilo inferiora ad Imperatorem adornata ſunt. Annonam huius anni fœda locuſtarum inundatio depaſta eſt,ex oriente terris noſtris infuſa;dira illis ſpecies neque ante viſa, ſenis alis totidémq; pedibus latam ignavámque aluum trahebant,mole corporis virilis modum pollicis æquantes; ore vaſto & genuinis ſilicũ duriciem ſuperantibus; vt non modò ſata tenerâſq; frondes obroderent, ſed arbores etiam corticibus nudarent: catervatim volabant tam denſo agmine, vt ad milliaris integri ſpatium ſolem cælúmque abſconderent;itinera illis,velut ex lege militię,dimenſa; quinque milliaria quot diebus ab ijs conficiebantur: neque locũm caſtris temerè capiebant; ſed exploratoribus pridie præmiſſis,quos peſtilens legio

Ann. Fuld. & Regino. Herman. Sigeb.

LOCVSTARVM EXERCITVS SATA POPVLATVR.

ſub ſolis ortum ſequebatur: tanta illis ingluvies, vt centum agri iugera gulæ vix ad horam ſufficerent: nulla tempeſtas ſegetes vnquam peiùs accepit: nihil falci relictum eſt; Sic graſſando & omnem agrorum elegantiam deterendo, ad mare Britannicum delatæ, velut munere ſuo functæ, ventorum vi, in aquas difflatę ſunt: ſed tunc quoque æſtu maris in littus effuſæ & montium inſtar exaggeratæ, cùm calore ſolutæ putiſcerent, aërem latè vitiarunt; ita orbi mala duo extrema, famem vivæ, peſtem mortuæ invexerunt. Secuta eſt hiems aſpera perpetua nive & immani frigore aſtricta; neque tamen vel ſic à bellis ceſſatum eſt: nam, cùm Thaculpho, priore anno, mortuo, Sorabi & Siusli defeciſſent, Luitbertus Archiepiſcopus & Rhatolfus, qui Thaculfo in præfectura Sorabici limitis ſubrogatus fuit, ipſo Ianuario menſe, vltra Salam profecti flamma, ferro, effusíſque in obvia quæque populationibus, tantum terrorem rebellibus iniecere, vt vltro ad officium redierint. Eodem menſe Ludovicus filius, cum paternis amicis & ſecretorum conſcijs, occul-

SORABI ET SIVSLI DOMITI.
ANN. DCCCLXXIV.

SEMINA NOVÆ CONIVRATIONIS OPPRESSA.
Annal. Fuld.

occulta miſcere colloquia deprehenſus ſuſpicione non caruit alienatæ iterum à patre voluntatis; pater ipſe trepidis nuncijs excitatus è Boica in Franciam abijt, opportunóque adventu famam flammámque compreſſit. Sanctioribus deinde ſolennis ieiunij ferijs cùm à curis publicis digreſſus tempus omne ſtudijs pietatis impenderet, ſub nocturnam quietem, Manes Ludovici patris ſibi adſtantes vidit ſpecie ſqualida & lachrymabili eiulatu, quem in hæc verba, quæ invertere religio mihi ſit, coactum veteres annales illo ipſo ævo ſumma fide cōſcripti referunt: *Adiuro te per dominum noſtrum* Iesum Christum *& per trinam maieſtatem, vt me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, vt tandem aliquando vitam poſſim habere æternam.* Vox ſine dubio omni tragœdia triſtior, tantóque dignior ſtupore, quòd illius Imperatoris fuit, cui virtutes & fama publica nomen Pii indiderunt. hunc ergo tam Pium, poſt triginta quatuor annos (totidem enim ab illius morte numeravimus) ſerum ſibi auxilium

Annal. Fuld. Herman. Sigebert. Baronius.

Ludov. Pius Lud. Filii opem è piaculari flamma implorat.

flagitasse ex flamma, ingens apud bonos omnes, qui de Deo diviníſque rectè sentiunt, momentũ habeat, necesse est; neq; enim Aventinum illiúſque similes moramur, qui esse aliquos Manes & subterranea regna nisi experti non credunt, & hæc talia fabulis accensa neque pluris, quàm Plauti Mostellarias, habita scriptione indigna & fide putant. Sanior sanctiórque Ludovico mens; patris proinde quiritatione altè in animum dimissa, ad placandum illi Numen totum regnum excitavit, dimissis quaquaversum epistolis, vt supplicationes per omnia monasteria decernerentur. Ipse per sanctiores Christi redivivi ferias in Fuldensi cœnobio precum causa se abdidit, ad quas patris flammis accendebatur; cùm ea cura subiret, divinum tribunal non humilium tantùm reorum, sed etiam Cæsarum scopulum esse; quinimo hos deteriore præ illis causa niti, cùm non sua tantùm, sed subiecti sibi orbis facta cogantur defendere; quem si vel exemplo, vel indulgentia corruperunt, plectentur sanè reges, quidquid Achivi delirant, vt nihil necesse sit, cuiquam invi-

dere purpuram, quæ non modò à dicenda apud Deum causa neminem eximit, sed rigidissimi iudicij metum duplicat, cùm iam olim inter oracula nostra receptum sit, Exiguis misericordiam concedi, Potentes potenter tormenta passuros. Nam in Ludovico privatim nihil reprehendas; vt si imperantibus satis sit, viros Bonos esse, provocare hic omnes principes possit; sed dormiebat subinde regius ille vigor, & lenitudine in lentitudinem migrante, scelera, quia non vindicabantur, velut acceptâ licentiâ & approbatione, aurâ perniciosæ clementiæ nutriebantur crescebántq; pessimo publico: & verò cùm monitores non deessent, mortalibúsque silentibus, consiliariorum officium cælum occuparet, monitáque gravissima à cælesti genio dictata, duodecim capitibus comprehensa, Einhardus Abbas Cæsari in manus dedisset, ille, sive gravitatem rei nō assecutus, sive ingenij facilitate remissionéque magnitudini cælestis consilij impar priùs vivendi finem fecit, quàm imperato operi manum admoveret. Atque hinc illo ævo creditum est, has neglecti per

Sap. 6.

CAVSÆ TAM DIVTVRNI SVPPLICII LVD. PII.

Consule Baronium ex Sigeb. & Annal. Fuld. ita censentem.

per eam occasionem officij pœnas exsolvisse; quas orbi innotescere, tanti Præconis ore, principum maximè interfuit, quorum pauci cùm Pium virtute æquent, præsidentes esse oportet, si Ludovicum triginta quatuor annis arsisse sine animorum motu audiant, negéntque exemplum illud ad se pertinere. Post Fuldensem secessum Ludovicus Triburiæ conventus egit, indéque, per alpes Noricas, Italiam ingressus cum Ioanne Pontifice & Ludovico Imperatore de gravissimis rebus consultavit. Regressum inde Carolomannus & Ludovicus filij Forchemij excepêrunt: ibi etiam legati Zuentibaldi auditi, quorum princeps Ioannes sacerdos Venetus, pacis petendæ firmandǽque caussa se missum professus, ponendorum, mutuo consensu, armorum, quę tantum ex vtraque gente sanguinis hauserint, Ludovico suasor auctórque fuit; Zuentibaldum quidem eorum pridem esse pertæsum, & quantùmvis duris legibus societatē cum Ludovico colere, quàm suas alienásque fortunas alternante spe metúque versare malle; neque detrectare,

LVDOVICI BOII ITER ITALICVM.

ZVENTIBALDO PETENTI PAX CONCESSA.

re, si gratis pax non detur, vectigali eam annuo redimere. Pax ijsdem conditionibus, quas legatus tulerat, facta: pari ratione Bohæmorum oratoribus responsum, quos Aimoinus sive hoc, sive præcedenti anno (confusa enim turbatáque apud illum est temporum ratio) pro exploratoribus comprehensos Ratisbonæ datósque in caveam dixit: Sicut neque illud satis ex eo intelligitur, quo anno Carolomannus Caroli Franciæ regis filius ad Ludovicum transfugerit, quem pater aris olim admotum, & nihilominus pacis publicæ turbatorem ingentiúmque scelerum compertum sacris arceri & oculis orbari iusserat; sed cùm Corbeiæ negligentiùs asservaretur, fugæ nactus potestatem ad Ludovicum patruum se recepit; qui tali hospite non admodum delectatus hactenus ærumnoso favendum credidit, vt Luitberti Archiepiscopi Moguntini curæ fideíq; commissus in D. Albani monasterio, publico sumptu aleretur, palàm alioqui professus, quę contra patrem & rempub. perperam egisset, neque placere sibi, neque facta velle, neque alio, quàm communi

CAROLOMANNVS CAR. CAL. F. AD LVD. BOIVM TRANSFVGIT.
Aimoin.
Regino.

muni humanitatis patrocinio dignum existimare: homini se calamitoso, non sceleribus illud perfugium concessisse. Sub finem anni, cum Carolo fratre apud D. Lantbertum collocutus Francofurti hybernavit. Feralis hîc cæteroqui nullaque re, quàm frequentatis funeribus celebrior annus fuit; dira enim lue fœdissimè grassante, satis constat tertiam mortalium partem in Libitinæ censum venisse; neque intacta malo Ludovici domus; regina ipsa Hemma affixa lecto loquendi etiam vsum amisit; ad quam solandam, proximo anno, qui septuagesimus quintus fuit, Ludovicus in BOICAM abijt. Maio deinde mense, Triburiam, Comitiorum causâ profectus, populari seditione inter Francos & Saxones ortâ, perficere meditata non potuit. eousque iam progressus erat furor, vt non nisi mutua cæde satiari posse videretur. Nudati in comitio enses; concursúmque fuisset, nisi Ludovicus Ludovici F. iam ruentibus in perniciem intervenisset, adversísque gladijs obijciens corpus, reverentiâ nobilitatis, quáque apud partes valebat, gratiâ & paratis etiam

Hermann.
Annal: Fuld.

ANN. DCCCLXXV.
INGENS SEDITIO POPULARIS COMPRESSA.
Aim l.5.c.32.
Ann. Fuld.
Herman.

etiam ad vltimos casus validis cohortibus, multitudinis concitatę impetus cohibuisset. Omissa in præsens comitia eodem in loco per Augustum peracta sunt. Iunio mense crinitum sidus nunquam sine pavore mortalium aspectum arsit: nunciasse cladem creditum est, qua Asgabrunnum Netensis pagi villa interijt, cum octoginta octo mortalium pernicie; nocte concubia abruptis, velut ruente cælo, nubibus, tanta aquarum vis effusa, vt solutis radicibus arbusta vitésque procumberent; nulla iniuriam tecta defendebant, cùm fundamenta ipsa abluta aquis diffluerent, vt homines & his mixtum pecus naufragio simul & ruina haurirentur; nudatis tumulis veteres vrnæ emergebant, iam olim sitos devehentes; confusáque antiquis nova cadavera, subsidentibus tandem aquis, triste spectaculum præbuerunt. Subsecuta Augusto mense Ludovici Imperatoris mors in Italia, tristis non modò ob iacturam optimi principis & de Italiæ maximè regno & Ecclesia insigniter meriti; sed quia novis motibus ianuam ape-

COMETA.

INVNDATIO

LVD. IMP. MORS.

aperuit, fratribus Regibus Ludovico & Carolo iterum inter se collisis, cùm vterque tantæ spei immineret. Prior Carolus morte Imperatoris comperta, cōtractis vndequaque summa celeritate auxilijs, quàm maximis potuit itineribus, in Italiam cōtendit; sed quem summi honoris cupiditas eò traxisse videbatur, primo statim ingressu dubium fecit, an non avarior esset, quàm ambitiosior; gazam enim regiam omnem solertissimè conquisitam in suam redegit potestatem, &, vt illi⁹ seculi annales loquuntur, *Omnes thesauros, quos invenire potuit, vnca manu collegit.* Ludovicus fratris facto gravissimè commotus, ad iter illius retardandum, Carolum filium in Italiam misit; sed nō eas copias adduxerat, quæ à rege timerentur; nullo proinde negotio ab eo reiectus ad patrem redijt. Porrò cùm Ioannis pontif. epistola Carolo glorioso regi inscripta eáq; expostulatoria extet, de auro, quod Engelberga Ludovici Imper. vidua Brixiensi Virginum cœnobio intulerat, violentè inde ablato, nihil profectò causæ vel

CAROLVS CALV. IMPERIVM AFFECTAT.
Aim. l. 5. c. 32. Annal. Fuld. Hermann. Sigeb.

CAROLVS CAR. CAL. OPPOSITVS.

Est 42. inter epist. Ioan. Papæ.
CAROLVS LVD. F. DEFENSVS,

vel Baronium, vel qui ſummorum pontificum epiſtolas edidit, Binium habuiſſe exiſtimo, vt ſacrilegij huius infamem notã Carolo Ludovici Boii filio inurerent; cùm neque vivente etiamnum patre, rex ſalutari potuerit, neque vlla patrati ſceleris ſuſpicione à quoquam ſcriptorum aſpergatur; cùm contrà ex annalibus illius ævi monſtraverimus, Carolum Calvum Theſauros regios omnes diripuiſſe; præterquam quòd noſter, quem iſti furti arguunt, vix illato in Italiam pede, fugatus eſt; vt hæc illius irrita breviſſimáq; expeditio ab alijs ſcriptoribus omnino præterita fuerit; & Ludovicus pater illi diffiſus Carolomannum expertæ virtutis cum inſtructioribus copijs in Italiam miſerit: cuius adventu nunciato Calvus cùm ſciret, quîcum ſibi res futura eſſet, inſeſſis alpium faucibus, ingreſſu prohibere Carolomannum inſtitit; ſed ille iugis montium eluctatus deductum in plana exercitum fidenter Calvo obiecit; qui copiam ſui facere nõ auſus, repudiato ferro, Carolomannum auro aggreſſus eſt, cuius ille magnitudine victus & Caroli verbis, Italiâ ſe mox

ceſ-

cessurum déq; imperio cum fratre iure certaturum pollicentis, nimiùm credulus militem ex Italia deportavit. Carolus metu liber, submoto æmulo, promissis non stetit, quáque arte contra armatum vsus fuerat, eâdem inermes multo maiore fiducia tentavit, corruptísque per prodigas largitiones Senatus Populíque Romani animis, sparsáque passim liberalitatis famâ, quæ optima conciliatrix est benevolentiæ, cùm plebem iam suam fecisset, secundis rumoribus etiam Ioanni Pontifici commendatus illius accitu Romā profectus Natalitijs Christi ferijs, solenni pompa, coronatus & Imperator Augustus salutatus est; sed maximæ expectationi, quam Pontifex amplissima oratione ante inaugurationem habita excitaverat, non respondit; nihil minus, quàm felix astrum benignúmque sidus fuit, quod orbi Christiano affulsisse in Carolo Calvo Pontifex bene ominans promittebat. Inutilem creasse Ecclesiæ Romanæ Imperatorem, & res ipsa docuit, & Baronius verissimè pronunciat. Ludovicus interim duabus expeditionibus per filios, sinistro exitu, susce-

Herm. Sigebert. &c.

CAROLVS CALVVS IMP. SALVTATVS.

Ann. 876. n. 17.

LVD. GALLIAM INVADIT.

ſuſceptis, dolore ardens, vt fratri, quà poſſet, ægrè faceret, & vel domeſticis incommodis à propoſito in Franciam retraheret, cum filio cognomine & copioſo exercitu Caroli regnum invaſit, Engelrami potiſſimùm ſuaſu, qui cùm apud Carolum nuper principem gratiæ locũ obtinuiſſet, Richildis reginæ odijs everſus hanc ignominiæ vlciſcendæ occaſionem avidè arripuerat. Ludovico fines ingreſſo, proceres Galliæ defenſionem meditari viſi ſunt; privati deinde commodi ſpes prævaluerunt, vt in prædis agendis populandáque patria hoſti nihil concederent. Ludovicus cùm Attiniaci Natalem Chriſti egiſſet, deferveſcente paulatim iracundia, agi ſecum de pace ſuſtinuit: exercitu è Gallia abducto, Francofurti de Hemmæ coniugis morte certior factus eſt. Princeps fuit omnibus animi corporiſq; dotibus prædita, Matris Patriæ nomen, bene de omnibus merendo, merita; in pauperes vſq; ad miraculum larga, quibus ſtipem ſuis ipſa manibus annumerabat, eóque, in monaſterio, quod Ratisbonæ ab ipſa locupletatum Superius appellatur, morem

ANN. DCCCLXXVI.

HEMMÆ REGINÆ MORS ET ELOGIVM.

rem hunc perpetuum esse voluit, vt, quo die anniversaria sibi iusta celebrarentur, sacrarum virginum Maxima, nudis pedibus, egenis sportulam daret. De tumuli loco nondũ liquet, D. Emmerãmi monachis, & monasterij, quod ipsa statuit, virginibus hoc sibi decus certatim afferentibus; quod ipsum virtutis testimonium est; nam sublatã ex oculis, quàm incolumem studiosiùs observamus. Interim Carolus Calvus ex Italia in Galliã reversus cupiditates suas palàm solvit, cúmque arrepti fastigium Imperij virtutibus non æquaret, insigne apud posteros fastu facere voluit. Patrios mores disciplinámque Franciæ regum salubriter temperatam, & civilem habitum, quem Carolus M. neque post tot triumphos mutârat, velut leviora magnitudine sua ducens, peregrinos cultus Græcásque ineptias turpi æmulatione affectabat. Superbiam habitûs animi insolentia sequebatur & orationis intolerabilis tumor; Ludovico fratri non bellum, sed excidium minabatur, iactare ausus, equis potantibus neque Rhenum suffecturum, quorum vngulis fraterna regna

Hermannus ad S. Emmeram: sepultam scripsit.

Hermann. Sigebert. Aimoin. c. 33.

Annal. Fuld. & Sigebert. in Chron.

regna esset protritus. Sed Ludovicus irrisa vanitate hominis, bellū illud formidolosum & basilicas minas sola apparatus sui fama confecit. Simul enim sub signa vocari militem per Ludovici conquisitores Carolus accepit, idem, qui paulò antè super mensa & stolidis concionibus fratrem debellaverat, multò iam modestior pacem per legatos petijt. Ludovicus otij publici quàm privati commodi amantior, conditiones dare accipereque paratus, Williberto Episcopo Coloniensi, Adalardo & Meginardo Comitibus internuncijs, omnia eò consilia conferebat, ne Respub. in veterem iterum illisa scopulum, sua fratrísq; ambitione periclitaretur; igitur cæteris rebus omnibus remissis, quæ sibi ex fœdere de Ludovici Imperatoris regno portio deberetur, eam vti adire sine cuiusquam iniuria posset, flagitabat; verùm antequam ea res ex sententia conficeretur, mors illum terris subduxit Francofurti V. Kal. Septemb. Maximus sine controversia ævo suo principum fuit, religionis sincerissimus cultor, iuris divini humaníque iuxta peritissimus. Vis

CAROLI CALVI TVMOR REPRESSVS.

Aimoin: l. 5. c. 33.

MORS LVDOVICI BOII.

Reginonis de Lud. elogium ann. 876.

in eo incredibilis animi, eiúsque magnitudini par consilium, & vtrique suffectura manus & fortuna, quam quidem in bellis, quæ plurima gessit, comitem ferè habuit & obsequentem. Nihil in penatibus eius venale aut ambitioni pervium; optimum quemque eundem censuit nobilissimum; dignitates stipendia esse voluit virtutum, nunquam passus bonorum fortiúmque præmia ab ignavis aut impuris occupari: ipse laborum facinorúmque nobilium non magis æstimator, quàm ostentator; aciem quàm convivium struere, & ferro certare quàm poculis doctior; arma & *instrumentum* bellicum pulcherrimam principis supellectilem credidit, semper in ferro sibi quàm auro visus pulchrior; foris invicti roboris famam, quàm domi laudem ex munditijs colligere maluit: vnde neq; à monasterijs, quæ patrocinio suo dignatus est, alia præterquam militaria dona accepit: nam Ratpertus S. Galli monachus annotavit, ab illo monasterio quotannis equos duos, totidémque scuta cum lanceis exegisse. Ex Hemma coniuge tres filios sustulit, Carolo-

Tom. 1. rerum Alemann. c. 8.

rolomannum, Ludovicum & Carolum, qui Craſſus dictus eſt: filiam, de qua quidem certò conſtet, vnam Irmengardem, quam Chimenſi parthenoni antiſtitem præfecit, vt Henrici quarti Imper. literæ loquuntur. Tumulum tandem in Laurishamenſi monaſterio, vbi Thaſſilonem conditum fuiſſe diximus, accepit, qui hodie etiam monſtratur: ſed epitaphium carmen deeſt, cuius vicem, quod ex Reginone paulò antè tranſcripſimus elogium ſupplebit, quo maximas boni principis notas complexus eſt; ampliſſimè enim laudatum puto, qui rerum omnium, quæ religionis ſunt, quæ pacis, quæ iuſtitiæ, *ardentiſſimus* vocatur *executor.* *Marq. Freher. l. 1. orig. Palat.*




VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM

LIBER VII.

Breviarium rerum geſtarum.

CAROLOMANNO
LVDOVICO
CAROLO CRASSO LVDOVICI
GERM. FFF. LVD. PII NNN.
CAROLI PRONEPO-
TIBVS
ARNVLPHO CAROLOMANNI F.
NOTHO
LVDOVICO ARNVLPHI F.
REGIBVS
ARNVLPHO ET
BERTHOLDO LVITPALDI FF.
DVCIBVS BOIARIÆ.

AROLVS *Calvus Ludovici* BOII *Fratris provincijs improba cupiditate inhiat. ab ea mente Ludovicus Lud. F. Patruum deducere per Legatos frustra conatus, armis eius prope circumventus insignem tamen victoriam reportat. Fratribus Provincias sortientibus* BOIARIA *Carolomanno obtigit; accessit, Carolo Calvo mortuo, etiam Italiæ Regnum, quo neq; diu neq; cum gloria administrato extinguitur laudatißimus alioqui Princeps.* I.

Ludovicus Carolomanni frater Regno BOIARIÆ *adito, iteratò in Galliam, spe coronæ, proficiscitur; illic Northmannos cædit. Filijs legitimo & Notho orbatur. Galliæ invasores per Legatos, Northmannos ipse bello invadit; & clade ab ijsdem accepta moritur.* II.

Carolus Crassus Fratris successor Northmannos bello fatigatos fœdere si- III.

bi iungit. BOIOS *contra Vidonem Spoletanum armat. Zuentibaldus Moravus ab Aribone* BOICI *limitis præfecto invitatus* BOIARIAM *& Pannoniam vastat. Carolus Galliæ regno potitus eius turbatorem Hugonem compescit; Northmannos ab eod. concitatos per insidias evertit. Alibi ab eadem gente cladem accepit. Tandem rebus retro labentibus, imperio regnísque omnibus exutus vitam in vltima egestate finit.*

IV. *Arnulphus Carolomanni F. Nothus Carolo Crasso suffectus magnis, sub initia regni, turbis exagitatur. Regulos tum primùm vndique exortos fovet stabilítque noxiâ benevolentiâ. Vngarorum eo imperante nomen primùm auditum. Cum Northmannis Legati Arnulphi infeliciter pugnant, ipse memorabili eos prælio concidit. Moravos domat, Vngarorum auxilijs pessimo consilio*

silio adscitis. de Gallicis, inter æmulos Reges, discordijs cognoscit; de Zuentibaldo Moravo D. Emmerammi ope triumphat. Ad componendos Italiæ motus Zuentibaldum F. mittit: eo regresso expeditionem ipse suscipit, plenam gloriæ, nisi cursum abrupisset.

V. *Arnulphus rogatu Pontificis in Italiam regressus Româq; spe facilius potitus Imperator salutatur. In digressu, furiali poculo hausto, vacillare mente incipit, & inglorius in* BOICAM *revertitur. Moravorum Principum dissidia* BOIIS *concitatoribus nata componit. Zuentibaldi F. improba indole, Vtæ coniugis falsò accusatâ innocentiâ afflictus etiam veneno appetitur. Æger nihilominus Isanrici rebellionem comprimit, & D. Dionysij corpore D. Emmerammi Monachis donato, mortem obit.*

VI. *Ludovicus Arnulphi F. in regno*

succedit. Zuentibaldum Fratrem regno & vitâ deturbat. Luitpaldus BOICI *Limitis præses, vnde* BOIIS *Principibus genus, Vngaros felici prælio superat.* BOII *apud Pontif. Rom. delati purgantur. Regem Vngarorum occidunt. Berengarius apud* BOIOS *exul Italiæ regnum recuperat. Adelbertus Babenbergensis inquieto vir ingenio finitimos vexat; proscribitur; & Hattonis dolo circumventus Ludovico sistitur plectendus.*

VII. *Luitpaldus ab Vngaris occiditur. Meingoldus Comes Hoyensis* BOIA *matre natus cruentâ sed sanctâ morte defungitur. Vngaros in campis Lycatibus victores clade* BOII *afficiunt. Ludovicus Rex, pace ab ijsdem empta, moritur. Otho Saxo delatum Imperiũ Germaniæ repudiat idq; Conrado Franconi defert; qui Filium suffragatoris sui insidijs & aperta vi aggressus plures sibi æmu-*

æmulos excitat, inque his Arnulphum Luitpaldi F. BOIARIÆ *Principem. eum Conradus bello victum ad Vngaros fugat, quos haud multò antè* BOIVS *insigni clade affecerat. Conradus D. Emmerammo iniuria læso dat pœnas: moriturus Henricum Saxonem æmulum sibi successorem nominat.*

Arnulphus ab exilio redux Imperio Germaniæ imminet; sed modestiâ Henrici exarmatus improbam cupiditatem abijcit. Res cum Francis & Vngaris gestæ. Hos ab Augustæ obsidione S. Vdalricus solis innocentiæ viribus submovet. Burcardus Suevus, Dracolfus Frisingensis Episcopus infeliciter pereunt. Henricus sacris armis, Imperij futuris insignibus ditatus Bohemos domat, Arnulpho auxiliante. Tuto Ratisbonensis Episcopus miraculis inclarescit. VIII.

Arnul-

IX. *Arnulphus* BOIARIÆ *Princeps iteratò in Italiam spe regni proficiscitur: re infecta domum reversus multa mutatæ in meliùs mentis exempla edit. Ablata templis bona restituit, D. Vdalrico, vti suspicio est, monitore. Vngari profligantur divina & Henrici Cæsaris virtute, cui Equestrium Ludorum primordia nullo idoneo argumento affinguntur. S. Conradi Episcopi Natales & Henrici Cæs. Mors. Othonis F. inauguratio, & primum, contra Bohæmos, ad iniustam VVenceslai Principis cædem vindicandam, bellum.*

X. *Arnulphus* BOIARIÆ *Princeps diem suum obit. De morte eius atroces fabulæ reiectæ. Filijs eius de Principatu contendentibus Bertholdus frater ab Othone præfertur; æmuli bello domantur. Guntherus vir sanctus Ratisbonensibus Episcopus datur Dei iussu. Civile bellum Otho precibus magis quàm armis*


armis componit; cum Bertholdo affinitatem contrahit, qui ipse quoq; Vngaris ingenti prælio superatis, moritur.

GESTA SVNT HÆC ab Anno CHRISTI DCCC LXXVI. vsque ad DCCCCXLVII.



Ludo-

I.
Annal. Fuld.
Regino.
Sigebert,
Aimoin. l.5.
c.34.
CAROLVS CALVVS PROVINCIÆ LVD. FRATRIS SVI IMMINET.



VDOVICI regis mors, vt toti luctuosa & acerba Germaniæ, ita Carolo Calvo fratri pergrata accidit, gestientis animi argumentis palàm erumpentibus, & mœrore ne ad speciem quidem simulato: cúmque tres filios hæredes aspiceret, omnia tamẽ illius regna cupiditate complexus, à malis artibus ad apertam vim prolapsus procerum primùm animos per legatos solicitat, & promittendo invicem minandóq;, fidem illorum convellere laborat; cúmque iter ad Mediomatrices instituisset, mutata repentè voluntate, Aquas, vbi regia erat, & deinde Coloniam cum exercitu profectus omnia prædis populationibúsque infestat, Pontificijs legatis comitantibus, quasi talium virorum dignitas nefarijs illius conatibus detrahere ignominiam posset: & quanquam domesticis cladibus adversáque de Northmannorum irruptione in Galliam, famâ, domum retrahebatur, relictâ tamen sub cultro patriâ, cupidini suæ morem gerere, & aliena rapere, quàm sua tueri maluit. Ludovicus,

vicus, qui ſolus ex filijs paternum funus duxerat, nondum iuſtis perſolutis, inter ipſa parentalia, Caroli infeſto adventu perculſus, pro exequijs parare exercitum cogitur: cúmque, vt in re improviſa, inſtructum promptúmq; nihil admodum haberet, ſubitarias aliquot cohortes in aquilonari Rheni ripa collocat, modicum præſidium, ſed quotidianis incrementis augendum; bellum tamē omne, quacunque ſpe pugnandum eſſet, deteſtatus legatos ad Carolum de pace miſit, quorum princeps in hanc ſententiam fertur locutus. Quòd atratos nos in caſtris tuis aſpicis, eò minùs mirandum tibi eſt; quòd luctus, cuius argumenta circumferimus, iure humanitatis, tibi nobiſcum communis, tantóque inſignior apud te eſſe debuit, quanto cauſas propiores habes. A fratris tui tumulo abſtracti, vixdum ſiccatis lacrymis, ad te legati ire iuſſi, hunc ipſum habitum cultúmq; funebrem pro nobis locuturum credidimus; neque impetrabilior nobis vlla oratio viſa eſt, quàm ſqualor iſte corporis, & publici mœroris inſignia oculis tuis admota; cùm præſertim diſertos

LVD. CONTRA CAROLVM CALV. ARMA SVMIT.

LEGATIO AD CAROLVM MISSA.

, tos esse dolor non patiatur, qui clemens
, mitísque censetur, si non vocem etiam
, strangulat. Intellexisti, Imperatòr, fratris
, tui morte nunciata, per totam Germa-
, niam indictum iustitium esse, mutatam
, vestem, clausas tabernas, fora ipsa conti-
, cuisse, neminem nisi mœstitiæ opera-
, tum, laxata dolori frena, plerisq; omni-
, bus optimum patrem, aut, qui tempe-
, rantissimè luxerunt, clementissimum
, dominum deplorantibus; & in privatis
, publicísque causis, crede mihi, tui quo-
, que nos misertum est, quò maior nobis
, iactura tua visa est, qui fratre orbatus
, esses, quàm nostra erat, domino amisso.
, Etsi enim certatum inter vos sententijs
, sæpe, nonnunquam etiam armis memi-
, neramus, humanitatis tamen sensum &
, arctissimum necessitudinis & sanguinis
, nexum validiora his offensiunculis fu-
, tura censuimus; cùm etiam capitales ini-
, micitias acerbissimorum hostium mors
, decidat, & cum larvis luctari velle, vlti-
, mę insaniæ sit; quo factum est, vt, cùm te
, in Germaniam properare nunciatum es-
, set, iturum scilicet fratri exequias, om-
, nes crederent, eiúsque tumulo pias la-
cry-

crymas aspersurum; Cur ergo quem ' atratum expectavimus, armatum vide- ' mus? quas tu fratri inferias, quos ludos ' funebres paras? an sanguine quàm la- ' crymis Manes placari meliùs putas? & ' sanguine quidem cognato? nam cùm ' grassari in regni tui viscera ferocissimos ' hostes audias, patriam in illorum mani- ' bus relinquis, & triumphum ex amicis ' petis, contra quos neq; gladium strin- ' gere potes, priusquam omnia naturæ & ' communia gentium iura confuderis; et- ' si enim fœdera, quæ cum fratre vivo san- ' xeras, credis cum mortuo expirasse, vi- ' vunt tamen tres filij, quos hæreditate ' paterna non nisi per summam iniuriam ' arcere potes; nisi ideo imperatorē te pu- ' tas dictū, vt præter te nemo imperet; in ' quam spem etsi auctoratum militem ' trahis, frustra tamen es, si inimicum ' Deum & adversariam fortunam habes. ' superari etiam fortior potest, & victoria ' sæpius causæ, quàm viribus datur. id etsi ' vsu ipso nunquam didicisses, non est ta- ' men prudentiæ tuæ, quinquaginta ho- ' minum millia in tristissimæ rei experi- ' mentum mittere; ignorat pretium hu- '

, mani ſanguinis, qui illius profundendi
, ſatis magnam cauſam putat, cupidita-
, tem ſuam; nunc proinde cave, ne te in-
, conſultæ pugnæ pœniteat, cùm te etiam
, victoriæ, ſi ea tibi contingeret, debeat
, pudere. Sed nihil profecit apud ebrium ambitione animum modeſta oratio; negavítq; Calvus, ideo ſe ex Gallia profectum, vt de iure ſuo verbis diſceptaret: ferro id ſe multo melius probaturum: quin etiam, cùm ſupplicationum in caſtris Ludovici decretarum fama ad glorioſos Caroli milites perlata eſſet, irriſui illis pietas fuit; olim, hodiéque milites corpora curare iuſſos, Ludovicum ſuos inediâ ad pugnam exercere; & cùm tela non habeat, hoſtem preculis velle configere. neque ſic tamen Ludovici victa patientia eſt; ſed quando oratores ſpretos viderat, triginta alios in caſtra Caroli amandat, qui ferri candentis, aquæ fervidæ frigidǽque contactu æquitatem cauſæ ſuæ evincerent, quod illo ſæculo ſolenne religioſúmque habitum; qui etſi illæſi omnes abiere, deducere tamen de ſententia Carolum non potuerunt. Ludovicus mollioribus conſilijs conſumptis,

PIETAS IRRISA.

LVDOVICI ÆQVITAS.

ptis, robur exercitus de castris subducens, Confluentes inter & Arduennam, Rhenum transit, nulla re, neque commeatu quidem satis instructus; vnde cùm Anternaci substitisset, pabulatores quaquaversum dimittere necesse habuit, ad pabulum equis convehendum; quo minùs latere illius transitio potuit: eum vt nullo suo periculo Carolus obrueret, mentione pacis iniecta, postulatísque legatis, avertere à cogitationibus belli studuit; qui fraudis securus cùm paruisset obedienter, & velut pactis inducijs, laxatus ipse curis militem etiam haberet remissiùs, Carolus Non. Octobr. motis noctu castris, infestis signis adversus Ludovicum contendit, iam etiam suppliciũ præmeditatus, quo insontem afficeret: oculos enim vivo se effossurum minatus est, exercitum illius omnem occidione deleturum: quæ cùm palàm iactarentur, accusare tamen perfidiam, præter Willibertum Antistitem Coloniensem nemo ausus est; sed & ipse cùm frustra adversus Calvi contumaciam niteretur, Hartvigum sacerdotem, per nota viarum compendia, ad Ludovicum

Fravdvlenta Consilia Caroli.

vicum amandat, qui instantis periculi eum redderet certiorem; is etsi palantes longiúsq; digressos contrahere omnes, per tempus, non potuit, quiquid tamen ad manum fuit copiarum, irruentibus obiecit; & quia eadem vtrinque signa armáq; futura erant, suos inire prælium candidatos iussit, vti ea nota ab hostib. discernerentur. In prima fronte Saxones pugnam ciebant; sed cùm impetum hostis non sustinerent, pedem retulere; quibus perculsis successere Franci orientales, tantáque vi animorúmque ardore in vtrumque hostis latus invecti sunt, vt ad ipsa brevi signa penetrârint. Reginarius Comes, qui prætorium Caroli vexillum præferebat, inter primos occubuit; cuius casu etiam integri afflicti sunt, quasi capto principe signo omnis ad hostes fortuna transîsset; neque pugna deinceps, sed similis ruinæ strages erat; felicissimi sibi visi, quibus via ad fugam patuit; quæ cùm effusè ab omnibus caperetur, agnoscere tandem vltorem perfidiæ fastúsque Deum Carolus, & ingemiscere dementiæ suæ cœpit, & ne tentata quidem aciei restitutione, nullo neque du-

PVGNA INTER CAROLVM ET LVDOVICVM.

CAROLI FVGA.

cis,

cis, neque militis munere functus, cum paucis, qui fugam eodem intenderant, se proripuit ægrè insequentium manibus elapsus; nam impedimenta regiæque opes fugientib. iter præcluserant: cæsi ergo etiam in fuga multi, plures vivi capti, in quos Ludovicus nihil tristius decerni passus est. Victoriâ partâ ad prædam miles discurrit, quantam vix avaritia capere potuit; manus certè non suffecere. Ingens auri argentíque pondus, & totum regiæ opulentiæ instrumentum direptum impunè: spoliatus Caroli miles magis ad triumphum, quàm pugnam, comptus totum Ludovici exercitum locupletavit. auxit lætitiam confessio hostium, cælum haud dubiè Ludovico militasse; nam ipsummet humana specie aliquanto augustiorem vultus maiestate oculos animósq; omnium præstrinxisse; viris certè primo congressu mentem, equis vigorem ademptum; quin ipsam ferri aciem retusam ad nullam luculentam plagam valuisse: fossos calcaribus equos immobiles tamen in eodem vestigio perstitisse, adeóque omnia non modò pugnæ sed etiam fugæ præsidia sibi

VICTORIA DIVINITVS PARTA.

VXORIS CAR. CALVI CALAMITAS.

erepta divinitus fuisse. Castigatâ in hunc modum Caroli temeritate, expers calamitatis Richildis vxor esse non debuit; quæ VII. Id. Octob. proximo post pugnam pugnatã die, tristi nuncio percussa, trepidâ fugâ Heristallio se proripiens, cùm nocte tota, gravi vtero, iter fecisset, agitationem non ferens, ante solis ortum, partum effudit, adeò humanis omnibus auxilijs destituta, vt data in sinum anteambulonis sobole, miserabilis puerpera finem fugiendi, priusquam Anternacum pervenit, nullum fecerit. Ludovicus Aquas-Grani abijt, cúmq; triduo illic substitisset, Carolo fratri ad Confluentes obviam profectus, cùm ille Metas deflexisset, ipse Francofurtum triumphans ingressus est. Carolomannus quò minùs vel patri exequias, vel fratri suppetias ferret, Slavorum rebellione impeditus est; qua sopita imperiũ per summam concordiam divisum est.

DIVISIO PROVINCIARVM INTER LVDOVICI FF.

Carolomanno BOIARIA, Pannonia, Carantani, Boiohæmum & Moravi obtigere: Ludovico orientalis Francia, Thuringia, Saxonia, Frisia, & Lotharingiæ pars accessere: Carolus Alemanniam

niam & reliquum Lotharingiæ sortitus est.

CAROLOMANNVS LVD. GERM. F. LVD. PII N. REX BOIARIÆ.

Proximo anno, qui septuagesimus septimus fuit, Ludovicus Ianuar. mense Francofurti comitia egit, & superioris anni triumphum nobili clementiæ exemplo superavit; nam captivos omnes cum cura cõquisitos Carolo in Galliã remisit. fuere in his summates viri plures, Ortulphus Episcopus, Goslinus Abbas, Aledrãnus, Bernardus, Adalard⁹, Ebroinus Comites: cuius facti mox præsentem fructum tulit, quando Slavorum gentes duas Linones & Siuslos defectionem molitos, placida legatione, sine metu & vi, ad officium reduxit. æstate proxima Carolus Calvus gravissimis Ioannis Papæ literis excitatus, cum exercitu in Italiam contendit, Saracenis Ecclesiam infestantib. occursurus; cúmque Ticini de belli gerendi ratione cum pontifice consultaret, Carolomanni, cum ingentib. copijs BOIORVM Slavorúm-

ANN. DCCCLXXVII. *Annal: Fuld. Hermann.*

LVDOVICI CLEMENTIA.

Ann. Fuld. Aim. l. 5. c. 35. Regino. Herman.

CAROLOMANNVS CONTRA CAR. CALV. IN ITALIAM PROFICISCITVR.

rúmque, adventus vtrique, vt in re subita, trepidanti nunciatur; Calvus quanquam exercitum haberet, nihil tutius fuga ratus, Richildem Augustam, cum gaza Regia, in Galliam remisit, neque multo pòst eam ipse secutus est; cùm in proceribus tumultuantibus nihil præsidij esse, & ad Carolomannum omnia inclinari animadverteret; proximum Alpibus vrere febris cœpit: illi extinguendæ cùm Sedecias Hebræus gente, arte medica clarus, cui salutem suam Calvus commiserat, poculum temperasset, admiscuisse toxicum creditus est, cuius haustu Carolus interijt prid. Non. Octob. Carolomannum etiam mendaci nuncio Caroli cum copijs adversum se cōtendentis consternatum ex Italia profugisse Aimoinus auctor est, nulla prorsus, quæ appareat, veri similitudine. Annales Fuldenses regnum Italiæ omnibus volentibus inisse affirmant, neq; ante, quàm provinciam ordinasset, in BOICAM redijsse: supersunt præterea diplomata complura, quibus Italiæ rex præscribitur, ex quibus constat triennio id ab eo regnum administratum. Exercitus Caro-

CAROLI CALVI MORS.

CAROLOMANNVS REX ITALIÆ.

Ann. Fuld. Herman. Avent. recitat in Annal. & descript. vet. Oetingæ. Idem Sigon. testatur l. 5. de reg. Ital.

Carolomanni collectam in Italia pestem Germaniæ intulit pulmonibus precipuè infestam, vnde multi tussi animam expuerunt. Proximo anno Carolomannus Italia iam omni potitus, æquitatis amore, partem Lotharingiæ, quam in sortitione acceperat, fratribus sponte remisit; verùm alieno scelere insignis illi apud bonos omnes invidia conflata est: Lambertus enim Spoletanus Comes cum ingenti prædonum manu & nihilo melioribus Adalberti copijs, post vexatam fœdis populationibus Italiam, Romam ingressus Pontifici custodes circumdedit, & Senatum populúmque Romanum in verba Carolomanni adegit. miserrima vrbis facies fuit, in publico religionis iustitio, sacris omnibus silentibus, nudatis aris & sago cilicino instratis; D. Petri templum peregrè adventantium votis frequentatum nulli tum precum causâ patuit. Pontifex ipse calamitatis insolitæ spectaculo suóque periculo commotus, relictâ Italiâ, maritimo itinere in Galliam abijt, plenis querelarum epistolis reges ad auxilium Ecclesiæ ferendum invitans, & in ijs qui-

A. C. DCCCLXXVIII. *Annal. Fuld.* *Hermann.*

Lamberti improbi conatvs Carolomanno invidiam conflant.

 dem

Epist. 88. dem, quas Ludovico transmisit, negat in animum inducturum vnquam esse se, vti credat, Carolomanni præcepto, quod Lambertus iactabat, Romam oppressam, *quoniam*, inquit, *ex vestra progenie nullus cervicem superbè contra hanc extulit sedem, sed propter Deum suppliciter colla submisit*: nihilominus tamen Berengario Comiti regibus sanguinis nexu coniuncto imperat, vti Carolomannum inducat, ad frenum furori Lamberti inijciendum: ad ipsum præterea Carolomannum ex itinere, cùm Genuæ subsisteret, alias perscripsit, quibus illum splendidæ promissionis commonefacit, qua receperat, in Ecclesia propugnanda exornandáque, cum omnibus se regibus Imperatoribúsque certaturum. eum insuper, vti & fratres, ad concilium Trecas indictum vocat; quorum tamen nullus comparuit; quod satis constaret, proniore in Gallos quàm Germanos animo Pontificem esse; cuius illud præcipuum documentum fuit, quòd paulò pòst Ludovicum Balbū Caroli filium imperij corona insignivit, nulla

PONT. QVERELÆ ET AVERSVS à FF. LVDOVICI ANIMVS.

nulla regum Germaniæ habita ratione: cúmque Bosonem Comitem, suum, ex adoptione, filium salutasset, ab eodem in Italiam deductus, de transferendo in ipsum Carolomanni regno consilia agitasse compertus est. Nihilominus inter Ludovicum Balbum & Ludovicum Germaniæ regem amicitia inviolata constitit, ictúmq; mutuo consensu fœdus, cuius capita Aimonius recitat; in quibus de regno Italiæ expressè cautum est, vt illud tantisper Carolomannus obtineret, donec per otium, æquo de eo iure, apud communes arbitros disceptatum fuisset. legati etiam ad Carolomannum & Carolum decreti, qui illos ad colloquium in VIII. Id. Febr. anni sequentis indictum vocarent, vt de rep. ab omnibus in commune cõsultaretur. sed sapienter cogitata consultáque Ludovici Balbi mors discussit: Ludovicus etiam Germaniæ rex, accepto de Carolomanni fratris adversa valetudine nuncio, properè in BOICAM profectus, salutato ægro, proceres sacramento adigit, neminem, siquid Carolomanno humanitùs accidisset, præter Ludovicum, apud se regna-

Aimoin. l. 5. c. 38.

ANN. DCCCLXXIX.

CAROLOMANNI MORBVS.

Annal. Fuld. Hermann.

LVD. BALBI MORS.

regnare passuros. Francofurtum cùm rediisset, de Ludovici Balbi morte fit certior, quam is IV. Id. April. obierat, magnis deinceps motibus subsecutis, quos procerum ambitio & studia partium excitavere. Ludovicum & Carolomannum, ex Ansgarde nobili fœmina, invito patre, iustæ vxoris loco habita, iam olim susceperat; qua tandem repudiata, cùm Adelhaidem duxisset, ea gravida relicta decessit, spe ventris tutoribus commendatâ; in Ludovicum nihilominus filium pronior regni insignia ad illũ moriens transmisit: sed proceribus omnia miscentibus, Goslinus Abbas memor benevolentiæ & humanitatis, quam Ludovicus Germaniæ rex nuper in pugna Anternacensi capto impenderat, totum ad illum regnum Galliæ trahebat, eadem operâ æmulos, quorum odijs antea afflictus fuerat, vlturus, & principem sine dubio gratiæ locum apud Ludovicum, si is rerum potiretur, occupaturus; communicato ergo cum Conrado Parisiensi Comite consilio, inductísque in eandem sententiam vtriusque ordinis proceribus permultis,

Regino.

LVD. GERM. REX IN GALLIAM INVITATVR AD CORONAM.

qui-

quibus maximas ſpes & ampla imperia oſtentabat, Ludovicum in Galliam Metas primùm deinde Virdunum pellicit, haud magnopere lætis adventu illius Gallis; qui cùm exercitui commeatum malignè præberent, verſus ad prædam miles paria Northmannis ferociſſimis hoſtib. fecit. Ludovico ipſi in proſequendis cœptis conſtantia defuit; parte enim Lotharingiæ à proceribus, qui Goslini conſilijs adverſabantur, vltro oblata, exercitum Francofurtum reduxit. Domum reverſus turbatum nonnihil in BOIARIA comperit; Arnulphus Carolomanni filius Erambertum Comitem alióſque plures, qui apud patrem offenderant, in ordinem redactos proſcripſerat; ij de iniuria apud Ludovicum conqueſti cauſam ſuam ea eloquentia egerunt, multò vt maioris negotij, quàm apparebat, res ea Ludovico videretur; neque enim de fortunis modò illuſtrium virorum, ſed de BOICA vniverſa agi; Arnulphum ſine dubio in ſpem provinciæ poſt patrem invadendæ erectum, cupiditatibus ſuis ſtabiliendis

ARNVLPHVS CAROLOM. F. IN INVIDIAM ADDVCTVS.

ex

ex condemnatione illorum procerum, occasionem quæsivisse. Arnulphus, de quo nobis sermo, Carolomanno infœcundum coniugium sortito extra thori fœdera natus, præter illam vnam maculam, egregia alia omnia habuit; ob quæ non modò patri dignus visus est, qui Carantanis præficeretur; sed, vti suo loco dicemus, ad Imperij vsque fastigium ascendit. Ludovicus suspicionibus suis morem gerens è vestigio in BOIARIAM profectus, meliore omnia, quàm credidit, loco reperit; nullus ab Arnulpho metus; cum Carolomannus, vsu loquendi iam amisso, fratris fidei per tabulas, vti & se suáque omnia commendavit; neque diu superstes fuit, sequenti mox anno, qui octogesimus fuit, Aprili mense, defunctus, magno sui apud omnes desiderio relicto. Princeps laudatissimus fuit; nam ad insignem corporis elegantiam cultum literarum adiunxerat, consilio iuxtà & manu promptus, belli pacísque artibus inclitus: tam civium amor, quàm hostium terror, Slavorum maximè, ex quibus anniversarios propè triumphos retulit; vnde auctum impe-

ARNVLPHVS LVD. COMMENDATVS.

A. DCCCLXXX CAROLOMANNI MORS ET ELOGIVM.

Regino. Ann. Fuld. Herm. &c.

imperium prolatíque fines, cum egregia nominis fama: religionem pietatémque non modò castè, sed magnificè etiam coluit, Oettingæ templo D. Benedicti sodalibus structo, neq; domesticis modò opibus, sed peregrinis quoq; fundis in *Italiæ* regno sitis ditato; vbi etiam condi voluit. Eius morte vulgata Ludovicus frater in Boiariam properans gentis imperium ex compacto accepit. Carantanorum Præfecturâ Arnulpho permissâ. Carolus verò maiora animo volvens continuò in Italiam profectus, regni insignibus ab Archiepiscopo Italiæ exornatus est. Carolvs Crassvs Rex Italiæ.

LVDOVICVS LVD. GERM. F. Lvd. Pii Nep. Rex Boiariæ. II.

Ludovicum Boiariæ regno auctum veteres spes ab eodem Goslino Abbate, qui priores subiecerat, renovatæ iterum in Galliam rapuere; comitata abeuntem vxor est, quæ relanguescenti stimulos adderet, multo ipsa ambitiosior viro, quē, priore anno, cum minore, quàm speraverat, gloria reversum etiam *Aim.l.5.c.40.*

con-

convitio asperserat, ignaviam increpans, quòd dimidium quàm totum maluisset: vnde per hanc potissimùm Ludovicum Goslinus inflammaverat, vt alteram expeditionem in Galliam susciperet, nihilo meliore successu: nam cùm Ludovici Balbi filijs, damnata Goslini vanitate, fœdus icit: sed fortè fortuna factum est, vt suscepti itineris & operæ pretium esset; exercitum è Gallia reducenti iuxta Carbonariam silvam Northmannorum copiæ oblatæ; ij exscensione ex Scaldi flumine facta, regionem omnem latè deprædati, satiatâ avaritiâ & crudelitate iter cum spolijs ad naves intenderant. Ludovicus rei benè gerendæ occasionem avidè arripit, militi suo prædam ostentat, & paratum virtuti stipendium, si se viros, & armatos meminissent. neque longa oratione opus fuit; cùm præsens lucrum animos exacueret, ipsi sibi hortatores facti, quò suæ quemque spes rapiebant, in hostem feruntur; neque sustineri illorum vis potuit; supra quinque, aut, si Hermanno & Sigeberto credimus, novem Northmannorum millia cæsa, reliqui in fugam acti intra muni-

LVD. ALTERA IN GALLIAM PROFECTIO.

LVD. CVM NORTMANNIS FELIX CONGRESSVS.

Regino. Annal. Fuld. Aimoin. Sigeb.

munimenta se recepere; quibus cùm Hugo regis filius spurius ardentiùs instaret, vulnere accepto vivus in potestatem hostium venit; ea res victoriam imminuit: pater filij recuperandi studio receptui cani iussit; quanquam voto suo potitus non est. nam Nortmanni, non expectatâ sequentis diei fortunâ, crematis raptim cæsorum corporibus, tecti tenebris diffugére, Hugone ex vulnere extincto; cuius cadaver pater agnitum Laurishamensi monasterio illatum nobili tumulo cohonestavit; cùm paulò antè etiam Ludovicum filium, quem unicum ex Luitgarde coniuge sustulerat, miserabili fato amisisset; nam cùm post fratris obitum, in BOIARIAM, ordinandæ provinciæ causa, commigrasset, & Ratisbonæ diversaretur, is, quem nominavimus, Ludovicus, nullo observante, fenestris adrepsit, indéque præceps delapsus fracta cervice mortuus sublatus est, æternus parentum dolor omnes in illo spes extinctas deflentium. Eodem anno cladem acceptam Nortmanni nobili Saxonum strage æquarunt, vel etiam superarunt: Episcopi duo cum præcipua nobi-

LVDOV. LVD. F. MORITVR. *Regino.*

NORTMANNI SAXONES VINCVNT. *Annal. Fuld. Herman.*

nobilitate ab ijs cæsi sunt, quos inter etiam Reginæ frater occubuit. eius rei fama Dalmatas, Bohæmos Sorabósq; ad rebellionem & arma concitavit; spes erat Thuringos vicino & familiari nudatos auxilio opprimi posse; in horum igitur fines cùm infesta signa intulissent, opportuna iniuriæ flamma ferróque vexaverunt. Sed virtute Popponis Comitis, qui Sorabico limiti præerat compressa ferocia est, qui iusto cum ijs prælio congressus omnes internecione delevit, ne nuncio quidem cladis relicto.

REBELLIO COMPRESSA.

Annal. Fuld. Aimoin. l. 5. c. 40.

Æstate proxima Ludovicus, Comitijs Wormatiæ actis, legatos ad Gundolphi villam, quo regum Galliæ oratores accessuri erant, cum mandatis misit; Henricum & Adelbertum cum exercitu cõtra Hugonem Lotharij ex Valdrada filium Galliæ tyrannum ire iussit, qui Theobaldum Hugonis legatum cum copijs assecuti extemplo conflixerunt; clades vtrinque ferè æquatæ, victoria penes nostros fuit. Inde in Bosonem, qui & ipse regium nomen assumpserat, titulisque suis non Provinciam modò, sed etiam Burgundiam inserebat, conversi,

versi, Matisconem vrbem, in qua Boso præsidium collocarat, expugnant; Viennam deinde, in qua Bosonis vxor & filia asservabantur, obsidione cingunt: quæ cùm longiùs duceretur, Carolus Crassus, qui cognatis rebus auxilio venerat, mora offensus, transcensis Alpibus, in Italiam, & inde rectà Romam contendit Coronæ à Pont. Max. impetrandæ causa. Natalitijs Christi Domini Ferijs Imperator salutatus est. Interim attritis distractísq; in civilia bella copijs, Nortmanni suis nudam propugnatoribus Galliam nacti omnia crudelitatis in eam barbaræ exempla ediderunt: inde regressi Noviomagum occupant, vrbéque insigni opere munita, palatium regium receptaculum spoliorum Galliæ eligunt. Ludovicus rei indignitate motus ad recipiendam regiam, cum exercitu eò profectus frustra fuit; nam & cælum rigebat, & hostis munitionibus tectus ad pugnam elici non poterat. erumpebat tamen subinde occasionem rei bene gerendæ speculatus, cum quo levia prælia, nullo ad certam plenámque victoriam momento, commissa. E nostris Ebér-

CAROLVS CRASSVS IMP.

CONTRA NORTMANNOS RES IMPROSPERE GESTÆ.

Annal. Fuld. Herm. Regin.

hardus Saxo filius Reginardi Comitis captus, persoluto à matre Enessa pretio dimissus est. Ludovicus vbi omnia hostibus æquiora quàm sibi deprehendit, cum ijs pacisci cœpit; qui cùm sine vllius iniuria Neomago se abituros recepissent, prior ipse exercitum inde deportavit: Hostibus fides non constitit; in procinctu regię ignem subiecerunt, corruptísque eadem flamma munitionibus, quas excitârant, tristibus sævitiæ suæ monimentis relictis, secundo Rheno, mare repetivere. Anno octogesimo primo Ludovicus post paschales ferias in Galliam profectus, Hugonem Lotharij & Valdradæ filium pacis publicæ turbatorem obvium habuit; qui prioris pugnæ lævo successu modestior fidem dare acciperéque paratus regem benevolum beneficúmque expertus est: sed brevi in perfidiam relapsus, quòd privatus vivere nesciret, vetera ad tyrannidem recipiendam coquere consilia & nova conquirere auxilia deprehensus est: vtrisque à Ludovico in tempore disiectis in Burgundiam fugâ evasit; Ludovicus cum rege Galliæ sibi cognomine apud Gundolphi

PACTA CVM NORTMANNIS INITA AB IISDEM VIOLATA.

ANN. DCCCLXXXI. *Annal. Fuld. Herman.*

HVGO DATAM LVD. FIDEM RVMPIT.

phi villam de repub. collocutus in BOIARIAM abijt, ibíque reliquum æstatis exegit: Nortmanni iterum Galliæ imminebant, sed inde à Ludovico Galliæ rege cum insigni clade reiecti, cum nóvem millia equitum amisissent, efferati in rabiem, scripto in supplementum milite, cum copijs multo selectioribus in fines Ludovici Germaniæ Regis totam procellam effuderunt, citatíque fulminis instar Cameracum, Traiectum, Hasbaniensem agrum, Ripuarios, Tungros, & nobilissima monasteria Igniacense, Stabulense, Malmundariense pervaserunt; intacta ferro flammis hausere; ornamenta vrbium, sacraria religionis omnium elegantiarum hostes delevere: Aquense palatium Augiæ stabulum factum; templum ipsum non tam auro quàm pietate Caroli Magni inclitum equorum præsepibus impletum est. Eadem tempestas Coloniam Agrippinam, Bonnam vicinúmque agrum corripuit, & cum calamitum famâ propè ardentium tectorum fumus & morientium voces ad Ludovicum è BOIARIA Francofurtum reversúm ferebantur, quem

NORTMANNORVM CÆDES.

CLADES AB IISDEM GERMANIÆ ILLATA.

CAROLVS CRASSVS IMP. CAROLOMANNI ET LVDOVICI FR. REX BOIARIÆ.

III. Tantis fessæ calamitatibus Gallia, Germaniáque Carolum cognomento Crassum, qui de Ludovici BOII filijs vnus iam supererat, & Romæ nuper Imperator appellatus fuerat, crebris legationibus ab Italia revocant, vt patriæ vltima alibi passæ, alibi eadem metuenti auxilium ferat; illius spiritu se vivere, non magis suo experimento quàm hostium insultatione agnoscere; ab ijs quantascunque vires suas non aliter quàm corporis sine capite truncum æstimari. Carolus periculi magnitudine motus, quantis maximis itineribus potuit, in Franciam contendit, conventúque Wormatiæ acto, fraternáque hæreditate adita, copijs bifariam divisis, in hostem movet. Langobardos, Suevos, Thuringos, Saxones, Frisios ipse duxit; Franci Heimrico attributi; BOII Arnulphi Carolomanni filij signa sequi iussi: his ducibus in mandatis datum, vt silentio prægressi,

CAROLVS CRASSVS CONTRA NORTMANNOS MOVET.

cele-

celeritate hostem incautum opprimerent: & verò, si par omnibus fides constitisset, levissimo impendio nobilis parta victoria fuisset: sed auro Nortmannorum corrupti Franci ferro deinceps segnius vsi sunt; vt BOIIS non magis cum hostibus, quàm, quæ dimicatio maior ac periculosior est, cum proditione ac perfidia sociorum fuerit pugnandum: igitur eventus illius expeditionis, nec pro spe neque pro initijs fuit: pauculis occisis ad Carolum redeunt; ille mox vniversis copijs profectione indicta, arcem Nortmannorum, quam Sigefridus & Godefridus ambo gentis illius reges, quique post hos principem dignitatis locum obtinebant Wurmio & Halsus occupârant, corona cingit, commeatus inopiâ, quem vndique intercluserat, si aliunde spes nulla esset, obsessos ad deditionem coacturus; iámque in diem duodecimum extracta obsidio fuerat, cùm fœda insolitáq; tempestas, quæ in XII. Kal. Augusti incidit, obsidentium obsessorúmque animos constantiámque fregit. Paulò post meridiem cùm cælũ omne den-

NORTMANNI OBSESSI.

 sissi-

convitio aſperſerat, ignaviam increpans, quòd dimidium quàm totum maluiſſet: vnde per hanc potiſſimùm Ludovicum Goslinus inflammaverat, vt alteram expeditionem in Galliam ſuſciperet, nihilo meliore ſucceſſu: nam cùm Ludovici Balbi filijs, damnata Goslini vanitate, fœdus icit: ſed fortè fortuna factum eſt, vt ſuſcepti itineris & operæ pretium eſſet; exercitum è Gallia reducenti iuxta Carbonariam ſilvam Northmannorum copiæ oblatæ; ij exſcenſione ex Scaldi flumine facta, regionem omnem latè deprædati, ſatiatâ avaritiâ & crudelitate iter cum ſpolijs ad naves intenderant. Ludovicus rei bene gerendæ occaſionem avidè arripit, militi ſuo prędam oſtentat, & paratum virtuti ſtipendium, ſi ſe viros, & armatos meminiſſent. neque longa oratione opus fuit; cùm præſens lucrum animos exacueret, ipſi ſibi hortatores facti, quò ſuæ quemque ſpes rapiebant, in hoſtem feruntur; neque ſuſtineri illorum vis potuit; ſupra quinque, aut, ſi Hermanno & Sigeberto credimus, novem Northmannorum millia cæſa, reliqui in fugam acti intra muni-

LVD. ALTERA IN GALLIAM PROFECTIO.

LVD. CVM NORTMANNIS FELIX CONGRESSVS.

Regino.
Annal. Fuld.
Aimoin. Sigeb.

munimenta se recepere; quibus cùm Hugo regis filius spurius ardentiùs instaret, vulnere accepto vivus in potestatem hostium venit; ea res victoriam imminuit: pater filij recuperandi studio receptui cani iussit; quanquam voto suo potitus non est. nam Nortmanni, non expectatâ sequentis diei fortunâ, crematis raptim cæsorum corporibus, tecti tenebris diffugére, Hugone ex vulnere extincto; cuius cadaver pater agnitum Laurishamensi monasterio illatum nobili tumulo cohonestavit; cùm paulò antè etiam Ludovicum filium, quem vnicum ex Luitgarde coniuge sustulerat, miserabili fato amisisset; nam cùm post fratris obitum, in BOIARIAM, ordinandæ provinciæ causa, commigrasset, & Ratisbonæ diversaretur, is, quem nominavimus, Ludovicus, nullo observante, fenestris adrepsit, indéque præceps delapsus fracta cervice mortuus sublatus est, æternus parentum dolor omnes in illo spes extinctas deflentium. Eodem anno cladem acceptam Nortmanni nobili Saxonum strage æquarunt, vel etiam superarunt: Episcopi duo cum præcipua

LVDOV. LVD. F. MORITVR.
Regino.

NORTMANNI SAXONES VINCVNT.
Annal. Fuld. Herman.

nobilitate ab ijs cæsi sunt, quos inter etiam Reginæ frater occubuit. eius rei fama Dalmatas, Bohæmos Sorabósq; ad rebellionem & arma concitavit; spes erat Thuringos vicino & familiari nudatos auxilio opprimi posse; in horum igitur fines cùm infesta signa intulissent, opportuna iniuriæ flamma ferróque vexaverunt. Sed virtute Popponis Comitis, qui Sorabico limiti præerat compressa ferocia est, qui iusto cum ijs prælio congressus omnes internecione delevit, ne nuncio quidem cladis relicto.

REBELLIO COMPRESSA.

Æstate proxima Ludovicus, Comitijs Wormatiæ actis, legatos ad Gundolphi villam, quo regum Galliæ oratores accessuri erant, cum mandatis misit; Henricum & Adelbertum cum exercitu cõtra Hugonem Lotharij ex Valdrada filium Galliæ tyrannum ire iussit, qui Theobaldum Hugonis legatum cum copijs assecuti extemplo conflixerunt; clades vtrinque ferè æquatæ, victoria penes nostros fuit. Inde in Bosonem, qui & ipse regium nomen assumpserat, titulisque suis non Provinciam modò, sed etiam Burgundiam inserebat, conversi,

Annal. Fuld. Aimoin. l. 5. c. 40.

versi, Matisconem vrbem, in qua Boso præsidium collocarat, expugnant; Viennam deinde, in qua Bosonis vxor & filia asservabantur, obsidione cingunt: quæ cùm longiùs duceretur, Carolus Crassus, qui cognatis rebus auxilio venerat, mora offensus, transcensis Alpibus, in Italiam, & inde rectà Romam contendit Coronæ à Pont. Max. impetrandæ causa. Natalitijs Christi Domini Ferijs Imperator salutatus est. Interim attritis distractísq; in civilia bella copijs, Nortmanni suis nudam propugnatoribus Galliam nacti omnia crudelitatis in eam barbaræ exempla ediderunt: inde regressi Noviomagum occupant, vrbéque insigni opere munita, palatium regium receptaculum spoliorum Galliæ eligunt. Ludovicus rei indignitate motus ad recipiendam regiam, cum exercitu eò profectus frustra fuit; nam & cælum rigebat, & hostis munitionibus tectus ad pugnam elici non poterat. erumpebat tamen subinde occasionem rei bene gerendæ speculatus, cum quo levia prælia, nullo ad certam plenámque victoriam momento, commissa. E nostris Eber-

CAROLVS CRASSVS IMP.

CONTRA NORTMANNOS RES IMPROSPERE GESTÆ.

Annal. Fuld.
Herm. Regin.

hardus Saxo filius Reginardi Comitis captus, persoluto à matre Enessa pretio dimissus est. Ludovicus vbi omnia hostibus æquiora quàm sibi deprehendit, cum ijs pacisci cœpit; qui cùm sine vllius iniuria Neomago se abituros recepissent, prior ipse exercitum inde deportavit: Hostibus fides non constitit; in procinctu regię ignem subiecerunt, corruptísque eadem flamma munitionibus, quas excitârant, tristibus sævitiæ suæ monimentis relictis, secundo Rheno, mare repetivere. Anno octogesimo primo Ludovicus post paschales ferias in Galliam profectus, Hugonem Lotharij & Valdradæ filium pacis publicæ turbatorem obvium habuit; qui prioris pugnæ lævo successu modestior fidem dare acciperéque paratus regem benevolum beneficúmque expertus est: sed brevi in perfidiam relapsus, quòd privatus vivere nesciret, vetera ad tyrannidem recipiendam coquere consilia & nova conquirere auxilia deprehensus est: vtrisque à Ludovico in tempore disiectis in Burgundiam fugâ evasit; Ludovicus cum rege Galliæ sibi cognomine apud Gundolphi

PACTA CVM NORTMANNIS INITA AB IISDEM VIOLATA.

ANN. DCCCLXXXI. *Annal. Fuld. Herman.*

HVGO DATAM LVD. FIDEM RVMPIT.

phi villam de repub. collocutus in BOIARIAM abijt, ibíque reliquum æstatis exegit: Nortmanni iterum Galliæ imminebant, sed inde à Ludovico Galliæ rege cum insigni clade reiecti, cum novem millia equitum amisissent, efferati in rabiem, scripto in supplementum milite, cum copijs multo selectioribus in fines Ludovici Germaniæ Regis totam procellam effuderunt, citatíque fulminis instar Cameracum, Traiectum, Hasbaniensem agrum, Ripuarios, Tungros, & nobilissima monasteria Igniacense, Stabulense, Malmundariense pervaserunt; intacta ferro flammis hausere; ornamenta vrbium, sacraria religionis omnium elegantiarum hostes delevere: Aquense palatium Augiæ stabulum factum; templum ipsum non tam auro quàm pietate Caroli Magni inclitum equorum præsepibus impletum est. Eadem tempestas Coloniam Agrippinam, Bonnam vicinúmque agrum corripuit, & cum calamitum famâ propè ardentium tectorum fumus & morientium voces ad Ludovicum è BOIARIA Francofurtum reversum ferebantur, quem

NORTMANNORVM CÆDES.

CLADES AB IISDEM GERMANIÆ ILLATA.

cùm valetudo lecto affixiſſet, copias tamen ſuas in Nortmannos, ſerum malis remedium, miſit; quod operum illius extremum fuit. ſequens enim annus qui octogeſimus ſecundus fuit, illum terris ſubduxit. Crinitum ſidus, quod XV. Kal. Febr. cælo arſit, pro face ferali Ludovico fuiſſe vulgò creditum eſt: tertio enim die pòſt deceſſiſſe ex apographo Annal. Fuldenſium liquet, cùm impreſſis XIII. Kal. Decembris, in Reginone Septembris, habeatur, vitio ſcriptorum. Conditus eſt in Laurishaimenſi cœnobio, vbi patrem ipſius quoq; ſepultum diximus. gravi illum nota prçter meritum Aimoinus perſtrinxit, ſibi, Eccleſiæ, regnóque inutilem vixiſſe; nam ſi iuventutis errores & iniqua in patrem odia excipias, cætera bonum principem ſuíſque maioribus dignum ſe præſtitit. Mors illius reipub. alieniſſimo tempore contigit. Miles enim, quem Nortmannis obiecerat, velut à ſacramento ſuo liber, dilapſus à ſignis, impunè lacerandum barbaris regnum reliquit; qui occaſione vſi omnia prioris anni exempla renovarunt. Nam cùm Prumienſe monaſterium Ianuario men-

ANN. DCCCLXXXII. LVDOVICVS REX GERMANIÆ MORITVR. *Theodoricus Reisacher l. V. D. ex Membranis Eccl. Cathedr. VVormat. deſcripſit. Hermannus 13. Kal. Febr. mortuum ſcripſit. Aim. c. 40. Ann. Fuld.*

Regino. NORTMANNORVM POPVLATIONES.

mensē invasissent, indéque per triduum in vicinum agrum longè latéque grassarentur, rusticana plebs cùm sua agi ferríque vidisset, iacturæ impatiens temerè conglobata, rapto quod cuique dolor aut ira suggesserat, telo, in prædones quisque sibi dux & hortator irruit; sed Nortmanni imbellem incompositámq; multitudinem adorti, nullo negotio, sine lege & disciplina, inconsultâ magis irâ, quam verâ virium fiduciâ tumultuantes fundunt fugántque, ausósque resistere pecudum ritu mactāt; sed morte Ludovici vulgata multo sese efferebant insolentiùs, & quasi iam vndique debellatum esset, non prælia sed triumphos loquebantur; favítque fortuna ferociæ hactenus, vt & Treviros primo impetu captos everterint, indéque Metas progressi, Walonem vrbis illius Antistitem, cum Bertulpho Trevirensi, & Andelhardo Comite obviam prodire ausos ingenti strage fuderint, Walone ipso in pugna cæso. Quibus rebus patratis, direptarum vrbium opes in spoliaria sua, quæ ad Mosæ littus munitissimo loco struxerant, convexerunt.

CAROLVS CRASSVS IMP. CAROLOMANNI ET LVDOVICI FR. REX BOIARIÆ.

III. Tantis fessæ calamitatibus Gallia Germaniáque Carolum cognomento Crassum, qui de Ludovici BOII filijs vnus iam supererat, & Romæ nuper Imperator appellatus fuerat, crebris legationibus ab Italia revocant, vt patriæ vltima alibi passæ, alibi eadem metuenti auxilium ferat; illius spiritu se vivere, non magis suo experimento quàm hostium insultatione agnoscere; ab ijs quantascunque vires suas non aliter quàm corporis sine capite truncum æstimari. Carolus periculi magnitudine motus, quãtis maximis itineribus potuit, in Franciam contendit, conventúque Wormatiæ acto, fraternáque hæreditate adita, copijs bifariam divisis, in hostem movet. Langobardos, Suevos, Thuringos, Saxones, Frisios ipse duxit; Franci Heimrico attributi; BOII Arnulphi Carolomanni filij signa sequi iussi: his ducibus in mandatis datum, vt silentio prægressi, cele-

CAROLVS CRASSVS CONTRA NORTMANNOS MOVET.

celeritate hostem incautum opprimerent: & verò, si par omnibus fides constitisset, levissimo impendio nobilis parta victoria fuisset: sed auro Nortmannorum corrupti Franci ferro deinceps segnius vsi sunt; vt BOIIS non magis cum hostibus, quàm, quæ dimicatio maior ac periculosior est, cum proditione ac perfidia sociorum fuerit pugnandum: igitur eventus illius expeditionis, nec pro spe neque pro initijs fuit: pauculis occisis ad Carolum redeunt; ille mox vniversis copijs profectione indicta, arcem Nortmannorum, quam Sigefridus & Godefridus ambo gentis illius reges, quique post hos principem dignitatis locum obtinebant Wurmio & Halfus occupârant, corona cingit, commeatus inopiâ, quem vndique intercluserat, si aliunde spes nulla esset, obsessos ad deditionem coacturus; iámque in diem duodecimum extracta obsidio fuerat, cùm fœda insolitáq; tempestas, quæ in XII. Kal. Augusti incidit, obsidentium obsessorúmque animos constantiámque fregit. Paulò post meridiem cùm cælũ omne densissi-

NORTMANNI OBSESSI.

voti reus illius aras sacrósque cineres Bergomi deveneratus, indéque Papiam regressus, per Octobr. mensem, iuri dicundo vacavit. Annus octogesimus quartus bellorum. cladiúmq; ferax fuit. Carolus ex Italia redux Cholonpuri in Alemannia conventu acto, cùm Boios contra Vidonē maiestatis reum armasset, motus Pannoniæ intelligit, quorū origo ambitio fuit, nota pestis æternísque mortalium calamitatibus infamis. Sed iuvat luctuosæ rei narrationem à capite accersere. Ludovico Caroli Crassi patre rerū potiente, Wilhelmus & Engelschalcus fratres, belli pacísque studijs clarissimi viri, limítes Boicos, quà orientem spectant, tutati cum fide fuerant hosti formidabiles, æqui civibus, & apud vtrosque famâ diversis artibus partâ incliti. Cùm à Moravis statum olim ac solenne in singulos annos bellum Boii paterentur, nullum, his præsidibus, gravius patria vulnus acceperat, donec suis tandem triumphis sunt immortui: quibus vita functis, nullâ meritorum ratione habita, filijs præteritis, provinciæ procurationem Aribo à Carolo accepit.

Ann. DCCCLXXXIV *Annal: Fuld. Hermann.*

Boii adversus Vidonem missi.

Wilhelmi et Fr. Virtus.

Id Werinharius, Megingothus & Pappo (ea filiorum nomina fuere) & Vezillo aliíq; ſanguine his annexi pro indigniſſimo habuere, mortem ſibi tolerabiliorem profeſſi, quàm paternæ dignitatis, quæ ad ſe in parte hæreditatis devoluta ſit, incubatorem, cum parentum ſuorum ornamentis & inſignibus volitantem per provinciam aſpicere. hæc ita palàm iactata ſunt, vt facilè ad aures Aribonis pervenerint; qui gnarus quàm factioſos adverſarios nactus eſſet, potentes ſibi circumſpicere amicitias, quibus caput fortunáſque ſuas tueretur, inſtitit; cúmq; cerneret æmulos ſuos abundare provincialibus clientelis, nobilitatémq; omnem memorem paternorum beneficiorum vivere obnoxiam filijs, próque ijs vltima auſuram, excluſus ſpe domeſticorum præſidiorum, conſilium capit deteſtabile extremíque furoris, & cum Zuentibaldo Moravorũ principe veteri Boici nominis hoſte fœdus init, eiúſq; ſanciẽdi causâ filium illi ſuum obſidem permittit. Zuentibaldus vltro oblatam amicitiam avidiſſimè amplex' eſt occaſionem ſe nactum ratus, qua per ſummã diſſi-

Aribo Boici limitis Præfectus.

Eius cum Zuentibaldo amicitia.

hardus Saxo filius Reginardi Comitis captus, persoluto à matre Enessa pretio dimissus est. Ludovicus vbi omnia hostibus æquiora quàm sibi deprehendit, cum ijs pacisci cœpit; qui cùm sine vllius iniuria Neomago se abituros recepissent, prior ipse exercitum inde deportavit: Hostibus fides non constitit; in procinctu regię ignem subiecerunt, corruptísque eadem flamma munitionibus, quas excitârant, tristibus sævitiæ suæ monimentis relictis, secundo Rheno, mare repetivere. Anno octogesimo primo Ludovicus post paschales ferias in Galliam profectus, Hugonem Lotharij & Valdradæ filium pacis publicæ turbatorem obvium habuit; qui prioris pugnæ lævo successu modestior fidem dare acciperéque paratus regem benevolum beneficúmque expertus est: sed brevi in perfidiam relapsus, quòd privatus vivere nesciret, vetera ad tyrannidem recipiendam coquere consilia & nova conquirere auxilia deprehensus est: vtrisque à Ludovico in tempore disiectis in Burgundiam fugâ evasit; Ludovicus cum rege Galliæ sibi cognomine apud Gundolphi

PACTA CVM NORTMANNIS INITA AB IISDEM VIOLATA.

ANN. DCCCLXXXI. *Annal. Fuld. Herman.*

HVGO DATAM LVD. FIDEM RVMPIT.

phi villam de repub. collocutus in BOIARIAM abijt, ibíque reliquum æstatis exegit: Nortmanni iterum Galliæ imminebant, sed inde à Ludovico Galliæ rege cum insigni clade reiecti, cum nóvem millia equitum amisissent, efferati in rabiem, scripto in supplementum milite, cum copijs multo selectioribus in fines Ludovici Germaniæ Regis totam procellam effuderunt, citatíque fulminis instar Cameracum, Traiectum, Hasbaniensem agrum, Ripuarios, Tungros, & nobilissima monasteria Igniacense, Stabulense, Malmundariense pervaserunt; intacta ferro flammis hausere; ornamenta vrbium, sacraria religionis omnium elegantiarum hostes delevere: Aquense palatium Augiæ stabulum factum; templum ipsum non tam auro quàm pietate Caroli Magni inclitum equorum præsepibus impletum est. Eadem tempestas Coloniam Agrippinam, Bonnam vicinúmque agrum corripuit, & cum calamitum famâ propè ardentium tectorum fumus & morientium voces ad Ludovicum è BOIARIA Francofurtum reversum ferebantur, quem

NORTMANNORVM CÆDES.

CLADES AB IISDEM GERMANIÆ ILLATA.

cùm valetudo lecto affixiſſet, copias tamen ſuas in Nortmannos, ſerum malis remedium, miſit; quod operum illius extremum fuit. ſequens enim annus qui octogeſimus ſecundus fuit, illum terris ſubduxit. Crinitum ſidus, quod XV. Kal. Febr. cælo arſit, pro face ferali Ludovico fuiſſe vulgò creditum eſt: tertio enim die pòſt deceſſiſſe ex apographo Annal. Fuldenſium liquet, cùm impreſſis XIII. Kal. Decembris, in Reginone Septembris, habeatur, vitio ſcriptorum. Conditus eſt in Laurishaimenſi cœnobio, vbi patrem ipſius quoq; ſepultum diximus. gravi illum nota prǽter meritum Aimoinus perſtrinxit, ſibi, Eccleſiæ, regnóque inutilem vixiſſe; nam ſi iuventutis errores & iniqua in patrem odia excipias, cætera bonum principem ſuíſque maioribus dignum ſe præſtitit. Mors illius reipub. alieniſſimo tempore contigit. Miles enim, quem Nortmannis obiecerat, velut à ſacramento ſuo liber, dilapſus à ſignis, impunè lacerandum barbaris regnum reliquit; qui occaſione vſi omnia prioris anni exempla renovarunt. Nam cùm Prumienſe monaſterium Ianuario men-

ANN. DCCCLXXXII. LVDOVICVS REX GERMANIÆ MORITVR. *Theodoricus Reisacher l. V. D. ex Membranis Eccl. Cathedr. VVormat. deſcripſit. Hermannus 13. Kal. Febr. mortuum ſcripſit. Aim. c. 40. Ann. Fuld.*

Regino. NORTMANNORVM POPVLATIONES.

menſe invaſiſſent, indéque per triduum in vicinum agrum longè latéque graſſarentur, ruſticana plebs cùm ſua agi ferríque vidiſſet, iacturæ impatiens temerè conglobata, rapto quod cuique dolor aut ira ſuggeſſerat, telo, in prædones quiſque ſibi dux & hortator irruit; ſed Nortmanni imbellem incompoſitámq; multitudinem adorti, nullo negotio, ſine lege & diſciplina, inconſultâ magis irâ, quam verâ virium fiduciâ tumultuantes fundunt fugántque, auſósque reſiſtere pecudum ritu mactãt; ſed morte Ludovici vulgata multo ſeſe efferebant inſolentiùs, & quaſi iam vndique debellatum eſſet, non prælia ſed triumphos loquebantur; favítque fortuna ferociæ hactenus, vt & Treviros primo impetu captos everterint, indéque Metas progreſſi, Walonem vrbis illius Antiſtitem, cum Bertulpho Trevirenſi, & Andelhardo Comite obviam prodire auſos ingenti ſtrage fuderint, Walone ipſo in pugna cæſo. Quibus rebus patratis, direptarum vrbium opes in ſpoliaria ſua, quæ ad Moſæ littus munitiſſimo loco ſtruxerant, convexerunt.

CAROLVS CRASSVS IMP. CAROLOMANNI ET LVDOVICI FR. REX BOIARIÆ.

III. Tantis fessæ calamitatibus Gallia Germaniáque Carolum cognomento Crassum, qui de Ludovici BOII filijs vnus iam supererat, & Romæ nuper Imperator appellatus fuerat, crebris legationibus ab Italia revocant, vt patriæ vltima alibi passæ, alibi eadem metuenti auxilium ferat; illius spiritu se vivere, non magis suo experimento quàm hostium insultatione agnoscere; ab ijs quantascunque vires suas non aliter quàm corporis sine capite truncum æstimari. Carolus periculi magnitudine motus, quãtis maximis itineribus potuit, in Franciam contendit, conventúque Wormatiæ acto, fraternáque hæreditate adita, copijs bifariam divisis, in hostem movet. Langobardos, Suevos, Thuringos, Saxones, Frisios ipse duxit; Franci Heimrico attributi; BOII Arnulphi Carolomanni filij signa sequi iussi: his ducibus in mandatis datum, vt silentio prægressi, cele-

CAROLVS CRASSVS CONTRA NORTMANNOS MOVET.

celeritate hostem incautum opprimerent: & verò, si par omnibus fides constitisset, levissimo impendio nobilis parta victoria fuisset: sed auro Nortmannorum corrupti Franci ferro deinceps segnius vsi sunt; vt BOIIS non magis cum hostibus, quàm, quæ dimicatio maior ac periculosior est, cum proditione ac perfidia sociorum fuerit pugnandum: igitur eventus illius expeditionis, nec pro spe neque pro initijs fuit: pauculis occisis ad Carolum redeunt; ille mox vniversis copijs profectione indicta, arcem Nortmannorum, quam Sigefridus & Godefridus ambo gentis illius reges, quique post hos principem dignitatis locum obtinebant Wurmio & Halsus occupârant, corona cingit, commeatus inopiâ, quem vndique intercluserat, si aliunde spes nulla esset, obsessos ad deditionem coacturus; iámque in diem duodecimum extracta obsidio fuerat, cùm fœda insolitáq; tempestas, quæ in XII. Kal. Augusti incidit, obsidentium obsessorúmque animos constantiámque fregit. Paulò post meridiem cùm cælũ omne densissi-

NORTMANNI OBSESSI.

ſiſſimis tenebris inhorruiſſet, colliſiſq; nubibus perpetui micarent ignes, mixtáque fulgetris quaquaverſus ferrentur fulmina, ingens pavor omnium animos occupavit. effuſa grando inuſitatæ magnitudinis eáque cuſpidata, quæ impacta equis eos in rabiem egit, totiſque caſtris diſſipavit: neque obſeſſi clementiùs accepti ſunt; muris procumbentibus nudata ad irruptionem vrbs fuerat, niſi vallum & foſſa obſtitiſſent. tabes etiam per corpora ſerpebat, & vtrinque denſabantur funera; à morbo intacti tœdio laborabant; quo faciliùs omnibus pax cœpit allubeſcere; de cuius conditionibus vt commodiùs ageretur, Sigefridus, aut vt alij ſcripſere, Godefridus rex, fide publica, munitione egreſſus Carolum convenit: ibi non de fœdere tantùm, ſed de affinitate quoq; iungenda actum: Giſalam Lotharij Caroli patruelis filiam coniugem ſibi dari Northmannus petijt, néve eo coniugio indignus haberetur, Chriſtiana ſacra amplexus eſt; Friſiam ſimul voluntate Caroli obtinuit, eidémque & ſocijs ingens auri argentíq; pondus attributum: pace redemptâ, miles

FOEDVS CVM NORTMANNIS ICTVM.

les noster exauctoratus & à signis dimissus est: BOII reduces patriæ pestem invexere, tam atrocem quidem, vt libitinarij bina cadavera singulis tumulis inferrent. Carolus Wormatiæ Moravorum legatos aliarúmque gentium audijt, rebúsque ex sententia confectis in Sueviam abijt; vbi natalitijs Christianis ritè religioséque celebratis, in BOIARIAM contendit. Ratisbonæ, post Pascha, dum conventus provinciales ageret, ea de statu Italiæ cognoscit, quæ ipsius præsentia egere visa: eò igitur profectus, cum Marino pontif. qui Ioanni nuper suffectus fuerat, Nonantulæ congressus est. ibidem Vido Dux Spoletanus maiestatis postulatus iudicium fuga evitavit; sed domesticis auxilijs destitutus, Saracenos sibi, turpissimo fœdere, conciliavit; illi Berengarius Dux Foroiuliensis à Carolo, quem cognatione contingebat, oppositus est: sed insignes illius conatus pestilitas, quæ grassari in militem impotenter cœperat, abrupit; cùm ipsam adeò regiam malum pervasisset, Carolus haud procul ab vltimo exitio abfuit; quod cùm D. Alexandri ope evasisset, voti

ANN. DCCCLXXXIII
CAROLI IN ITALIA RES GESTÆ.
Ann. Fuld.
Herman.

Sigon. l. 5. de reg. Ital.

voti reus illius aras sacrósque cineres Bergomi deveneratus, indéque Papiam regressus, per Octobr. mensem, iuri dicundo vacavit. Annus octogesimus quartus bellorum. cladiúmq; ferax fuit. Carolus ex Italia redux Cholonpuri in Alemannia conventu acto, cùm Boios contra Vidonē maiestatis reum armasset, motus Pannoniæ intelligit, quorū origo ambitio fuit, nota pestis æternísque mortalium calamitatibus infamis. Sed iuvat luctuosæ rei narrationem à capite accersere. Ludovico Caroli Crassi patre rerū potiente, Wilhelmus & Engelschalcus fratres, belli pacísque studijs clarissimi viri, limîtes Boicos, quà orientem spectant, tutati cum fide fuerant hosti formidabiles, æqui civibus, & apud vtrosque famâ diversis artibus partâ incliti. Cùm à Moravis statum olim ac solenne in singulos annos bellum Boii paterentur, nullum, his præsidibus, gravius patria vulnus acceperat, donec suis tandem triumphis sunt immortui: quibus vita functis, nullâ meritorum ratione habita, filijs præteritis, provinciæ procurationem Aribo à Carolo accepit. Id

Ann. DCCCLXXXIV *Annal: Fuld. Hermann.*

Boii adversus Vidonem missi.

Wilhelmi et Fr. Virtus.

Id Werinharius, Megingothus & Pappo (ea filiorum nomina fuere) & Vezillo aliíq; sanguine his annexi pro indignissimo habuere, mortem sibi tolerabiliorem professi, quàm paternæ dignitatis, quæ ad se in parte hæreditatis devoluta sit, incubatorem, cum parentum suorum ornamentis & insignibus volitantem per provinciam aspicere. hæc ita palàm iactata sunt, vt facilè ad aures Aribonis pervenerint; qui gnarus quàm factiosos adversarios nactus esset, potentes sibi circumspicere amicitias, quibus caput fortunásque suas tueretur, institit; cúmq; cerneret æmulos suos abundare provincialibus clientelis, nobilitatémq; omnem memorem paternorum beneficiorum vivere obnoxiam filijs, próque ijs vltima ausuram, exclusus spe domesticorum præsidiorum, consilium capit detestabile extremíque furoris, & cum Zuentibaldo Moravorũ principe veteri BOICI nominis hoste fœdus init, eiúsq; sanciẽdi causâ filium illi suum obsidem permittit. Zuentibaldus vltro oblatam amicitiam avidissimè amplex' est occasionem se nactum ratus, qua per summã diffi-

ARIBO BOICI LIMITIS PRÆFECTVS.

EIVS CVM ZVENTIBALDO AMICITIA.

dissimulationem & speciem auxilij socio ferendi, multiplices BOIORVM iniurias vlcisceretur: sed primos illius conatus celeritas Aribonis æmulorum prævertit, qui populari seditione concitata, ipsum provincia expulerunt. is apud Carolum de vi conquestus prono illius favore restitutus est. Zuentibaldus, cùm in amico violatam Augusti autoritatem, speciosam vtique causam haberet obtentui, contra dynastas factionis adversæ principes tanquam hostes reipub. profectus, primo statim impetu Werinharium Engelschalci filium & Vezillonem Comitem eidem cognatum in suã potestatem redegit, fœdásque illis barbaræ crudelitatis notas impressit; quippe manu dextra præcisa linguáque evulsâ, etiam virilitatem ademit, in sui ludibrium deinceps victuris; commilitones eorum carnificibus præbere secandas manus iussi miserabile spectaculum in patriam retulere: neque hìc se tenuit furor; sed clàm Danubio traiecto, in omnem latè agrum flamma hostilis desævijt, quæ tam modesta non fuit, vt Aribonis tantùm hostes vreret; quanquam

ARIBO à CAROLO RESTITVITVR.

ZVENTIBALDVS ARIBONIS ÆMVLOS MALE MVLCTAT.

BOIARIAM VASTAT.

id vulgò Zuentibaldus præ se ferebat, abunde suismet factis refutatus. Et Aribo necessariò connivebat; vt qui facem hanc ipse accenderat; Megingothus verò & Pappo neque arcere vim, neque suas apud Carolum calamitates deplorare iure poterant, vt cuius auctoritatem, Aribone è præfectura exturbato, haud vulgariter antea læserant: id tandem consilij fuit, in Arnulphi Carolomanni regis fidem tutelámque concedere, qui tunc Pannoniam vicario imperio pro Carolo Crasso tenebat. Zuentibaldus materiam bello quærens cum Arnulpho per legatos expostulat, permolestum sibi accidere, hostibus suis apud eum perfugium patére; sibi eos bello persequi certum esse, terrámque omnem, quæ illos ferret, pro hostili, eorúmque amicos pro hostibus habiturum. Cùm Arnulphus iniquitate postulatorum offensus ore libero legatis respondisset, novæ paulò pòst querelæ supervenere, Pannonios cum Bulgaris consilia miscuisse, neque alijs auctoribus ducibúsq; eos in suum regnum priore anno irrupisse videri; id si factum Arnulphus

ZVENTIB: CVM ARNVLPHO INIQVA EXPOSTVLATIO.

phus neget, non nisi iurato creditutum. Etiam hanc legationem vt imperiosam neque è dignitate sua, Arnulphus aspernatus est; constanter id quidem, sed illud parum providè, quòd, cùm minas illas bellum parturientis posset agnoscere, nudam præsidio Pannoniam reliquerit; quæ ignava securitas Zuentibaldo peropportuna fuit: nam contractis repentè copijs Pannoniam ingressus omnia cædibus miscuit; passim rapinæ & incendia facta; vtraque impune; neque alia magis re, quàm concessa libertate vastationis Zuentibaldo animi crevere, vt hoc ipso, quem antè numeravimus, anno, in Pannoniam cum exercitu redierit; quem tantum fuisse satis constat, vt cùm agmen, orto sole, iter facere militari passu cœpisset, quem primi locum institerant, vltimi ante noctem continua ambulatione non assequerentur. hæc tanta prædonum colluvio cùm dies ipsos duodecim in vexanda evastandáq; Pannonia absumpsisset, mirum est, aliquid secundæ prædationi reliquum fecisse; & tamen his domum digressis, nova manus velut post messem ad spicilegium

ZVENTIB. PANNONIAM POPVLATVR.

gium rediјt; quibus cùm Megingothus & Pappo, quorum maximè res & fortunæ agebantur, impares copias obiecissent, fusi fugatíque in Arrabonis fluminis transitu aquis hausti sunt. Moravi victoria crudeliter vsi, regionem omnem, quà ab Arrabone ad Orientem patet, in solitudinem redegerunt: plurimi mortales ferro cæsi; nobilitas in servitutem abstracta ad arbitrium barbarorum vel vixit, vel interijt; ita tamen vt superstitum longè miserabilior conditio fuerit, quàm quibus gladio ius dictum est: nam membris inhumanissimè multati, semiviri semianiméſque redierunt vivæ hominum vmbræ. Cùm finis populandi nullus fieret, expergefactus tandem Carolus, pulcherrimæ quondam provinciæ, quam barbarus furor bustum fecerat, refocillandæ curam suscepit; ingressúsque iter ad Tullinam flumen montémque Comagenum castris positis, eò Zuentibaldum cum proceribus suis evocavit: paruit ille non obedienter modò, sed enixè etiam officiosus, in auctoritate se Cæsaris fuisse futurúmque deinceps, vir ad simulationem natus factúsq;,

S etiam

etiam iurisiurandi religione interposita, professus est; & quando ita Carolo videretur, sui principatus se finibus contentum, eo vivo, Pannonicis rebus temperaturum: in quæ cùm fidem dedisset, Carolo satisfactum est, Zuentibaldo in sinu ridente, se laceratione provinciæ sibi tam facilem viam ad redintegrationem gratiæ stravisse. Iisdem Comitijs etiam Brazlauo Provinciæ, quæ inter Savum & Dravum flumina interiacet, præfectus Carolo sacramentum dixit; qui per Carantanos in Italiam profectus Ticini Natalem Dei nostri egit, sequentisque anni initio ibidem comitia habuit, quibus etiam Vido Dux Spoletanus interfuit, causámque maiestatis, cuius nuper postulatus fuerat, ita egit, vt absolutus omnibus sententijs in pristinum gratiæ dignitatísque locum restitueretur. Interea Fortuna Carolo ad Imperij diadema & tot regnorum Coronas etiam Galliam adiecit; vt quidquid olim Caroli Magni nutu auspiciísque regebatur, & quadraginta amplius annos carptum divulsúmque sub pluribus dominis fuerat, iterum sub vnius iura imperiúmq; concede-

ANN. DCCCLXXXV. *Annal. Fuld. Hermann.*

VIDO CAROLO CONCILIATVR.

CAROLVS QVA OCCASIONE GALLIÆ REGNO POTITVS.

cederet. Carolomannus eousque, Ludovico fratre mortuo, rerum potitus fuerat; in eius regnum Nortmanni per Sonum fluvium cùm penetrassent, paratíq; ad resistendum rex nihil haberet, auro avaritiam prædonum explevit, pacem in duodecim annos pactus: paulò pòst dum feras sectatur, aprúmque venabulo vrget, exerrante satellitis ferro graviter sauciatus ex vulnere occubuit. cuius morte nunciata, Nortmanni in regnum confestim regressi sunt, perfidiámque obiectantibus negarunt eo se fœdere teneri, quod cum Carolomanno icissent: nam qualecunque illud fuerit, vnà cum eodem expirasse. si pacem quàm bellum malint, novo eam fœdere, fœdus novo auro sanciendum. Tam improba iuris interpretatione perculsi Galliæ proceres, quòd in Ludovico Carolomanni filio, qui ab ignavia infame sortitus nomen Nihili dictus est, opis nihil esset, per legatos Carolum in Galliam invitant; qui eò sine mora profectus, ad Gundolphi villam regni principes frequentes obvios habuit; quibus in fidem acceptis, rebúsque compositis, Worma- Regino. Ann. Fuld.

tiam ad conventus agendos abijt; eò ex compacto etiam Marinus pontifex acceſſurus erat, ſed medio in itinere immatura illum mors confecit. Gravior deinde cura Carolum inceſſit perniciosiſſimæ coniurationis compeſcendæ. Auctor illius Hugo fuit Lotharij ex Valdrada pellice filius; cuius memoriam ſæpius, nunquam cum laude, fecimus: vir ſuopte ingenio & paternis titulis tumens, regni iã olim affectator, cui nunc de integro imminebat, affulgente nova ſpe auxiliorum, ex affinitate cum Godefrido Nortmanno, cui Hugonis ſororem Giſalam ex pacto datam coniugem ſupra docuimus. Hunc ergo quieſcentem & à belli cogitationibus averſum aggreſſus Hugo promiſſorum magnitudine eò perpulit, vt incertas ſpes præſenti fortunæ & recens datæ fidei anteferret. Hugo enim nihil mediocre cogitabat loquebatúrque, & iam cum Godefrido paternum regnum velut ſortitò dividebatur; quâ tam ſplẽdida illecebrâ captus Nortmannus, ne abrupiſſe potiùs, quàm diſſuiſſe ſocietatem, quæ illi cum Carolo Craſſo intercedebat, videretur, Gerolphum

HVGO PACEM GALLIÆ TVRBAT.
Regino.

phum & Gardolphum nobilissimos Frisonum ad eum mittit, dictata orationis formula, qua apud illum vterentur, Meminisse debere Cæsarem, quas terras sibi, quas vices commiserit; per speciem honoris Frisia inclusum se, quæ non modò patriæ charitati præferenda fuerit, sed insuper contra populares suos perpetuo bello defendenda; & fidei quidem se non pœnitere, si fortibus egregiísque factis gratia referatur; nam Frisiam ipsam quid aliud quàm exilium esse, quæ nullo liberaliore cultu; pari cæli solíque inclementiâ, dominis suis nihil prçter aquam propinet? Enimvero non nimium arrogare se suæ virtuti, si vitiferum aliquem collem à Cæsare petat; nominatímque illum terræ tractum, qui ad Confluentes Rheni & Mosellæ est, designat, quem à Carolo cuperet impetratum; etsi non tam pro vino laborabat, quàm quòd pedem in imperio figere & velificari ambitioni suæ tacitis incrementis optaret: quòd si repulsam ferret, satis causæ habiturum se putavit, vt sine scelere & infamia à fœdere, quo tenebatur invitus, resiliret. Imperator offensus legatio-

GODEFRIDI POSTVLATA

 nis

nis impudentia, nec concedere, quæ petebantur, dignitatis suæ, neque palàm negare, illius temporis esse sentiens, cum Henrico principe amicorum de via & ratione Godefridi non modò è Frisia sed etiam vita exturbandi deliberat. Legatos benignè appellatos, cum responso medio bonæ spei plenos dimittit. paulò pòst insidijs in caput Godefridi compositis, Henricum & Willibertum Coloniensem Antistitem in Batavos proficisci, ad maturandam Nortmanno perniciem, iubet; milites additi, tumultus causa, si quis, vt in re tanta, oriretur; ij neque vno agmine, neque eodem itinere profecti, sed sparsi manipulatim & velut temerè vagabundi mandata acceperant, quibus locis ad signa convenirent. Godefridus de adventu Episcopi & Comitis certior factus obviam honoris causa, vsque ad Rheni & Vahalis divortium progressus, multa cum vtroque de suis apud Cæsarem postulatis differit. colloquio sub noctem finito, legati insulâ excessere: evocata altero die Gisala est Godefridi vxor, actúmque cum ea, vt ferocem viri animum ad amorem pacis

GODEFRIDVS EX INSIDIIS OCCVMBIT.

cis inflecteret; interim regressus in Insulam Henricus, pridem compositis hunc in modum insidijs Godefridum aggreditur. Eberhardum Comitem à Godefrido bonis exutum ius suum palàm repetere & Godefridum iniuriarum postulare, in conventu publico, iussit; quòd si is ferociùs respondisset, tum verò meminisset se virum, & quanto maximo posset annisu, ferrum in illius imprudentis caput vibraret; sibi curæ futurum, ne ea res illi fraudi esset. Eberhardo neque animus ad audendum, neque robur ad perficiendum facinus defuit; primus ipse in concione ferocientem gladio occupavit; eo vulnere sopitum labentémque coorti vndique satellites confecerunt. tum deinde promiscuâ in Nortmannos, qui in Insula reperti sunt, strage sęvitum; cæsi ad vnum omnes sunt. insidiæ quia feliciter successerant, mox etiam Hugoni structæ: is ab eodem Henrico, ad Gundolphi villam, blandis pollicitationibus, extractus, oculorum vsu adempto, in Sueviam ad D. Galli deportatus est; inde in patriam reversus exacta inter ærumnas ætate, Prumiæ tandem, ipsius

HVGO OCVLIS SPOLIATVR.

Reginonis manu, ex quo hæc exſcripſimus, in Monachum attonſus eſt. His neceſſarijs magis quàm optatis artibus Carolus præſenti periculo defunctus in BOICAM abijt Ratisbonæ hibernaturus.

ANN. DCCCLXXXVI. *Ann. Fuld. Regino.* Quo tempore etiam inter Arnulphum & Zuentibaldum pax convenit, nobiliſſimis BOIORVM conciliatoribus.

CAROLVS IN ITAL. PROFICISCITVR. Sequenti anno, qui octogeſimus ſextus fuit, Carolus à Pont. Max. invitatus in Italiam profectus eſt; cúmq; Ticini ipſe ſubſtitiſſet, Luitvvardum Vercellenſem Epiſcopum, quo in rebus omnibus plurimùm vtebatur, Romam miſit. actum illic impetratúmque, vt Epiſcopi, quorum Provincias hoſtilis flamma hauſiſſet, aliò transferendi ſedes poteſtatem haberent.

TVMVLTVS TICINENSIS. Ticini Palmarum die gravis inter cives & Imperatoris familiares ſeditio exarſit, cum multorum mortalium pernicie: popularis furor à plebe ad purpuratos tranſijt, & Berengarium Fori Iulii ducem cum Luitvvardo Epiſcopo cõmiſit; neque ante Vercellarum direptionem odia exſatiata ſunt. Præludia ea ingentiũ calamitatum fuerunt, quæ Nortmannorum immanitate in Galliam repor-

portatæ ſunt. Lovanium ſibi arcem belli legerant, perpetuíſque excurſionibus omnia infeſtabant: quibus cùm ſemel iterúmque Carolus validas copias obiecisſet, nullum tamen operæ pretium tulit; neque prohiberi hoſtis potuit, quò minus Sequanam ingreſſus Pariſios obſidione cingeret. vrbi periclitanti Carolus Henricum Neuſtriæ Marchionem cum exercitu ſubſidio miſit; cuius cùm eximium nomen & nota hoſtibus virtus eſſet, caſtra munire multo ſtudioſiùs & vires adiuuare ingenio inſtiterunt. Foſſis brevibus nec niſi pedem vnum latis tres altis caſtra ſua vndique circumdant, ſtipula & virgultis malignè inſternunt; has modicis intervallis ſciunctas opportunæ ſemitæ interſecabant, per quas Nortmannorum audaciſſimus quiſque procurſaret impunè, & Henricum caſtris obequitantem convitijs laceſſeret, tuto ad ſuos & facili receptu. Non tulit indignitatem vernilium probrorum Henricus, concitatóque equo in reſtitantes & tela etiam fundentes irruit; quem notis ambagibus ludificantes rorarij in in cœcas foveas præcipitarunt; vbi equus

Regino. Ann. Fuld. Herman. Abbo de obſid. Lutetiæ.

EXPEDITIO CONTRA NORTMANNOS.

HENRICVS IN INSIDIAS PRÆCIPITATVS.

quus labente vestigio corruit & sessorem pariter effudit: assurgere moliẽtem hostis occupat & antequam opis quicquam ferri posset, obtruncat; spolia etiam detracta exanimi sunt, illusúmque corpori fuisset, nisi nostri, qui tueri vitam non poterant, vltimam saltem ignominiam prohibuissent; neque deinde, duce amisso, pavidi exercitus vsus vllus fuit: vrbs suis nudata præsidijs maximos quosque viros, quorum viribus eousq; steterat, amisit. Hugo præsertim Abbas singulari prudentia vir & Goslinus Episcopus Parisiensis complorabantur: priori Carolus Odonem substituit Saxonem gente Roberti filium, qui olim à Nortmannis cæsus fuerat: Episcopo Haschiricus successit. Carolus ipse inclinatâ iam ad iniqua re, durísque casibus meliorem causam deprimentibus, cum copiosissimo exercitu Parisios advolat; sed Nortmannos vinci Deo cordi non fuit; & cùm neque pax quidem tanti apparatus metu ab illis impetrari posset, fœdâ iterum nundinatione emenda fuit, Neustriâ permissâ, quæ de illorum deinceps nomine Nortmannia dicta est.

CAROLVS PARISIOS AVRO LIBERAT.

An-

Annus octogesimus septimus insigni rerum mutatione & ludis fortunæ nobilis fuit. Carolus dum per Alsatiam iter facit, repentè viribus & valetudine destitutus ægrè Alemanniam attigit; in Potamensi castro decumbenti ferrum etiam medici admoverunt. levatus nonnihil sectione, Weiblingæ conventus egit, vbi Berengarius ForoIuliensis causam dixit, cúmque Luitvvardo Vercellensi satisfecisset, in gratiam receptus est. Ludovicus Bosonis filius materno præsertim genere clarissimus, vtpote Irmendrude Ludovici Imperatoris secundi filia natus, à matre in Caroli Cæsaris sinum adoptionémque datus est. ex quo tempore res Caroli non labi retro, sed vno impetu ruere cœperunt; credi poterat duas ipsum inter se fortunas partitas; vt qui paulò antè inter felices felicissimus, idem inter miseros miserrimus diceretur. Luitvvardus Vercellensis primùm ei à latere abductus est, cuius consilijs fideliq; opera magnitudo Cæsaris sustentabatur; Suevi enim proceres, quibus eius potentia invisa fuerat, cùm nullum illius scelus aut improbam artem argue-re pos-

ANN. DCCCLXXXVII
Annal. Fuld. Regin. Herm.
CAROLI AFFLICTA VALETVDO.

LVITWARDVS EPISCOPVS INNOCENTER ACCVSATVS.

re poſſent, innocentiæ inſidias ſtruxerunt, conſilio ſceleſto, neq; tam in perniciem hominum, quàm virtutum reperto. Erant Luitvvardo mores minimè aſperi, erga ſummos infimóſque eadem facilitas, & nullum, in maxima dignitate, hominum aut negotiorum faſtidium; hanc tam amabilem comitatem etiam illi, qui virum oderant, amaſſent, niſi invidiæ omnia alia deſperanti argumentum qualecunq; è medijs virtutibus petendũ fuiſſet, quo probaretur improb⁹. Cùm ergo ijſdem moribus apud Richardem Auguſtam vteretur, quibus ſe mortalibus omnibus probârat, familiarem æmuli cõſuetudinẽ in viro integerrimo in ſuſpicionem averterunt turpitudinis; neq; dubitarunt pro re cõperta, auribus Cæſaris infundere, haud vanè iactatum, Carolum ſolo nomine Cæſarem, Luitvvardum reipſa Imperatorem eſſe; ſed id fortaſſe Carolo ignotum, Epiſcopum inter Auguſtalia iura, etiam Auguſti thorum occupâſſe. Carolus ſtolida credulitate ſibi imponi paſſus, Luitvvardum, indictâ causâ, aulâ eijcit. Richardem omnia humana divináque iura appellantem,

tem, & ad ferrum &ignes provocantem eadem contumacia aversatur, publicè professus sibi cum ea maritalis vsus nihil vnquam intercessisse, cùm ei supra annos decem convixisset. Richardis innocenter repudiata, Bene habet, inquit; intacta marito ipsiusmet iureiurando sum; integram ab alio quovis, Deus testis est, idémque, si sciens fallo, iudex & vindex: à Cæsare exacta cum Deo in manū conveniam: ille neque post hoc divortium sponsam dedignabitur; huic certè posteritas me bene nuptam dicet: positóque diademate, quod vnà cum marito à Pontifice acceperat, sacro flammeo sibi caput obnubit, & cœnobio Andelaviensi in Alsatia ab ipsa extructo se abdit multò quàm in imperio gloriosior. Carolus labascente subinde corpore, nec mente satis constitit, quousque, odijs popularibus increscentibus, regno excidit: nam, dum mense Novembri, sub Martinalia, Triburias vel Francofurtum (variant enim scriptores) comitia edicit, Franci, Saxones, Thuringi, attractis in partes suas BOIORVM Alemannorúmq; proceribus, de abrogando ipsi imperio con-

Hermann. Contract.

CAROLVS ANIMO & CORPORE DEFICIT.

CAROLO ABDICATO ARNVLPHVS SVBROGATVR.

consultant,&, cōspirantibus sententijs, Arnulphum Carolomanni Filium, Carentani & Pannoniæ Ducem evocant, abdicatóque patruo, ipsum Regem salutant. Carolus cùm Arnulphum bello statuisset persequi, aversis omniū mortalium à se voluntatibus, & ne vno quidem operam pollicente, cœpto necessariò destitit; maximè cùm iam etiam Alemannos fidei suæ, qua ipse plurimùm nitebatur, pœnituisset. quibus dilapsis, neque familiaribus servulis verecundiæ fuit, dominum proijcere, quem paulò antè totus orbis adoraverat. Tandem, vt suum Fortuna ludum absolveret, Imperator Carolo M. vt æqualis nomine, ita potentia proximus, cum vltimis humanæ vitæ ærumnis conflictatus famem sola Luitberti Moguntini Antistitis liberalitate sustentabat; quæ necessitas illum impulit, vt, post imperij curas, de

CAROLVS IMP. STIPEM FLAGITAT.

sportula solicitus ad statam certámque stipem impetrandam, Bernardum filium extra leges coniugij susceptum ire legatum ad Arnulphum, verbísque pro præsente fortuna & tenuissimis pristinæ opulentiæ reliquijs instructum novo Patro-

trono fieri supplicem iusserit, vti memor sortis humanæ Carolo nuper Imperatori Caroli Magni pronepoti, patruo suo, cuius ipse viventis hæres esset, daret de tot regnis, non quantum Regi ad pompam, sed quod homini ad vitam satis esset, rebúsque omnibus, Fortunæ invidiâ, ereptis, vltimi se voti damnaret, ne animam vlli mortalium potiùs quàm Arnulpho debere cogeretur: cui vt prodesse neque exemplo quidem posset, non tamen indecorum illi fore, inter mendicabula pascere Cæsarem. Arnulphus supplici in Suevia, de regijs vectigalibus annonam statuit, concesſitque vt Neidingæ vitæ reliquum exigeret; quod quidem insigni animi æquitate præstitit, non melior modò sed & clarior in lacerna, quàm purpura visus, documento posteris futurus, Fortunam, cùm maximè irascitur, blandiente multò esse præstabiliorem. certè Caroli Crassi famam gloriámque immortalem non imperium, sed paupertas fecit, cui etiam hoc debet, quòd animam agenti (id sequentis anni initio Id. Ian. factum) patuisse cælum vetustiſſimi annales referunt,

Herm. Contract. ex edit. Canis. habet Indingam.

Regino. & Annal. Fuld.

CAROLI CRASSI MORS

Ann. Fuld. & Herman.

runt; qui favor certo argumento fuit, tanto chariorem eum Deo fuisse, quo minùs in delicijs est habitus. Apud Hermannum Contractum legas, rumorem sparsum fuisse, neque suo quidem fato mori Carolo contigisse; sed familiarium manibus illi fauces elisas; mortalium tamen odia obsequijs cælitum compensata, superfusámque exanimi lucem pro funebri face arsisse. Augia dives mortuum recepit.

ARNVLPHVS CAROLOMANNI F. SPVRIVS R. BOIARIÆ.

IV. TVRBÆ IN IMPERIO EXORTÆ.

Regnum porrò Arnulphi magni iam inde ab initio motus excepere, nonnullo imperantis vitio, qui cùm ab inauguratione securus futuri in BOIARIAM redijsset, & Ratisbonæ actis hibernis, inde neque vere quidem se commovisset, multi vndiq; proceres segnitiē eam ingenij interpretati ambitioni suæ morem gessere, & regna velut prædæ exposita avidè ad se rapuere. Sic imperij corpus à Carolo Magno collectum, sparsum in plures scissúmque membratim, cùm

cùm vnius ſpiritu animáque ſuſtentari vigeréque potuiſſet, quò pluribus inniti & incumbere cœpit, eò propius fuit ruinæ. In Italia primùm Berengarius Foro-Iulienſis Dux non contentus magnitudine ſua, qua omnes Italiæ proceres, priorum Regum beneficio, anteibat, regnum invaſit, propria cupiditate & Adriani Pont. decreto extimulatus, quod ille pro dignitate Italiæ tulerat, vt moriente rege Craſſo ſine filijs, regnum Italicis principibus, vnà cum titulo imperij traderetur. Verùm ne Vido Spoletanus Dux opibus & dignitate Berengario par ipſi ad ſumma properanti vel manum inijceret vel invidiam moveret, æquè opimæ illi ſpes obiectæ ſunt, oſtentatáq; ex propinquo Gallia, vnde æquale decus peti poſſet: neque hortatores deerant; Stephanus potiſſimùm pontifex, & in ipſa Gallia Fulco Rhemenſis Antiſtes maximi autores & temperantiorem etiam animum facilè accenſuri; præterquam quòd in ipſo abblandientis Fortunæ vultu ſatis ſuperque eſt illecebrarum. Vido tamen voto ſuo excidit; & Ottonis viribus è Gallia reiectus Berengario

REGES VNDIQVE EXORTI.

Sigon. l. 5. de reg. Ital.

VIDO IN GALLIAM INVITATVR.

gario de regno Italiæ cruentam litem movit. Præter hos in Gallia tot reges enati, quot provinciæ fuere. Rudolphus Conradi F. superiorem Burgundiam, Ludovicus Bosonis Galliam Narbonensem, Otto Ruperti F. Lugdunensem, Ranulphus Aquitanos velut sortitò ad se traxere. Quibus rebus excitatus Arnulphus ex BOICA Francofurtum abijt, actóque ibi conventu & decreto in rebelles & factiosos bello, Rhenum transijt. Wormatiæ subsistentem Otto, quem in Gallia diadema sumpsisse diximus, privati habitu convenit, orationémque plenam modestiæ habuit: Se, ex quo tempore regium nomen oblatum acceptârit, nihil in eo mortalium ambitione, nihil invidia dignum reperisse; id expertum, purpuram curis esse fartam, & coronas multo plus habere fastidiorum quàm gemmarum; nudum solúmque minùs, quàm inter mille satellites timuisse; tutiorem in plano, quàm fastigio fuisse; &, si Arnulpho videatur, promptiùs inde descensurum, quàm ascenderit; neque inter formidanda præcipitia illic ad arbitrium invidiæ hæsurum: se qui-

GALLIÆ REGULI.

ARNULPHUS OTHONI REGNUM GALLIÆ PERMITTIT.

Annal. Fuld. Herman.

quidem, qui inter bella ætatem egerit, & pridem timere gladios & vulnera desierit, tam prodigum tamen sui sanguinis non esse, vt eo regnum velit emere; neq; gladium nudaturum, si quis iure potior extorquere sibi sceptrum meditetur; veteris se Fortunæ nondum pœnitere, neque novam adhuc suo animo superfusam: purpuram, velut peracta fabula sua, positurum sine gemitu: id modò Arnulphum rogare, ne indigniori eam inijciat; etsi enim id sua perparum, reip. tamen plurimum interesse. Nortmannos ferocissimos hostes occupata parte Galliæ, flammæ serpentis more, proxima quæque corripere; &, nisi obviam eatur, quod Neustriæ nuper contigerit, brevi totam Galliam, Nortmanniam fore: se, quocunque loco aut nomine Arnulpho dignus videatur, exemplo patris sui, qui in acie contra Nortmannos obierit, perpetuò illis hostem futurum; si quem acriorem Arnulphus noverit, ei haud invitum cessurum secuturúmque ducem: id tamen præstitisse se, ne à mortalium quoquam fides sua in Caroli Magni stirpem possit accusari. Maximæ indolis &

RVDOLPHI TIMIDA AMBITIO.
Regino. Annal. Fuld. Herman.

planè regiæ ſpecimen ex hoc colloquio Arnulphus cepit, regnúmque illi ſumma voluntate confirmavit. Per Alſatiam inde in Rudolphum movit, qui provinciâ inter Iuram montem & alpes Penninas occupatâ, apud S. Mauritium coronâ ſibi impoſitâ, ſe pro rege Burgundionum ferebat, etiam Lotharingiæ imminēs, cuius proceres magnis pollicitationibus ſolicitabat orator quàm bellator multò melior. Nam Arnulpho fines ingreſſo, copiam ſui facere non auſus, ipsíſque adeò vrbium munimentis diffiſus, inter iuga montium obrepens ſpes ſuas ferarum latibulis occultabat: verùm, cùm etiam regreſſo in BOIARIAM Arnulpho, à Suevorum exercitu, quem Arnulphus ad id reliquerat, obſideretur, veritus, ne ſi in cœpto perſiſteret, nulla ſpe veniæ, in poteſtatem hoſtium veniret, rebus nondum perditis, Arnulphi experiri clementiam, quàm victoris iram maluit, impetratóque commeatu Ratisbonam, ad eundem profectus, regnum quod tueri armis non poterat, eloquentiâ animíque moderatione obtinuit. Id Arnulpho ſpecioſum & ad famam

RVDOLPHVS REGNVM BVRG. AB ARNVLPHO IMPETRAT.

mam clementiæ parandam accommodatum, vigorem tamen imperij imminuit; nimísq; prodigæ liberalitatis fuit, vnâ ſparſione integras provincias effundere, & vt creare reges poſſet, ijſdem etiam regna dare. Arma deinde verſus Italiam mota, cui Berengarius & Vido incubabant, nullo vterq; iure, niſi quod in gladio ferebant. Berengarius, Vidonis rebus quotidie efflorescentibus, novo & exitiabili implicari bello formidans, ad easdem artes, quæ Ottoni & Rudolpho tam bellè ceſſerant, converſus, amicorum principes Arnulpho obviam miſit, quos ipſe ſubſecutus, cum eodem Tridenti congreſſus, in eius ſe auctoritate futurum ſpopondit. conceſſum ergò etiam huic precarium imperium, eò credo libentiùs, quòd alienis viribus oppugnari Vidonem, quàm ſuis Arnulphus maluit; neque vlterius progreſſus, exauctorato exercitu, per forum Iulij Carantanos adijt, apud quos Natalitia Chriſtiana ritè peregit: Sumptuoſæ expeditionis pretium nullum fuit; fortuita etiam calamitas eventũ triſtiorem reddidit; nam lues in iumenta graſſata innu-

BERENGARIO ITALIA CONCESSA.

Annal. Fuld. opidum Tarentinum nominant librarij, vti exiſtimo vitio.

merabilem equorum copiam proſtravit. Eadem tempeſtate Moguntiæ Pontificum comitia habita ſunt: ijs nupera Arnulphi electio cauſam prębuit: quem, vt dignum tanta fortuna animum gereret, ſalubribus præceptis patres imbuendum putarunt; cùm præſertim ea tempora eſſent, vt, niſi fortibus reſpub. humeris fulciretur, corruere vniverſam neceſſe eſſet: Nortmanni enim ſemel prædarum dulcedine ineſcati Galliæ opes & ſanguinem ſitiebant, non ante illius exitium ſatiandi. hoc certè anno, cùm deſperata expugnatione Pariſiorum, oculum ad Burgundiam adieciſſent, obſervatíſque ſtrenuè Sequanæ litorib⁹, fallere cuſtodes, aut perrumpere non poſſent, rem incredibilem auſi, ſubducta navigia, connixi inter ſeſe, terreſtri itinere ſupra duo paſſuum millia traxere, evitatíſque, eo circuitu, ſtationibus, iterum flumini immiſere. Senones animo ſuo deſtinarant nobilem vrbem; quam cùm ſex menſium obſidione fatigaſſent, machiníſque & multiplici opere noctu diuque infeſtam habuiſſent, indefeſſa civium pertinaciâ victi, ea potiti non

CONCILIVM MOGVNTINVM

Extat tom. 3. p. altera apud Binium f. 1025.

Regino.

NORTMANNORVM NOVÆ MOLITIONES.

non sunt. sed furor in agrum effusus, qui frustrati successus miserabile hosti supplicium pependit, vltimæ vastitatis exempla passus.

Sequenti anno publicis calamitatibus ingens auctarium accessit, quo Vngarorum primùm nomen auditum est. Ea gens origine Scythica, sive prægravante domi multitudine, sive sterilis soli perpetuæque hiemis odio, sive, quod ipsum etiam traditur, à Pezinatis patria expulsa, cùm novas sedes quæreret, in Pannoniam delata, neglectas ab Hunnis & Avaribus solitudines occupavit; & modestè primùm agere, sine cuiusquam iniuria, venatione aut piscatu vitam tolerare, innatámque barbariem sedulò studioséque abscondere; donec exploratis finitimorum viribus male dissimulatum ingenium prodidit. Carantani, Moravi & Bulgari primos impetus exceperunt; éaque præludia fuere tristium exemplorum, quibus deinceps orbem & annales implevit. Diversus à Reginone, cuius hæc narratio est, Witichindus abit, qui Vngarorum originem altiùs repetens eos cum Avaribus confundit: A-

ANN. DCCCLXXXIX

Regino.

VNGARORUM PRIMORDIA & ORIGINES.

Vvitich. gest. Sax. l. 1.

vares porro reliquias Hunnorum, Hunnos Gothis natos vult id nomen à duce Gotho ſortitis, qui cùm genti ius diceret, fœminas complures veneficij damnatas & in vaſtas ſolitudines, quæ Mæoticis paludibus & mari clauduntur, eiectas, illic conceptos iam ante fœtus edidiſſe; ídq; poſtmodum validiſſimæ gentis ſeminarium fuiſſe, quæ ferarum ritu, omnis humani cultus expers & ignara, ipſis, quibus inerrabat, ſilvis horridior evaſerit. Deſiderium naturæ ferina explebat venatu parta, quæ vna ſoláque gentis vniverſæ ars fuit. commerciorum eadem, quæ hominum ignorantia; ſolos ſe mundi cives credebant; ſibi occidere & redire ſoles, ijſdémque terminis orbem omnem, & patriam ſuam eſſe circumſcriptam. In hoc ſtupore cùm aliquot ſecula exegiſſent, cervæ tandem indicio agnoviſſe humanum genus latiùs patere: nam feræ fugienti pertinaciùs inſiſtentes ab ea extra Mæoticas paludes, inobſervato adhuc itinere, protractos in homines hominúmque domicilia incidiſſe: Ibi demum ijs ſuas paludes ſorduiſſe, conſpirantibúſq; animis

mis velut in alterum orbem decretam esse profectionem. Verùm simul ac inconditum agmen oris insigni deformitate & monstroso totius corporis habitu terrificum in conspectu fuit, miserè vbique trepidatum, fugam vndique factam esse, velut larvis occurrentibus; adeò pauca humanitatis in ijs vestigia remanserant. aliquamdiu tamen cæli mitioris clementiâ delinitos cædibus abstinuisse, donec præsentis fortunæ satietas cupiditatem maiora indipiscendi exacuit; tum enim prædas agere ex finitimis, & in solas quondam feras vsurpata tela in hominum perniciem vibrare cœpisse, felici vbique successu; nam quorum neque aspectum quidem antè ferre quisquam potuit, eorum vim sustinere multò difficilius fuit. Ita Fortunæ suæ obsecutos vsque in Pannoniam penetrasse, multo ante Caroli M. imperium, à quo victi & vltra Danubium submoti, vallo etiam circumiecto inclusi fuerint; ea claustra demum circa hæc tempora ab ipsomet Arnulpho effracta, & sanguinariam gentem, ad lacerandum orbem terrarum, emissam esse. Nobis vt in

re tam antiqua ferre ſententiam integrum non eſt; ita Reginonis narratio vel ex eo probabilior ſemper viſa, quòd qui ſcriptores Caroli M. bella tradidere, Avares quidem & Hunnos conſtanter nominant, Vngarorum mentionem nullam faciunt; quod indicio eſt, & gentem noménque gentis pariter tunc ignota, ex hoc potiſſimùm tempore famam ſibi crudelibus factis conciliaſſe; donec abſterſa per Chriſtianam diſciplinam primæva barbarie, veris virtutibus inclaruit; vt multi deinceps Vngarorum verecundiæ conſulturi, triſtia illa exempla, quæ narraturi ex vero ſumus, liberali mendacio, Hunnis tanquam iniuriæ opportunioribus, ſine metu invidiæ impingerent.

ARNVLPHVS AD DICENDVM FF. SVIS SACRAMENTVM INDVCIT FRANCOS. *Hermann. Ann. Fuld. Regino.*

Eodem anno Arnulphus rex Forchemij procerum conventum habuit, Francóſque iuramento, quod à BOIIS ante iam exegerat, aſtrinxit, Zuentibaldo & Ratoldo filijs, quamvis ſpurijs, ſi quid ſibi humanitùs contigiſſet, fidem ſervaturos; id à Francis ægrè impetratum eſt, adiectáque iuramento ea conditio, ſi ex Vta coniuge Arnulpho legitimus hæres

res non nasceretur. Filiorum Arnulphi, quos nominavi, priorem Zuentibaldus Moravus de lustrico fonte levatum suo nomine insigniverat, ídq; amicitiæ datum, quę maximis deinceps odijs cruentísque bellis resciſſa eſt. Ijſdem comitijs Nortmannorum legati auditi, & pax petentibus data eſt. Novum fœdus non tota Nortmannonrum gens ratum habuit; nam qui Senones, priore anno, irrito auſu, oppugnaverant, Pariſios revecti cùm commeatum impetrare à civibus non poſſent, vrbem adorti ſunt; ſed cùm fortiſſimè inde reijcerentur, ex Sequana in Matronam delati, Trecas incenderunt, & Tullum vſque progreſſi fœdis omnia populationibus deformarunt. Arnulphus interim contra Obodritos numeroſiſſimo exercitu educto, nihil memorabile geſſit, brevíque inglorius Ratisbonam ibidem hybernaturus redijt. Anni ſequentis, qui nonageſimus fuit, vere ingruente, Arnulphus in Pannonia Omuntespergi cum Zuentibaldo Moravorum principe congreſſus, infelici vſus conſilio, eidem Bohemos ſubiecit; qua re & gentis animos externum impe-

NORTMANNORVM IRRITA DAMNA.

Herman. Annal. Fuld.

A. DCCCXC. BOIOHÆMVM MORAVIS CONTRIBVTVM.

Herman. Annal. Fuld.

rium

rium aſpernantis à ſe alienavit, & Zuentibaldo vires opésque, quibus in ſuam iniuriam abuteretur, circumdedit. Ibi commorantem legatio Romani Pontif. convenit, à quo enixè in Italiam vocatur, quæ ſtudio partium Vidonis & Berengarij in factiones ſciſſa, inteſtinis bellis miſerè collidebatur. Arnulphus etſi mederi malis cuperet, ſcirétque ad ſummos honores vocari ſeſe, tamen rebus domi turbatis, periculoſam eo tempore expeditionem detrectavit. Poſt paſchales ferias, cùm Forchemij conventus ageret, Ludovici olim Imperatoris filiam Boſonis viduam in fidem tutelámque recepit; cæteríſq; rebus ex ſententia confectis, Augiam in lacu Potamico ſitam, vbi Carolum Craſſum tumulatum diximus, atque Conſtantiam adijt, precum cauſa; quibus rite perſolutis, Ratisbonam reverſus eſt: quæ vrbs BOICÆ totius ſine controverſia princeps, ſequenti ãnno, qui nonageſimus primus fuit, Embrichone Epiſcopo laudatiſſimo viro extincto IV. Idus Auguſti parum abfuit quin tota deflagraret; præter binas DD. Emmerãmi & Caſſiani

ARNVLPHVS IN ITAL. EVOCATVR.

ANN. DCCCXCI. RATISBONA ARDET. *Herman. Ann. Fuld.*

ni MM. ædes, ſacra prophanáque omnia vorax flamma hauſit. Arnulphus cùm haud dubijs indicijs gliſcentem Zuentibaldi Moravi inſolentiam comperiſſet, legatos ad tentandum penitiúſque inſpiciendum illius animum præmiſit, qui fœderum ſanctiſſimè ictorum & ſui eum officij commonerent; neque multo pòſt ad fines BOICÆ ipſemet cum exercitu profectus, turbida inquietæ gentis conſilia metu armorum compeſcuit. Interim Nortmanni continuis duobus prælijs, in Britannia, quam priore anno, deſperatâ Pariſiorum expugnatione, invaſerant, per Alanum & Widecheilum Duces afflicti, reparatis viribus, in Lotharingiam revecti ſunt, quorum furori vt obviam iretur, Arnulphus properè Sunderholdum Moguntinum Antiſtitem cum validis copijs occupare Moſam iubet, hoſtéſque tranſitu prohibere. id conſilium Nortmanni celeritate ſua eluſere; priùs enim quàm noſtri Traiecti ad ſigna convenirent, hoſtis, non procul Leodio, impunè amne ſuperato, per ſilvas paludéſque diſperſus, nullam ex inſidijs patrandi maleficij occaſionem omit-

Annal. Fuld. Herm. Contr. Regino.

EXPEDITIO NORTMANNICA.

mittens, commeatum, qui illac in nostrorum castra deferebatur, intercipiebat, homines vita exuebat. Eo nuncio nostri præter spem perculsi, feris nihílq; profuturis consilijs diem extrahunt. postera luce, miles vltro ad arma conclamare, signa convellere, magnísque sibi animis hostem deposcere; qui cùm opinione longiùs abesset, è re visum, vt dum ipsi ad Guliam amnem subsisterent, tribuni duodenos è cohortibus singulis ad investigandum hostem emitterent; quo in delectu cùm maximè occuparentur, speculatores Nortmannorum conspecti sunt; quos exercitus noster, non expectato ducum imperio, nulla re provisa, non antè capto ad pugnam, imo ne ad receptum quidem aut fugam loco, incomposito agmine insecutus in peditum instructam aciem incidit. Inconsulta omnia nostris, eóque iniqua: hostibus & commoda sua nostráque incommoda præmeditata; ita non Fortuna modò sed etiam ratio pro barbaris stabat de victoria iam ante pugnam certis, quam nostri à fuga auspicati sunt, ardore illo præcipiti ad primum hostium aspe-

INFELIX PVGNA.

aſpectum extincto. Enimvero cùm pedites ſoli ſuſtineri non poſſent, etiam equites pharetrarum colliſione notóque vlulatu excitati advolarunt, turbatíſque vndique invecti ingentem ſtragem edidere: præter viles animas & plebeia funera, quorum ratio habita nulla eſt, etiam ſummi exercitus duces Sunderholdus Archiepiſcopus, Arnulphus Comes & magna nobilitatis pars occubuere. Hoſtes caſtris omni opulentiæ genere refertis potiti, captivos oneri magis quàm vſui futuros omnes concidunt, vix ſpolijs ferendis pares. Arnulphum, quem cæſum hoc bello diximus, ij, qui BOICÆ Principum ſtemmata explicuere, Lengenfeldenſem Comitem creant, eundémque Bernardi filium, Iunioris Pipini nepotem, Bernardi pronepotem, & Caroli Magni atnepotem faciunt, ingenti fiducia, nulla veri ſimilitudine, cùm ex omni antiquitate ſuffragatorem audacis coniecturæ producere ne vnum quidem poſſint. Cladis VI. Kal. Iul. acceptæ fama Arnulphũ incredibili mœrore affecit; cúmque omnium illum ducum pœniteret, & virtutem in alijs, in alijs

ARNVLPHVS CONTRA NORTMANNOS PROFICISCITVR.

alijsFortunam requireret, bellum id ipse per se gerere statuit; delectúq; per Franciam orientalem & Sueviam acerrimè habito, Rhenóque transmisso ad Mosam castra locat; sed Suevi à signis magno numero dilapsi sunt, incertum viribus an animis fracti; nimirum integra Francis gloria debebatur, qui hostes ad Tiliam flumen haud procul Lovanio munimentis egregiè circumvallatos assecuti sunt, loco adeò opportuno, vt neq; inviti ad pugnam elici, neque opprimi in castris possent. nam cùm hinc flumine, inde palustri vliginosóque solo septi tutíque essent, intermissa à flumine & paludibus, terrestri aggere, dépactis per intervalla palis stipitibúsque propè inaccessa reddiderant: neque tamen tantum fiduciæ ex loci firmitate, quantum ex recenti memoria victoriæ capiebant, qua vsque ad nostrorum contemptum irrisionémq; provecti querebant identidem, satísne viaticati ad fugam essent? parúmne existimarent vnum amnem suis cladibus insigniviſſe, nisi Tiliam itidem, vti antè Guliam cruentassent? His cõvitijs acuebatur potiùs quàm elãguesce-

fceret Francorum virtus, tantóq; magis nitendum ſibi Arnulphus exiſtimavit, ne diuturnus eſſet ille procaciæ hoſtilis triumphus. Inſpecto igitur caſtrorum ſitu, quòd equorum in ijs oppugnandis nullum vſum futurum facilè videbat, illis ſubmotis, pedeſtrem facere omnem exercitum inſtituit: id ne Francis ex equo pugnare aſſuetis gravi⁹ accideret, opportuna oratione animos illorum mollijt: Si vlla, inquit, virtuti Francorum via invia vnquam fuiſſet, Commilitones, effeciſſe barbaros dicerem, vt locus vobis non modò ad victoriam, ſed etiam ad pugnam deeſſet; quod quidem ijs adeò perſuaſum video, vt quaſi ſedendo iam viciſſent, ſupervacuum putent in nos telum mittere, ſannis & convitijs nos confecturi; quæ niſi vos graviùs ferro læſerunt, vt nihil durius dicam, ſtupida patientia pectus obarmaſtis: equidem cupio ranunculis iſtis inter paludes ſuas defoſſis quamprimum oſtendere, fortes viros non impunè improba dicacitate ab ijs laceſſitos, & infamia hæc latibula, quibus innatant, nihil præter confeſſionem trepidantis ignaviæ cõtinere: quam

Arnvlphvs pedestrem pvgnam Francis svadet.

quia ipſi nobis, propter prioris pugnæ infelicem exitum, obijciunt, efficietis vos, ne ſpargi latiùs fama poſſit, noſtræ nuncijs ignominiæ hîc oppreſſis. id enim ab ipſis ſedulò cautum videtis, vt fugæ via niſi per noſtros gladios patere non poſſit; quod equidem numinis prouidentiæ acceptum refero, quæ publicos gentium prædones & humani generis hoſtes, velut in cavea incluſos, veſtris manibus iugulandos obiecit: ſi modò virtute veſtra magis, quàm conſuetudine nixi, equis, quibus ſolis obſtructum ad hoſtes iter eſt, dimiſſis, pedeſtrem pugnam capiatis: Enimvero gloriæ noſtræ intereſt, vt publicè conſtet, Francos in nulla re victoriæ ſpem, præterquam in ſuis manibus, ſitam habere, deſinátque Nortmannus equos potiùs noſtros, quàm nos timere: quanquam Dei hîc magis, quàm noſtra res agitur, cuius capitaliſſimi hoſtes, omniúmque ſacrorum violatores non modò peditibus, ſed inermibus etiam metuendi nō ſunt. Vos modò cum Deo manum movete, quáque me peditem ſigna inferentem videritis, alacres impigríque ſequimini;

pro cælo & pace publica orbis terrarum '
pugnantibus fiducia eripi non debet, '
quando tam bona causa vinci nō potest. '
Sic concionanti vndique succlamatum est, duceret quò vellet; equóque desilientem ingenti animorum ardore secuti munimenta hostium perrumpunt, eodémque impetu, quo primos aditus occupaverant, cætera omnia supergressi medijs se hostibus intulerunt; quibus cùm divinum aliquid spirare viderentur, sustineri haud quaquam potuere: quoquoversum Arnulphus suos voce manúque vocans ferebatur, non aliter, quàm pestifero sidere icti pavebant hostes, & cùm neque vultum nostrorum ferrent, terga cædenda dabant. Ipsi adeò Dani robur haud dubiè hostilis exercitûs, durum armis genus, qui nulli de se hostium vnquam triumphum concessisse memorabantur, nullo memorabili facto, pro vetere virtute famáque, edito, inglorij periere: fugam diu non verecundia, sed obiectus amnis Tilia distulit: verùm vbi ad vltima consilia, inclinatâ iam manifestè ad nostros victoriâ, deventum est, passim, non prætentatis va-

ARNVLPHI NOBILIS VICTORIA.

dis, præcipites eò delati, armáque & viri super alios alii, posterioribus tota mole incumbentibus, effusi, centeni millenique hauriebantur, satísque constat, exaggerata cadaverum mole, alveum aquis destitutum fuisse. Cæsi cum hostium innumerabili multitudine reges eorum duo Sigefridus & Godefridus, si annalibus Fuldensibus & Hermanno credimus: verùm nos Godefridi mortem, ex Reginonis auctoritate, iam supra narravimus; nisi hunc illi duntaxat cognominem dicere malumus. Ex manubijs regia signa sedecim, nobile spolium, in BOIARIAM transmissa. copijs nostris cum fide lustratis, quod fidem superet, vnus omnino desideratus est; ex hostibus vix, qui ad classem nuncium cladis referret, superfuit. Arnulphus memorabilem in paucis victoriam publicè, decretis per castra supplicationibus, Numini est gratulatus, & triumphanti similis in BOICAM regressus VImæ Christiana natalitia egit. Secundum quæ in vltimos BOICÆ, quà orientem spectat, fines profectus, Zuentibaldum præter spem nusquam obviam habuit, aperto

ANN. DCCCXCII. *Ann. Fuld. Hermann. Contr.*

EXPEDITIO IN MORAVOS.

perto imperium dedignantis novásque res molientis argumento; vnde & Reipublicæ hostis declaratus est, confestímque Arnulphus cum Brazlavone vlterioris Pannoniæ duce de ratione belli gerendi deliberavit. Summa omnia experiri placuit, & triplex exercitus in rebellem decretus. Franci, Boii, Suevi frequentes exciti; vocati etiam in auxilium Vngari, pessimo publico, quod sequentia tempora docuere; quippe avara gens prædæ illecebra inescata, satiari postea, nisi direpto laceratóque orbe, non potuit. Hi ergo luctuosæ militiæ sub Arnulpho prima rudimenta posuere, eíq; rapinis incendiísq; latè per omnem Moraviam faciẽdis, mense integro, strenuam gratámque operam præstitere. Eadem occasione vetus cum Bulgaris amicitia renovata est, legatis ad Landomirum gentis regem missis, quorum auctoritate commercium salis, quod ei cum Moravis intercedebat, rumperetur. Eodem anno à Nortmannis ingentia iterum damna accepta sunt; nam qui ad tutelam navium, in Mosæ littore, substiterant, cùm de sociorum internecione

Vngari svb Arnvlphi signis.

Renovata cvm Bvlg: amicitia.

Clades à Nortmannis itervm accepta.

Regino.

nunciũ accepiſſent, menſe Februario, in Ribuarios effuſi, obvia omnia Bonnam vſq; populatiſunt. ad Landolphi villam noſtrorum exercitum aſſecuti copiam ſui facere detrectantes nocte proxima diffugerunt: cúmq; cacumina montium & devios colles hoſtem vitabundi peragraſſent, ex itinere Prumienſi monaſterio compilato, expugnatóq; in Arduenna ſilva nobili caſtro, quod ſibi trepida multitudo nuper admodum pro aſylo conſtruxerat, onuſti præda ad ſuas naves rediere. Turbatum etiam in Gallia eſt, & Ottonis, quem Arnulphi voluntate illic regnaſſe diximus, res fortunǽque imminutæ domeſticisq; odijs concuſſæ. Waltharius regis nepos homo turbulentus & rerum novarum cupiens, nactus inſaniæ ſuæ ſocios, Lugduno per vim occupato, tyrannidem invaſerat, in Ottonem ipſum, cùm is vrbe potitus procerum conventus ageret, ferrum ſtringere auſus; cuius temeritatis mox dignas pœnas capite exolvit: neque tamen eius morte adverſæ factionis ſtudia elanguerunt; quam dum rex bello in Aquitanis perſequitur, toto penè regno excidit; cùm

TVRBÆ GALLICÆ.

Ful-

Fulco Rhemensis Archiepiscopus Carolo Ludovici ex Adelheyde filio posthumo, qui Simplicis cognomentum tulit, magna procerum voluntate diadema imposuisset; quod gravium deinceps motuum seminarium fuit. Eadem tempestate Poppo Thuringorum Dux ab Arnulpho in ordinem redactus est, sive improbi consilij, sive sceleris patrati cōvictus: nam id quidem constat, eius maximè auctoritate impulsum Arnonem Würzburgensem Episcopum, inconsulto cum Bohæmis bello suscepto, hoc anno, ab ijs cæsum esse. Anno proximo, qui nonagesimus tertius fuit, Arnulphus ex BOICA Francofurtum profectus, Rheno traiecto, Lotharingiam omnem religiosè supplicantis habitu obijt: gratus eius adventus sacro præsertim ordini fuit, ídque amplissimis muneribus præsules testatum fecere. Exarserat iam in Gallia inter regni consortes bellum, Ottoni quàm Carolo longè felicius; ille enim vsu rerum scientiáque militari melior æmulum nullo loco passus consistere, eundem ad periclitandam Arnulphi, quocunque eventu, gratiam

CAROLVS SIMPLEX REX GALLIÆ.

Ditmar. Chro. l. 1.

ANN. DCCCXCIII.

ARNVLPHI PIETAS.

Annal. Fuld. Herman. Regino.

CAROLI SIMPL. CVM ARNVLPHO CONGRESSVS.

Frodoard. hist. Rhem. l. 4. c. 5.

impulit, quem cùm Wormatiæ conventus agentem supplex adijsset, æquiorem opinione est expertus. Arnulphus enim, quòd regnum Galliæ ad se pertinere arbitraretur, graviter commotus fuerat, iniussu suo Carolum regem salutatum; cùm præsertim Otto precario imperio Galliam à se regendam accepisset, neque quidquam commisisse videretur, cur suæ voluntatis se iure posset pœnitere. In ipsis etiam Gallis constantiam desiderabat, quòd viventi Ottoni, quem invitum ad capessenda regni gubernacula impulerant, æmulum comparassent, & perniciosissimo etiam ad posteros exemplo, vendicata sibi reges mutandi libertate, pacem Galliæ turbassent. Spargebantur præterea rumusculi, Carolum mendacio in regiam familiam irrupisse, neque verè Ludovico natum, sed à matre suppositum, eóque spretum antea, nunc repentè à Fulcone Rhemensi Archiepiscopo productum in scenam, qui mimum illum studiosè privati quæstus causa confinxerit, vt personati regis larvâ infida consilia obtegeret, quibus regnum omne, à fide Arnulphi, ad Vidonem

nem Italiæ tyrannum trahere ferebatur. Quæ res Arnulphum in Fulconem potiſſimùm incendebant; nam Carolum ferè ætas excuſabat, qui quatuordecim annos natus nondum ad tam ſplendidam ambitionem maturuiſſe videbatur. Fulco cùm ſe conflagrare invidia animadverteret, facti ſui rationem per literas reddidit: ſecutum ſe in eo Franciæ iura, cui reges ſui naſci, non fieri ſoleant. eáque de cauſa Arnulpho delatum imperium, quòd præter ipſum & Carolum puerum, regium ſanguinem nullum agnoſcerent. Fuiſſe ea tum tempora, quibus Gallia è cunis iura petere non debuerit; cùm ingentia bella, quæ patriæ incubuerint, virum manúmque gladio vibrando parem depoſcerent. Cùm ergo Arnulphus regnum capeſſere gravaretur, in Ottone non niſi vicarium ius & Caroli tutelam ſeſe agnoviſſe; quorum vtrumque, eo adoleſcente, expiraret. Meruiſſe autem Ottonem crudelibus factis, vt puerũ pati quàm tyrannum mallent: quem etſi fortaſſe hoſtes minùs timerent, cives tamen ardentiùs diligerent, quod regum qualiumcunq; optimum præſidium ſemper fuerit. Quæ

de Caroli natalibus dicerentur, ipsiusmet vultu refutari, quo totum patrem germana similitudine exscripserit; & nimis serò eam post tot annos excogitatam ab invidia calumniam: sicut & illam, qua initæ cum Vidone coniurationis argueretur: qui si Francis cordi vnquam fuisset, neutiquam cum tam luculenta contumelia, è regno, quod iam spe devoraverat, exturbandus fuisset. Porrò nullius magis, quàm Arnulphi interesse, Caroli dignitatem tueri; passim quotidie regulos pullulare, & tot plebeia capita coronis non suis superbire; ex eorum successu alijs audaciam crescere, quódq; Otto in Gallia, in Italia Vido & Berengarius, Rudolphus in Burgundia fecerint, mox alios tentaturos, nisi cupiditati obviam eatur. eadem ergo operâ Arnulphum suis regna liberis stabiliturum, si Caroli cognati regis causam, quæ ipsi cum eo communis sit, favore & patrocinio suo adiuvisset, neq; alium quemvis, quàm Caroli Magni sanguinem regno Galliæ censuisset digniorem. His rationibus mitigatus Arnulphi animus fuit, vt non Fulconi tantùm æquum se, sed Caro-

Carolo etiam facilem præberet: nam & humanissimè acceptus & regnare iussus est, tam prolixo insuper favore paratísq; auxilijs adiutus, vt in spem recuperandæ totius Galliæ venerit; quanquam Ottonis res eo vsque invaluerant, vt primis conatibus irritis, necessariò ad Burgundiones secesserit; vbi spei suæ imminens, regresso Parisios Ottone, tentata, meliore successu, fortunâ, parte Galliæ potitus est; licet, quàm diu Otto superfuit, inter alternantes bellorum vices, otioso illi esse non licuerit. In Moravia interim bellum his ferè initijs recruduerat. Engelschalcus cùm Arnulphi filiam ex pellice susceptam deperiret, alitérque ea se potiturũ esse diffideret, amatam vi rapuit, útque tutò frueretur, ad Moravos voluntarius exul abijt; inde tamen paulo pòst, promissa facti impunitate, reversus Pannonicóque limiti præfectus, cùm superbè imperaret, odium BOIORVM meritus, & Ratisbonæ iniuriarum postulatus, regis sententia oculis orbatus est: Wilhelmus verò patruelis eiusdem, rebus Zuentibaldi addictior ex vltro citróque commeantibus nuncijs

ARNVLPHI ERGA CAROLVM SIMPL. BENEVOLENTIA.

BELLVM MORAVICVM.

cijs deprehensus, perduellionis crimen capite luit, fratre iam antè apertâ ad Moravos fugâ dilapso, vbi non multo pòst interfectus est. His indicijs de Zuentibaldi iniquo implacabilíq; animo coniectura facta, iterúmque in eum bellum decretum; id cùm vltimum fuerit eorum, quæ cum Zuentibaldo gesta sunt, huc potissimùm pertinere putamus, quæ à Vohburgensi Comite sine temporum certa nota consignata literis sunt. Arnulphus cùm egregia in cælites omnes pietate ferretur, Emmerammum Martyrem eximijs officijs semper coluit, vt neque habitatione quidem à tutelari Divo voluerit esse remotior, nobili regia iuxta illius sacram ædem posita. cuius religiosi affectus fructum præsentem sæpe aliàs, & Moravico præsertim bello vberrimum tulit. nam aciebus vtrinque explicatis ad pugnam, repentè hostib. cælestium auxiliorum primos ordines ducentium augusta species obiecta, animos pavore cõsternationéq; implevit; iámq;, vt in pugna iniquissimè comparata, & exercitu altero pleno antesignanis Divis, Moravis certamẽ inire detre-

Arnolf. l. 2. de S. Emmeram.

ARNVLPHVS D. EMMERAMMI INSIGNIS CVLTOR.

CÆLITES ARNVLPHO PRÆLIANTI AVXILIANTVR.

detrectantibus, omnia ad fugam spectabant, nisi laxatis ordinibus diffluentes Thraso quidam perditæ audaciæ inhibuisset; qui Zuentibaldi clypeo obarmatus, raptóque prætorio vexillo insignis, ignavos proditorésque increpans, obstantibus submotis, vsque ad Arnulphum penetraverat; cum cùm vnum peteret, à sene veneranda oris specie humanum egresso fastigium repressus est, qui Emmerammum se professus, inserta in clypeum manu, furentem vltra progredi non est passus; quem vt animo viribúsque repentè linqui commilitones aspexerunt, nemini dubium fuit, iratis se superis eam dimicationem, magno malo suo, suscepisse, benéque actum iri secum, si salvis pedibus & integro capite inde sese proripuissent. Neque vanus timor fuit; Cælitum quippe operâ nobilis parta victoria est, adeóque protritæ Zuentibaldi copiæ, vt, ne vivus ipse in potestatem hostium veniret, equo ablatus è prælio fugam in montem Sambrium intenderit, vbi, ne quod argumentum pristinæ For-

D. EMMERAMMVS ARNVLPHI VITAM TVETVR.

ZVENTIBALD: VITAM SOLITARIAM INCOGNITVS AGIT.

Aen. Silu.
Ioan. Dubrau.
In hist. Bohem.
Cosm. Pragen:

Hi tamen Zuentibaldũ Suatocopium, Svatoplucum, Zuatoplicks appellant.

Fortunæ extaret, confoſſo equo defoſſísque armis, inter ferarum luſtra, ſilveſtri contentus victu tamdiu delituit, donec oberrantem tres viri, qui montis illius ſeceſſum virtutis ſibi cauſa olim expetiverant, deprehenderunt, ſtrenuéque omnia diſſimulantem & iam otij illius amore tactum, in contubernium ſuum admiſerunt; vbi reliquum ævi, quod perbreve fuit, ſuaviſſimè egit, gratias Fortunæ agere ſolitus, quòd irata maiori ſe felicitate mactaſſet, quàm blandiens, & regno fucato exutum verè regem feciſſet, pulſúmque extra ſpei & metus confinia in perpetuæ ſecuritatis ſinu collocaſſet. Morti proximus, quæ illi anno ſequenti obtigit, ſocijs vitæ ſuæ fabulam recitavit, eóſque valere iuſſit & plaudere; nam ſe quidem apud illos intrepidum vixiſſe, & nunc ridentem mori, quorum neutrum ſibi regnum daturum fuerit: Regibus ſi veri boni ſimilem Deus guſtum conceſſiſſet, pauculos in purpura morituros; vnicam ſe ingemiſcendi cauſam habere, quòd tantam felicitatem tam ſerò agnoverit. Sepeliri eodem ipſo loco voluit, ſine pompa; ne faſtum,

MORS ZVENTIBALDI. *Regino.*

quem

quem vivus adhuc calcasset, videretur mortuus resumpsisse : vltima deinde ad filios mandata ferenda dedit, simúlque vivere desijt, tam pulchra morte meritus, vt etiam vitæ ignoscamus, cuius omnes nævos hæc vltima linea obliteravit. Victoriam Arnulphi natus per eadem tempora ex Vta iusta coniuge filius illustriorem fecit; eum Adalbero Augustanus Episcopus ex noblissima Comitum Dilingensium prosapia Christiano ritu abluit, Hatto Moguntinus Antistes de fonte levavit: puer nomen Ludovici tulit. Paulò pòst Ratisbonæ commorantem Arnulpbum legati Formosi Pont. Max. totius Italiæ principes adierunt enixè rogantes, ne Romanam vrbem sub Vidonis tyrannide ingemiscentem suo indignam auxilio crederet, quámque ipsius maiores, rebus afflictis, Italiæ salutem sæpe dederint, eáque propter maximos honores & nominis immortalitatem consecuti sint, eam ipse tot votis imploratus redderet, quidquid invicem à Pont. maximo impetratum vellet, benevolum faventémque experturus. Arnulphus legatorum dignitate,

Ludovicus Arnulphi F. nascitur.
Hermann. Annal. Fuld.

Arnulphus à Pont. in Italiam invitatur.
Annal. Fuld. Herm. Contr.

æqui-

æquitatéque postulatorum permotus operam suam addixit: magnum ad eam impetrandam momentum attulit Berengarius præsens, quem Vido secundis aliquot prælijs factis, iam bis fugatum ad implorandam Arnulphi opem adegerat. neq; sprevit tam nobilem clientem Arnulphus; sed altero abhinc anno, Zuentibaldum filium cum haud contemnendis copijs Berengario suppetias misit: quanquam illa expeditio neque Vidoni detrimenti quidquam attulit, neque Zuentibaldo gloriæ fuit. Vido Papiæ se tenebat, eámque positis, ad Vervarolum amniculum, quo vrbs alluebatur, copijs, & frequentibus vallis opportunè depactis munierat; vt nostris neque cum hoste congrediendi neque vrbem oppugnandi copia data fuerit. vnum & viginti dies mutuo aspectātes se, neutris transeuntibus, inutili cunctatione absumpserant, cùm BOIVS eques perosus sedentariam operam, & virtutis ostentandæ avidus, adacto in amnem equo, Italis ignaviam & inscitiam equitandi exprobravit, & ad ipsas stationes aliquando provectus, militi inopinanti hastam de manu

BERENGAR. ARNVLPHI CLIENS.

IRRITA IN ITAL. EXPEDITIO.

Sigon. ex Luitprando Ticin:

BOII EQVITIS CVM ITALO DVELLVM.

manu extorsit, spoliúmq; non tam precio, quàm audaciâ facti nobile ad suos ovans retulit. Id dedecus non ad vnum hominem, sed ad gentem vniversam pertinens Hubaldus Bonifacij, qui postea Spoletanos Marchionis titulo rexit, pater, abstersurus, arrepto clypeo provectus in medium, gloriosum militem cōpellans ad singulare certamen evocavit; daret acciperétque invicem documenta, quantùm BOII Italos equestri gloria anteirent. Ille nihil cunctatus dat se in conspectum, & vtroque exercitu ad spectaculum effuso, dignum id reputans famæ suæ theatrum, velut certæ victoriæ, notis artificijs obsequentem circumagens equum, præsultat, ferocia nihilominus dicta in Hubaldum iaciens; qui nihil his ludificationibus, & compositis ad numerum argutijs motus, tacitas iras & integras equi vires in discrimen veri certaminis differebat; tandémque infestam hastam coruscanti obvius BOIO iterúmque mira volubilitate elapso, antequam ex anfractu circumiretur, latus ipse hasta haurit: ita non modò ostentatio in ludibrium recidit, sed fracti etiam,
 capto

capto, ex duorum certamine, Fortunæ suæ omine, reliquorũ animi sunt: cúmque iam spõte abitionem paranti Zuentibaldo Vido argentum offerret, multò promptiùs soluta obsidio est. quæ causa Berengario fuit, ipsummet Arnulphum excitandi, vt in Italiam transcenderet; quod anno nonagesimo quarto fecit, Berengario honoris fideique testandæ causa armigeri munus occupante, & Arnulphi latus clypeo tegente. Verona prima in potestatem venit voluntaria deditione: Bergomenses munitionibus confisi obsidionem tolerare statuerunt: id consilium fortibus viris dignum exitus damnavit; neq; enim Arnulphi vim diu sustinuerũt. oppido, initio Februar. potitus illud cædibus funeribúsque implevit: Ambrosium etiam Comitem, qui pro Vidone vrbem tenebat, omnibus dignitatis suæ insignibus excultum publico suspendio extinxit; vt vicinæ civitates, quæ Bergomensium exemplum imitari statuissent, Fortunam eorundem pertimescerent. neque eum opinio fefellit; Mediolanenses, Papienses aliíque, nón expectato adventu, occupare vi-

ZVENTIB: ITALIAM DESERIT.

ANN. DCCCXCIV. ARNVLPHVS ITALIAM PETIT.

Regino. Annal. Fuld. Luitprand. l. 1.

HONORES ARNVLPHO HABITI.

re victoris gratiam per legatos ſtuduerunt. Ipſius deinde in vrbes ingreſſus triumphi ſpeciem habuit; cum liberis omnis multitudo obviam procedebat, quantúmque antea odijs, tantum nunc ſtudijs certabatur. Porrò ne victoriæ curſum aliquà moraretur, Ottone Ottonis M. avo ad recipiendum Mediolanum miſſo, ipſe rectà Papiam profectus, vrbe in fidem accepta, Vidonem cum filio & vxore Spoletum verſus fugientem inſecutus, Placentiæ ſubſtitit, &, ſive partæ gloriæ ſatur, ſive domeſticis turbis revocatus, per alpes Peninas exercitum in Galliam deportavit, Rudolphúmq; Burgundiæ regem, cum quo illi veteres ſimultates intercedebant, omnibus copijs eſt perſecutus. verùm ille ſummis alpibus notíſque diverticulis, quæ ſibi olim ſaluti fuiſſe meminerat, inſeſſis, iram regis certámque perniciem vitavit. Arnulphus vbi conatus ſuos irritos ſenſit, Wormatiam digreſſus in publico procerum conventu Zuentibaldum filium Lotharingis imponere molitus, fruſtra fuit, optimatibus palàm imperium aſpernantibus.

ARNVLPHVS IN GALLIAM TENDIT. *Regino.*

WORMATIENSIS CONVENTVS.

ſoluto conventu ad Laurishaimenſe monaſterium abijt, ibiq; Ludovico Boſonis filio, Irmengardis matris precibus victus, è Burgundiæ regno vrbes aliquot & magnum agri modum attribuit, caſſa liberalitate; nam Rudolphus nihil eorum ſibi extorqueri eſt paſſus. In eundem annum autores plerique omnes Vidonis regis Italiæ & Imperatoris mortem conijciunt, Luitprando & Sigeberto diſſentientibus, qui vitam illi in quinque adhuc annos propagant, magnum aſſeclam nacti Cæſarem Baronium, qui niſi falluntur, mirum profectò eſt, quomodo in Arnulphi inauguratione, quæ poſt biennium facta eſt, Romani ſacramentum eidem dicturi, Lamberti duntaxat & matris eius Agildrudæ factiones eiuraverint, nulla Vidonis mentione, cuius vel maximè ratio habenda fuerat, ſi eouſque provixiſſet: niſi fors credere malumus, in ipſam formulam, quæ integra in Ann. Fuld. extat, vitium irrepſiſſe.

Regino. Herman. Marian. Scot. ann. 894. Sigon.

Anno proximè ſequenti, qui nonageſimus quintus fuit, Hildegardis Ludovici regis, Carolomanni & Craſſi fratris filia,

ANN. DCCCXCV. *Herman. Regino.*

filia, cuius potissimùm suffragatione Arnulphus regno potitus fuerat, apud eundem nescio cuius criminis postulata, paternis exuta opibus in insulam Chimi lacus Virginum monasterio includenda deportatur; paulò pòst tamen, sive compertâ innocentiâ, sive mitigato, veteris beneficij memoriâ, regis animo, revocata pristinum dignitatis gradum obtinuit. Triburiæ deinde nō procul Moguntia sacrorum antistitum conventus fuit. Nonaginta sex Episcopos convenisse Marianus Scotus auctor est, etsi viginti duo tantùm actis subscripti reperiuntur. Arnulphus non modò præsentia & autoritate sua comitiorum splendorem auxit, sed cordata oratione patrum animos exacuit ad capessendam rempub. disciplinámque Christianam bonis legibus sanciendam. Extant actorum tabulæ prisci rigoris indices & nostro sęculo ignaviam exprobraturæ, quas proximè post Archiepiscopos, Valdo Frisingensis, Erchenbaldus Eistetensis, Tuto Ratisbonensis, & Adalbero Augustensis signarunt. soluto conventu antistitum, Arnulphus alterum, optima-

HILDEGARDIS IN MONAST. DEPORTATVR. *Regino.*

COMITIA TRIBVRIENSIA.

WORMATIENSI CONVENTV ARNVLPHVS FILIVM LOTHARINGIS IMPONIT. *Regino.* - *Herman.*

 tibus

tibus convocatis, Wormatiæ egit, in quo voto suo potitus Zuentibaldum F. Lotharingis volentibus regem dedit, quod priore anno nullis cõtentionibus evincere potuit. Eodem, Otto quoque Galliæ rex, causæ suæ contra Carolum Simplicem patrocinium quæsiturus accessit, & Arnulphum regijs muneribus delinitũ arctissimè sibi devinxit; Carolus comperta Ottonis ad Arnulphum profectione, ne defuisse officio suo videretur, eáq; cessatione validiores æmuli vires partésque redderet, Fulconem Episcopum & Adalongum Comitem amplissimo regiæ munificentiæ apparatu instructos eodem amandavit; qui cùm infelici casu in revertentem ab Arnulpho Ottonem incidissent, agniti ab adversarijs, incauti imparatíq; prope oppressi sunt; & Adalongus quidem letali vulnere accepto non diu superfuit: Episcopus vltimum discrimen celeri fuga evitavit; impedimenta Ottonianis prædæ relicta direptáque sunt. Carolus tentatâ sinistro eventu Arnulphi gratia, eius filium Zuentibaldum sibi adiunxit; is Ottoni ægrè facturus, collecto exercitu Lugdunũ vsque

GALLIÆ REGES ARNVLPHI GRATIAM EXAMBIVNT.

ZVENTIBALDI. ARNVLPHI F. IRRITI CONATVS.

vſque progreſſus civitatem obſidione cinxit, civibus non modò eam fortiter tuentibus, ſed ex occaſione etiam ſigna cum eo conferentibus: quibus cùm ex Aquitania Otto adducere auxilia nunciaretur, temerè conceptas ſpes eadem levitate animi deſeruit. *Regino. Hermann. Annal. Fuld.*

V. ARNVLPHVS IN ITALIAM PROCISCITVR.

Arnulphum interim Formoſus Pont. iteratis in Italiam nuncijs revocabat feſſus calamitatibus, quibus Sergiana factio innocentem opplebat, Lamberto Vidonis Filio, quem Formoſus Imperatorem inaugurarat, non modò connivente, ſed ſceleratorum hominum anteſignano & duce. Arnulphus, re cum Epiſcopis deliberata, iter menſe Sept. ingreſſus, illud ad Padum vſque fortunatum habuit. Berengarius adventanti neceſſitate magis, quàm voluntate præſtò fuit, perfidiámque ſimulatis officijs texit. Arnulphus, ne quis turbis in tanta factionum libertate locus eſſet, Waltfredum & Meginfredum fortiſſimos viros Italiæ omni, quæ cis Padum eſt, præfecit; ipſe copijs bifariam diviſis, percursâ luſtrátáque Italiâ, Lunæ ſub finem anni fuit. Initio ſequentis progredienti cum

ARNVLPHVS ITALIÆ PRÆFECTOS IMPONIT.

ANN. DCCCXCVI. *Hermann. Annal. Fuld.*

cæli aërísque iniurijs conflictandum fuit: impedita immodicis imbribus itinera, vexati pestilentia dossuarij equi, corúmq; iactura lento boum ministerio ægrè resarta est. Etiam Berengarius ad ingenium redijt, vicarijs, vti existimo, præfecturis offensus, ex quibus refrixisse Arnulphi erga se studia animadverterat, modica etiam in posterum relicta spe, cùm ipse non precarium regnum, sed summum imperium animo concepisset. quò cùm nullum apud Arnulphum apertum iter cerneret, ambitione cœcus ad Lambertum capitalissimum nuper hostem transijt: nisi Hermanni Chronicon vitiatum dicimus; nam in vetustioribus annalibus id tantum reperias, eum fide prodita, cum Adelberto Tusciæ Marchione caput & consilia contulisse. qui cùm Sergianæ coniurationi primam flagrantissimámq; facem subiecisset, infestus per se Formoso Pont. Arnulphum in eius auxilium evocatum non poterat non odisse. Nihilominus Arnulphus, in summa cæli annonæque gravitate, cœptum iter tenuit

[illegible] cit.

Herman.

Ann. Fuld.

tenuit Romámque incolumi exercitu pervenit. Vrbi Lambertus Imperat. Agildrudam matrem præſidio reliquerat. ea confirmatis civium, etiam ad obſidionem tolerandam, animis, loco ipſa parum confiſa ſe proripuit & Camerini munitionibus incluſit. Arnulphus cùm viam ſibi in vrbem vi patefaciendam intelligeret, haberétque ad eam rem hortatorem Pontificem & promptiſſimos militum animos, placare primùm ſupplici prece Numen & ſuſceptis voluntariè ieiunijs inſtitit; noxæ etiam Chriſtiano ritu expiatæ; ne quid non modò in cauſa iuſtiſſimæ expeditionis, pro liberanda à factioſorum tyrannide Romana vrbe, vindicandóque ab indigniſſimis iniurijs orbis Chriſtiani parente, ſuſceptæ, ſed ne in milite quidem ſceleris impietatíſque reſideret. Ab his auſpicijs cœpta eſt oppugnatio; quæ cùm magnæ molis futura crederetur, eóque apparatus maximi fierent, ridicula res, ludente in tam ſerio negotio Fortuna, vrbem orbis principem capiendam noſtris per

ARNVLPHVS ROMA FORTVITO CASV POTITVR.

iocum dedit. Lepusculum militaris tumultus suo latibulo extraxerat; quem pavido cursu versus urbem fugientem coorti ex suis stationibus magno numero milites sunt secuti; cúmque studio ignobilis prędæ longiùs proveherentur, Romani, qui muros occupaverant, universis se copijs peti rati, quòd nihilo plus animi ijs quàm ominoso lepori esset, eius exemplum imitati quoquoversus dilapsi sunt; nostri nuda defensore mœnia conspicati, occasione tam bella strenuè usi, comportatis raptim sarcinis equorúmque sellis, & si quid aliud locus daret, per extemporalem aggerem evadunt in muros: alij ariete quinquaginta pedes longo portam quatiunt aditúmque moliti urbe Leonina potiuntur, ne uno quidem desiderato. Ingressus Arnulphi plenus gloriæ fuit: senatus honoris causâ ad pontem Milvium obviam egressus, & Græcorum schola vexillis Crucibúsque insignis cum triumphali carmine regem ad D. Petri deduxit, ibíq; exceptum Pontifex, operæ precium relaturus suo urbísque liberatori, Augustum usitata cæremonia appellavit. Populus

Luitpr. l. 1. c. 8. Sigeb. ann. 900

ARNULPHUS à PONT. AUGUSTUS SALUTATUR.

pulus Romanus cùm ad D. Pauli Basilicam frequens confluxisset, eidem sacramentum solenne dixit in hanc sententiam: Ita Deum propitium, Divósque faventes habeam, vti ego, dum vita suppetet, Arnulphi Imperatoris partes cum fide colam; eam si sciens fefellero, si Agildrudæ, si Lamberto eius filio operam navâro, causæ nihil sit, quo minùs velut sacrum atque intestabilem mortales immortalésque perpetuò oderint. Porrò cùm ad hunc modum inauguratio Arnulphi sese habuerit, non video, quo iure in Ioannis IX. qui paulo post Pontifex fuit, rebus gestis compendio scriptis legatur, Arnulphi Coronationem, vt vitio factam extortámque vi ab eodem Pontifice damnatam esse. cuius temerarij dicti auctoritate perculsus Maximus Scriptor Germanos læsæ veritatis insimulat, quòd Arnulpho, in Imperatorum serie, post Carolum Crassum, amore patriæ & privato in suam gentem affectu, stationem assignent; Verùm cùm is neque de aperta vi, neque de ambitu quidem postulatus vnquam fuerit, alienior semper à capessendo imperio, quam

SACRAMENTVM S.P.Q.R.
Ann. Fuld.
Hermann.

ARNVLPHVS LEGITIMVS IMPERATOR.

quam Pontifex à deferendo, nihil ſane movemur illius Epitomes convitio, neque patimur Arnulphi & Berengarij cauſam eandem fieri, quæque in hunc iure optimo dicta ſunt, in illius nomen per invidiam detorqueri. ter omnino vocatum à ſummis Pontificibus in Italiam Arnulphum vidimus; primas ille voces & ſpes omnino neglexit; ad ſecundas nonnihil excitàtus in Italiam tranſcendit; ſed Fortunam ſuam in medio curſu deſtituit, coronǽque iam impendenti caput ſubduxit: tandem communis parentis vicem duriſſimam miſeratus, & ſervitutem à civium Romanorum cervicibus depulſurus, morem geſſit precibus illius, qui pro ſanctiſſima, qua pollet, auctoritate, iubere poterat; Romam redijt, & non ſine inſtinctu divinitatis præſentariáque ope eam per iocum & ludum, Lepore Duce, vti demonſtratum eſt, cepit, tyrannos compeſcuit, Pontifici libertatem dignitatémque reſtituit, & bonis omnibus plaudentibus fauſtáque acclamantibus, more maiorum Auguſtus ſalutatus eſt: Certè, cùm à Carolo M. nullius Principis luculentius

tius in Romanos Pontifices meritum extet, causæ nihil est, quominus amplissimæ dignitatis titulum iure quo qui optimo censeatur tulisse; neque tralatitia laus est, qua Vohburgensis Comes vetus auctor & imprimis religiosus Arnulphum condecorat, verissimè affirmans, *ob beati Petri defensionem, post victorias mirificas, imperium adeptum.* Iam acta ipsa sive Romani sive Ravennatis Concilij, quorum auctoritate omnis hæc lis finienda est, neque illius dignitatem in dubium revocant, neque Imperatorium nomen ei detrahunt; vt fateri necesse sit, Novitijs Auctoribus, qui ad Arnulphum in ordinem cogendum, spoliandúmqe Augustalibus insignibus, decretis Synodicis moveri se dicunt, in ijs perlegendis somnum obrepsisse. Vnus vtrobique Berengarius petitur, nullâ Arnulphi, cuius nominandi causa non suppetebat, memoriâ, aut probro; non eò tantùm, quòd multo ante decessisset, quàm ij conventus agerentur; sed quòd ita de Romana sede meritus esset, vt bene precari Manibus de-

Arnolf. l. 1. de S. Emmeram.

defuncti, quàm lacerare nomen æquius fuerit. libet in rem præsentem venire, atque ipsa verba Romani Concilij in Ravennate confirmati recitare; ita habent: " *Unctionem itaque Sacri Chrismatis in " spiritualem filium nostrum, dominum " videlicet Lambertum excellentissimum " Imperatorem actam, perpetua stabili- " tate dignitatibus decoratam, firmam & " in æternum stabilitam esse, sancto suf- " fragante spiritu decernimus: Illam verò " barbaricam Berengarij, quæ per surre- " ptionem extorta est, omnimodis abdica- " mus.* Sigonius, qui eundem errorem erravit, hoc etiam amplius habet, à Ste-

l. 6. de regno Italiæ.

phano quoque, qui Ioannem in Pontificatu præcessit, Arnulphi coronationi obnunciatum esse, ipse quoque testium tabularúmque inops. quanquam id à furiosissimis Pōtificis huius factis minimè abhorruisset, qui etiam Formoso mortuo Pontificatum adimere, inaudita impietate, ausus, exutum sacris vestibus, profanísque indutum suo conciliabulo damnandum obiecit, & corpus spargi in Tybe-

Tyberim iussit: vt nihil ab ingenio suo alienum facturus fuerit, si post abdicatum pontificem, etiam Cæsarem, quem invisum ipsi fuisse ex Hermanno constat, in ordinem redegisset, dignus ipse vindici Deo visus, cui quarto pontificatus anno deiecto in carcerem laqueo gula frangeretur. verùm nos stabilitâ Arnulphi dignitate, reliqua illius gesta exequamur. Quindecim omnino dies Romæ ordinādæ reipub. caussa substitit, pontificię potissimùm dignitatis rigidus assertor; nā in Romanæ nobilitatis proceres plures violatæ sanctissimæ maiestatis reos capitis sententiam pronunciavit. Constantinum verò & Stephanum senatus factionísque contrariæ principes, quorum odijs viribúsque vrbe prohibitus fuerat, in vinculis deportari in BOICAM iussit. vrbi Faroldum præfectum imposuit, & Camerinum profectus castrum natura & arte munitissimū, Firmum nomine, vbi Vidonis coniugem Ageldrudam esse cognoverat, obsidione cinxit, totúmque vallo & munimentis circumplexus, fœminam in summas angustias adduxit: quæ cùm fortunas

Baron ann. Chri. 900.

ARNVLPHVS PONT. DIGNITATIS ASSERTOR & VINDEX.

Luitprand. Sigebert.

nas ſuas in extremo ſitas, & nullam in armis ſpem videret, animo in omnes partes verſato, conſilium deteſtabile reperit. Evocatum ad ſe Cæſaris pincernam multa pollicendo & miſerando caſum ſuum impulit, vt temperatum à ſe poculum Arnulpho propinaret, meros ineſſe amores dictitans & delinimenta ægrum irâ animũ mitigatura: afflictæ ſibì & vltima exempla metuenti navaret hanc piam operam, quémque lacrymis & precibus ipſa deſperet inflectere, innocua potione placaret, ſibíque viam ad eius clementiam ſterneret; hoc ſibi etiam adverſus mariti ferociam præſens certúmq; alexipharmacon fuiſſe. (nempe quale apud Homerum Nepenthes celebratur oblivionem triſtitiæ veniámq; afferens ab Helena vino mixtum). quin vt dubitanti fucum faceret eximerétq; ſuſpicionem veneni, quendam familiarium eodem poculo invitavit, ex quo cùm is intrepidè hauſiſſet & largiter, integráque non minùs hora mente & vultu conſtitiſſet, flexus nonnihil eſt pocillator, tandémq; auro penitus expugnatus operam ſuam vendidit fœminæ, & medi-

Luitpr. l. 1. c. 9.

ARNVLPHO FVRIALE POCVLVM PROPINATVM.

medicatam pestem Arnulpho propinavit; eum mox ineluctabilis gravedo in altissimum demersit somnum, quo ægrè post triduum discusso, mentem tamen non recepit; diúque pro sano nihil neq; egit, neque locutus est. ea obsidionis solvendæ caussa fuit; cúmque cælo & inclementiæ aëris morbum imputaret, relicto Mediolani Ratoldo filio, quà proximum iter est, per vallem Tridentinam in BOICAM rediit. Ita quidem veteres annales; à quibus Luitprandus diversus abit, qui & Vidonem ab aliis scriptoribus iam pridem tumulatum recedentis Arnulphi vestigiis institisse, eúmque, occluso per Tridentinas valles, itinere, per montem Iovis regressum in Germaniam; eius porrò viæ capessendæ necessitatem ei à Berengario impositam scripsit. Is enim è re nata fidem & dominos mutare desultoria levitate solitus, cùm iterum castra Cæsaris sequeretur, & transfugii notam vltimis eluere officiis laboraret, vt neque laternarius esse Arnulphi refugeret, amici indicio repentè intelligit, ingens sibi malum parari; Cæsarem inquieto illius ingenio of-

ARNVLPHVS VETERNO CORRIPITVR.

Ann. Fuld.
Luitpr. l. 1. c. 9.
Sigebert. ann. 901.

BERENGARII PERFIDÆ MOLITIONES.

fensum, quo salvo pacatam se possessurum Italiam desperet, de eo exoculando cogitare: quam calamitatem cùm ille celeri fuga antevertisset, & in veterem nidum se Veronam coniecisset, traducendo apud populares Arnulphi crudele sanguinariúmque ingenium, maximam illi invidiam conflavit: ex quo factum est, vt evilescente Cæsaris auctoritate, Ticinēses tumultuari ipso præsente ausi, impetu in copias eius facto, publicas adeò cloacas cæsorum corporibus repleverint. Cæsar vigore animi pridem debilitato tam luculentam mussitare iniuriam coactus, vitato etiam, imbecillitatis conscientiâ, Berengario, iter Eporediam reflexit, circa quam, quòd imperata facere detrectasset, iterum necessariò aliquot dies hæsit. Animos civibus Anscarius Marchio subdiderat vir lingua quàm manu melior; qui cùm decretum Cæsari intelligeret, obsidionem non solvere, nisi concitatore rebellionis in potestatem adducto, egressus vrbe clanculum proximo specu se abdidit, vt civibus iurare sine scelere integrum esset, Anscarium in vrbe non esse. Qua arte ab

TICINENSES CÆSARI ARNVLPHO INFESTI.

ANSCARII EPORED. MARCH. ASTVS.

te ab obsidione aversus cœptum iter tenuit: Arnulpho digresso, tota ab imperio Italia descivit. nam Waltfredo, quem ForoIulij præfectum diximus, alienissimo tempore vita functo, Veronenses, quos in officio illius auctoritas & parata ad manum arma continuerant, apertè iterum Berengarium respexerunt; ísque mox ad Abduam amnem vsque omnia sui iuris fecit. Maginfredus Mediolani relictus Lamberti factionem & vim non sustinuit, fideíq; Arnulpho servatæ non alium fructum, quàm mortem tulit: filio eius & genero oculi effossi. Ratoldus Cæsaris filius, ne tristiora pateretur, exemplis ad se pertinentibus admonitus, in tempore se subduxit, & per lacum Larium ad patrem reversus est; cui Ratisbonæ commoranti Leo Imperator Constantinopolitanus per Lazarum Episcopum legatum imperium gratulatus amplissima munera transmisit. Eodem tempore Pannonici limitis cura impensior Brazlauoni cõmendata, eiusdémq; fidei Moseburgum commissum, quam vetus auctor Paludarum vrbem appellavit; ita paci publicæ consultum, cui non

ITALIÆ DEFECTIO.
Annal. Fuld.
Herman.

RATOLDI CÆS. F. FVGA.

Annal. Fuld.

VNGARI CVM BVLGARIS COLLISI.

immeritò ab Vngaris iam tum timebatur. Cómmoverat iterum inquietam gentem cantatùm à Græcis claſſicum; qui vt res ſuas contra Bulgaros ſtabilirent, eos ſibi fœdere adiunxerant. id Bulgari in ſua capita ictum animadvertentes, excurſione in Græciam factâ, vſque ad Conſtantinopolitana mœnia omnia incendijs & rapinis miſcuere. Græci quòd tantam ipſi propulſare vim nequibant, ſubmiſſis navibus Vngaros in Bulgarorum fines tranſportant, & vicaria manu paria faciunt, æquatis vtrinque calamitatibus. Bulgari ardente patria domum retracti, dum dolorem ſuum vlciſci parant, bis ab Vngaris acie fuſi ad Michaelem communem parentem ætate ſanctitatéq; vitæ venerabilem, quem olim, poſt gentem omnem Chriſto ſubiectam, abdicato ſponte regno, Monachum induiſſe aliàs diximus, velut ad oraculum conſilij cauſa confugiunt. is inconſulti furoris, quo Græciam vexaſſent, eos has dediſſe pœnas præfatus, tridui inedia placandum cælum, & puro pióque bello quærendam victoriam docuit; quod cùm feciſſent obedienter, ter-

tertiò cum Vngaris congressi victoriam illis,sed non sine multo sanguine,extorserunt; certè viginti equitum millia desideraverunt; ex quo cladis illatæ æstimatio peti potest. Eodem anno & sequenti fame laboratum est, quæ & homines hominibus in cibum verteret,miserabili necessitate. Arnulphus vt pluribus argumentis moneretur se hominem esse, ædibus, quas cum comitatu insederat, procumbentibus,præsens vitæ discrimen adijt graviter ruina afflictus. Oettingæ,sub anni finem, Moravorum Legati ab eo pro amicitia postularunt, ne transfugis suis apud eum receptus esset: quibus auditis, conventúque Ratisbonæ acto, abstinere publico decrevit, valetudinis causa; qua sub mensem Maium nonnihil confirmata, Wormatiæ itemq; Triburiæ Comitia habuit, filiorum potissimum causâ; nam cùm Ludovico quietum tradere imperium cuperet, explorandas procerum voluntates censuit; quorum benevolis erga se studijs perspectis, novo eos sibi & filio sacramento illigavit. Maioris operæ res fuit, Zuentibaldum, quem Lotharingis

Hermann.
FAMES & CÆSARIS ARNVLPHI CASVS.

Annal. Fuld.
ANN. DCCCXCVII.

Annal. Fuld.
WORMAT: & TRIBVRIÆ ARNVLPHVS COMITIA CELEBRAT.

Regem dederat, cum optimatibus ab eo diſſidentibus conciliare. Erat illi, præter natalium maculam, immite ingenium & indomitum, iræ præcipites cædémq; implacabiles, quibus non obſcura tantùm capita perſtrinxit, ſed ipſorum adeò regnī procerum fortunas evertit: Stephani potiſſimùm, Ottocari, Gerhardi, & Matfridi Comitum illuſtris ruina fuit, quos iuſto exercitu adortus ex feliciſſimis miſerrimos reddidit: illorum patrocinium tanto magis ad ſe pertinere Arnulphus credidit, quòd eos ſpectatæ ſemper erga ſe fidei meminerat, neque ferendum putabat, vt, quæ ipſe præmia virtuti eorum conceſſiſſet, filius ſpolia ſuæ avaritiæ faceret. cùm ergo Wormatiæ cauſæ arbiter aſſediſſet, eam non antè depoſuit, quam à filio æqua omnia impetraſſet, Comitéſque in priſtinum gratiæ locum apud eum repoſuiſſet. Rebus ex ſententia in vtriſque Comitijs confectis, Fuldenſe Monaſterium religionis ergo petijt, indéque Salzam digreſſus Soraborum legatos audijt. paulò pòſt Ratisbonæ Bohæmorum ducibus ſenatus datus eſt, qui vniverſæ gen-

ZVENTIB: ARNVLPHI F. DIFFICILE INGENIVM.

Regino.

LEGATIONES AB ARNVLPHO AVDITÆ.

gentis nomine de Moravorum iniurijs conquestum venerant: eas non modò cordi sibi fore Arnulphus professus est, sed tempus omne, quod illius anni superfuit, paratas ad Danubium & Reginum fluvios copias habuit, quas, si opus esset, Bohæmis præsidio mitteret. Anno proximo, qui nonagesimus octavus fuit, intestino inter se Moravi bello collisi sunt. Moymirus & Zuentibaldus, qui parenti in eo regno successerant, quanquam hostium abunde erat, quibus vix coniunctis animis viribúsque pares esse possent, capitalibus inter se odijs dissidebant: impotentes quidam homines, quibus divitiæ bono honestóque cariores erant, gratiam adolescentum, quam virtutibus non poterant, malis artibus quærebant; quódque apud imperij consortes facillimum est, inter eos simultates & odia, nunquam deficientibus causis, serebant. Eius scelerati artificij principes Aribo Norici Comes cum filio Isanrico fuisse postea comperti sunt; quibus flammam invidiæ materiámque strenuè suggerentibus, tandem bellum exarsit. Moymirus suis viribus & favore

ANN. DCCCXCVIII. *Annal. Fuld. Hermann.*

FRATRVM MORAVIÆ PRINCIPVM DISSIDIA.

DISSIDIORVM AVCTORES.

popularium nitebatur; Zuentibaldus Arnulphi magis amicitiâ, quàm Moravis fretus, ad eius se gratiam applicuit, & contra fratrem capiti suo insidiantem auxiliares copias postulavit. Imperator supplici non defuit, eique Luitpaldum Marchionem, de cuius virtutibus sæpius erit dicendi locus, & illum ipsum discordiarum inter fratres satorem Aribonem, & ex BOIORVM proceribus fortissimum quemque cum expeditis copijs subsidio misit; quorum vires adversa factio non tulit. Interim palàm erumpentibus indicijs de Aribonis & filij malis artibus, pater gradu motus aliquamdiu privatus vixit. Erimbertus etiam dynasta BOIVS res novas moliri compertus, coram Arnulpho Rantersdorfij causam ex vinculis dixit. Locus hic Ranshovij nomine hodie notior, olim prætorio & sede principum celebris, hoc ipso anno Arnulphi liberalitate templum acceperat, quod Wichingi potissimùm suasu & precibus molitus Ellemperto Religiosissimo sacerdoti hac lege commiserat, vt, eo decedente, sub iura Octingensis Eccle-

LVITPALDVS MARCHIO ZVENTIB: SVPPETIAS FERT.

ARIBO COMES GRADV MOTVS.

Ecclesiæ concederet. Valebat Wichingus gratia apud Cæsarem; qua fretus hoc anno vrbis Batavensis iam olim ab Otilone & Thassilone Episcopio transcriptæ ius confirmari petijt & impetravit. Frisingæ summa ædes arsit vnà cum tabulario: vtriusque reparandi Waldo Episcopus curam suscepit, Regibus Arnulpho & postea Ludovico filio in partem iuvantibus. amborum liberalitatem literarum monumenta deprædicant; & Veringa pagus in oculis est, insignis Ludovici symbola & solatium iacturæ. Per hyemem BOII rursus Moravorum fines depopulati præda gloriáq; opulenti rediere. Non eadē quæ Arnulphi patris virtus & fama fuerat, etiam Zuentibaldi filij apud Lotharingos fuit; in eum scopulum incurrerat, quem evertendis principibus invidia obiecit. Reginarius pacis bellíq; artibus clarus, idémq; fidei incorruptæ, fortunam Zuentibaldi domi consilio, foris armis sustentabat. hunc talem virum vnicam regni tutelam malevolorum sermonibus circumventus, indictâ causâ, intra decimum quartum diem excedere fini-

Extat diploma apud Gevvold. in metrop. Saliburg.

ZVENTIBALDI ARNVLPHI F. INFELIX IMPERIVM.

REGINARIVM IMMERENTEM PROSCRIBIT.

finibus iussit. Ita vir optimus reipub. conservatæ pretium calamitatem exilij tulit, quod tamen proscribenti, quàm proscripto tristius fuit: nihil post eam diem Zuentibaldus ex sententia gessit. Reginarium Ottocarus secutus est, fortunæ, vti existimo, similitudine illi conciliatus; hi Durfos locum situ munitissimum, & Mosæ restagnantis effusæque in paludes obicibus clausum insederunt, & cùm naturam arte iuvissent, inaccessum reddiderunt. Ex ea munitione cùm eos Zuentibaldus extrahere laborasset, id lucri fecit, vt irritati iniquis odijs Comites Carolum Regem, qui Ottone defuncto toti iam Galliæ imperitabat, in illius regnum immitterent. Ita novum hostem & ex vicino æmulum nactus, cùm parati nihil haberet, indecora se fuga tutatus est, donec adventitijs copijs qualiscunque formam exercitus explevit; quem etsi Carolo properè obiecit, tamen à summo discrimine vterque legatorum intercurrentium operâ revocatus est. Sequente anno qui nonagesimus nonus fuit, Zuentibaldus cum Arnulphi patris & Caroli regis legatis apud S.Goa-

CAROLVS CONTRA ZVENTIBALDVM.

ANN. DCCCXCIX. ZVENTIB: INFELICITAS & IMPROBITAS.

S. Goaris fanum collocutus Durfensem munitionem eodem quo antea ſucceſſu aggreſſus eſt; Reginario enim & Ottocaro ſtrenuè ſe defendentibus fruſtrà fuit:armis invictos Epiſcopis devovendos obiecit; qui cùm fortes viros ſacro fulmine indignos pronunciaſſent,rex ad cōtumelias & probra verſus multo plurium à ſe animos abalienavit; maximè cùm Ratpotonis Treverenſis Archiepiſcopi fronti ſcipionem furoris impatientia victus illiſiſſet. Interea Ratisbonæ,cùm Arnulphum vndique ſua fata vrgerent, Vta coniux inviolatæ in eam diem famæ ſiniſtris delata rumoribus & proditæ coniugalis fidei apud maritum accuſata eſt. Atrox calumnia ad publicum procerum adducta tribunal ſua ipſamet vanitate corruit. Septuaginta duo optimates, qui in eam iudices ſederant,iuratis ſententijs innocentem pronunciarunt. Sub ipſum comitiorum tempus regis vita recenti familiarium perfidia appetita eſt.Gramanus quidam, adſcitis aliquot ſceleris ſocijs & adminiſtris, poculū veneno temperatum,ad exemplum Italicæ fraudis Arnulpho pro-

Hermann.

VTA ARNVLPHI CONIVX FALSO ACCVSATA.

ARNVLPHVS VENENO APPETITVS.

Ann. Fuld.

propinavit, quo omnibus membris vigor adimeretur; nervíque solverentur. & ille quidem pestem bibit, malefici tamen auctores conquisiti pœnas dederunt: In Gramanum Octingæ gladio animadversum: Rodburga, quę venena collegisse & miscuisse fatale poculum convicta fuerat, Epilingæ in furcam acta. tertio fuga quæsitǽque in Italia latebræ saluti fuere. Arnulphus quantumvis afflictis viribus, curam reipub. non deposuit.

RES MORAVICÆ.

Recruduerat apud Moravos fratrum factionibus concitatum bellum; in quo Zuentibaldus iterum inferior ægrè vnius oppidi munimentis vltimam perniciem amoliebatur. illic duræ obsidionis ærumnas toleranti Boii cum instructis copijs auxilio venere, fugatóque Moymiro & succensa vrbe, Zuentibaldum, cuius in patria salus esse tuta non poterat, in BOICAM abducunt.

ISANRICI COMITIS REBELLIO.

Rebus foris pacatis, domesticę trãquillitati Isanricus Comes invidebat, à quo Moravos regulos collisos diximus: is cùm arcem nefariæ perfidiæ Mutaram Norici vrbem elegisset, diu vicina omnia inde infesta habuit; verùm cùm illius crudelitas ferri am-

amplius non poſſet, hoſtis reipub. declaratus, bellóque appetitus eſt. Id Arnulphus, tametſi ægro corpore, per ſemet gerere ſtatuit, navigióque devectus, quia aliam iactationem non ferebat, Mutaram obſidione cinxit, eíque tanta conſtantia incubuit, vt Iſanrico nulla alia niſi in voluntaria deditione ſpes relinqueretur; eâ ergo quàm aptiſſimè, ad concitandam miſerationem, adornatâ, cum vxore & familia vrbe egreſſus Cæſaris ſe poteſtati permiſit: is cuſtodia ſeptum deportari Ratisbonam iuſſit; ſed cùm negligentiùs aſſervaretur, fruſtratus cuſtodes fugam ad Moravos intendit. eadem tempeſtate Engelmaro Batavenſi Epiſcopo vita functo, ſuffragatione Arnulphi, Wichingus, cuius ſuperiùs facta mẽtio eſt, ſucceſſit. Hic Suevus domo, ad formandũ Chriſtianis moribus rudem populũ, quem Moravi nuper bello domuerant, à Romano Pontif. cum Epiſcopi dignitate miſſus, veriſimili cõiecturâ Aventini, rebus in eo regno morte ſenioris Zuentibaldi turbatis, inde profugiens apud Arnulphũ hæſit, oblatámq; novam mitram avidè arripuit: ſed

ISANRICI DEDITIO.

FVGA.

DE WICHINGI EPISCOPATV CONTROVERSIÆ.

sed Cæsaris voluntatem, quòd sacris legibus adversaretur, Theodomarus Archiepiscopus Salisburgensis ratam non habuit, & Wichingo abdicare coacto, Richarium suffecit. Neque Cæsar posthac diu superfuit, sub anni finem, Decembri mense, articulari morbo, vel quod alij tradiderunt, pediculari extinctus: cùm non multo ante (vt constans fama fert) D. Dionysij Areopagitæ ossa D. Emmerammi Monasterio transmisisset. Eo thesauro Arnulphus dono Ottonis regis, an cuiusdam familiarium suorum dolo furtóque potitus sit, dubium posterioris ævi scriptores fecere: nam illorum temporum æquales de re vniversa silent, quo similius vero existimamus, clanculum è Gallia exportatum. certè antiquissimæ membranæ eiusdem Monasterij furtum fatentur, eiúsque seriem hanc concinnant. Arnulphus eiusmodi opum iam olim avidus, lectis D. Dionysij rebus gestis, ingenti eius potiundi desiderio exarsit: verùm cùm Gallis volentib. omnino id cõsecuturum se desperaret, qui vitam sibi potiùs, quàm inter Tutelares Divos antiquis-

ARNVLPHI OBITVS.

D. DIONYSII OSSA S. EMMERAMMI MONAST. ILLATA.

tiquiſſimum ſummáque ſemper religione cultum, eripi paſſuri erant, hanc in illos fallaciam intendit: Giſalbertum intimum ex familiaribus prompti ingenij virum fideíque expertæ, per ſimulationem offenſæ, ab ſeſe ſegregat. is rectà Pariſios profectus in D. Dionyſij Monaſterio velut aſylo ſe condidit; neque difficulter, opum certè gratia, quibus oculos Ebulonis Abbatis præſtrinxerat, hoſpitium impetravit & fidem: nam cùm præter quotidianos ſumptus, quos faciebat largiter, magnum auri pondus Dionyſio votivum eiúſque ſaerario inferendum oſtentaret, & Pallium inſuper Græci operis auro gemmíſque grave digniſſimum Martyris oſſibus involucrum explicaret, vltro tumuli propiùs inſpiciundi adorandique facta copia eſt. Giſalbertus cùm locum ſibi notaſſet, in noctem, quam furto deſtinarat, epulum magnificentiſſimum apparat; cuius hilaritate cùm omnes obruiſſet, inobſervatus ipſe templo ſuccedit, ſpolióque optato potitus tempeſtivè in Arnulphi caſtra faceſſit: quò cùm paulò pòſt etiam Ebulo Abbas de vi & tam inſigni iniuria expoſtula-

GISALBERTI QVI D. DIONYSII OSSA BOICÆ INTVLIT CALLIDITAS.

ſtulaturus acceſſiſſet, pactúſque Evangeliorum librum, quem Caroli Calvi iuſſu ſumptúque exaratum auro domo attulerat, Martyris corpus repeteret, fruſtra fuit; nam præter dextræ manus os perpuſillum nihil recepit, quod tamen ipſum eo, quem dixim⁹, libro redimendum fuit. Arnulphus deinceps quàm diu in humanis fuit, ſacrum pignus penes ſe habuit, eáque velut præſenti tutela obfirmatus imperterritum periculis caput obiecit. Moriturus, quemadmodum dixi, D. Emmerammi Monaſterio, quod præ reliquis colendũ ornandúmq; ſibi ſumpſerat, intulit; Tuto orbis Epiſcopus, ne ijſdem olim inſidijs pateret, intra templi parietes abdidit, & laterculis coctilibus epigramma inſcripſit, latentis theſauri monumentum & olim indicio futurum. quod quando factum ſit, ſuo loco demonſtrabitur. Longum eſſet argumenta omnia Arnulphi pietatem teſtantia colligere; liberalitatis notas inſignes pleriſque Germaniæ Epiſcopatibus impreſſit: ſed luculentiora veſtigia apud D. Emmerammum ſuperſunt, vbi hodiéque ara caſtrenſis, quæ domo pro-

EP. TVTO SACRA LIPSANA ABDIT.

ARNVLPHI PIETAS.

profectum sequebatur, ostenditur: aulæa etiam rari operis & adhuc post tot sæcula visenda, quorum vnum Arnolphus Comes triginta cubitos longum iam olim admiratus est. Ratisbonam vrbem incendio deformatam Martyris potissimùm honori restituit, eíque operi immortuus est. *Arnolph. l. 1. de S. Emmeram. c. 5.*

LVDOVICVS ARNVLPHI. F. REX BOIARIÆ.

VI. A. DCCCC. *Regino. Ann. Fuld. Herman.*

Iustis de more persolutis Germaniæ proceres ipso anno sæculari nongentesimo Forchemij comitia celebrant, regémque Arnulphi F. Ludovicum septennem etiamnum salutant; admoti eiusdem pueritiæ summi viri: tutela Hattoni Moguntino, & Ottoni Saxoniæ Duci commissa. Theodomarus Salisburg. Archiepiscopus epistolas regio nomine scripsit: Luitpaldus Orientali BOICÆ limiti præfectus summum rei militaris imperium accepit: Waldo Frisingensis Antistes regiæ indoli excolendæ magister est datus; quæ quanto probior in Ludovico eluxit, tanto Zuentibaldi fratris, quem Lotharingis pater *ZVENTIBALDVS MALI PRINCIP. EXEMPLAR.*

præfecerat, ingenium impotentiùs à paternis moribus & exemplis degeneravit, vt leviſſima omnium in eo eſſet macula ſanguinis, quam ab impari matre traxerat; tyranno per omnia quàm regi ſimilior vires & potentiam non moderato imperio, ſed in civili ſanguine per latrocinia exercebat; accedebat omnium hominum contemptus, ſuperbæ aures, contumelioſa dicta factáque: ne quid vnquam viro forti dignum audiret, cum fœminis plerunque, aut in quibus virile nihil præter ſexum fuit, de republica conſultabat, ijs ſubmotis, quorum neq; virtutes neq; conſilia pati poterat, quibus melior eſſe cogeretur quàm vellet. inter has improborum corruptelas, obſequia bonorum perdidit, paſſim Ludovicum reſpicientium, quem illis fratrem deſiderabilem vitijs ſuis effecerat. Ei igitur honeſtiſſima legatione in regnum invitato, in Theodonis villa obvij, ſeſe laborantémque rempub. ſupplices tradidere. Zuentibaldus præſente fratre movere nihil auſus, illo Rhenum tranſgreſſo, cum latronum ſuorum exercitu multo quàm ante furioſiùs eſt debacchatus

LOTHARINGI AB EO DESCISCVNT.

chatus; nam & ira recens in defectores illum stimulabat, aversósque à se animos, mitiorum artium rudis, retracturum se crudelitate sperabat, quasi ea conciliatrix benevolentiæ esse posset. sed nimirum id consilium properantis ad exitium fuit. revocatus enim ex itinere Ludovicus est; neque segniùs domestica præsidia conquisita, armatique velut adversus communem hostem populares; præfecti summæ rei Stephanus, Gerhardus, Matfridus Comites, qui veteres in regem offensas nondum concoxerant; his ducibus commissum ad Mosam prælium, Id. Aug. in quo Zuentibaldus ipse cecidit. Nihilo quietiores per ea tempora res in BOICA fuere. Moravis enim suopte ingenio, & haud dubiè Isanrico, quem ad eosdem transfugisse diximus, cõcitatore, tumultuantibus, BOII ducto per Bohæmos exercitu, ijsdémque in societatem belli adscitis, exterritũ apparatûs fama hostem obvium nusquam habuere; igitur paulò minus mense populando agro vrendísq; tectis insumptum. sed eius prædæ dulcedinem domestica calamitas extinxit,

ZVENTIBALDVS OCCIDITVR.

Annal. Fuld.
Herm. Contr.

MORAVIA VEXATA.

quæ hoc tempore infuſa BOIARIÆ multos deinceps annos funeſtavit: Vngari vicinarum gentium exitio clari, creſcente cùm victorijs cupiditate & audacia, orbis terrarum imperium aut certè prædam & latrocinium animis deſtinabant. Primos furores Italia excepit, iam olim barbarorum iniurijs obnoxia; ex qua cùm non modò crudelitate ſed avaritiâ etiam ſatiatâ exercitum deportarent, legatos in BOICAM miſerunt, qui pacem & fœdera in ſpeciem iactarent poſceréntque, revera autem, inſpectâ per otium ſimulationémque amicitiæ provinciæ naturâ, exploratorum munere fungerentur; quibus ducibus nō multò pôſt Vngarorum gens infuſa BOIARIÆ, & vltra Anaſſum progreſſa quinquaginta paſſuum millia die vnico turbinis more pervaſit, nullo barbaræ immanitatis exemplo prætermiſſo. BOII, vt in re improviſa, celeriter expeditis armis, in humani diviníque iuris violatores movent; ſed ij prædæ quàm gloriæ multò avidiores, prælij aleam vitabundi, vltra Danubium ſe proripuerant, eo conſilio, vt ſpolia in tuto collocarent; neque

VNGARORVM IN ITALIAM IRRVPTIO. *Hermann. Annal. Fuld. Regino.*

VNGARI BOICAM PERVADVNT.

neque tamen interim à maleficijs & iniuria abstinebant, quòd impune ausuros se omnia crederent latissimo flumine ab hoste disclusos. Luitpaldus interesse nominis sui gloriæque BOIORVM credidit, eam licentiam compescere, communicatóque cum Richario Batavensi Episcopo & nonnullis BOIORVM proceribus consilio, cum expedita manu Danubium traijcit, atque vt primùm hostes est assecutus, neque suorum paucitate, neq; hostium multitudine deterreri potuit, quò minus manum consereret: pugnatum est feliciter; mille ducenti barbarorum vel cæsi, vel flumine hausti sunt, BOIORVM vix vnus desideratus est. Atq; hæc bellorum, quæ plurima deinceps cum Vngaris gesta sunt, præludia fuere: neque enim Luitprandum moramur, qui nescio quam famam secutus primum BOIORVM cum Vngaris prælium in vastissimis Lycatium campis ad Augustam Vindelicorum peractum scripsit, ídque aliquot ante Vngarorum in Italiam irruptionem annis: qua in re cùm adversarios tot scriptores habeat, apud cordatos sanè fidem non meretur,

LVITPALDI MARCHIONIS FELIX PVGNA. CVM VNGARIS.

LVITPRANDVS & AVENTINVS REIECTI. *l.2.hist.*

auctor etiam aliàs sæpe vanitatis & oscitantiæ in assignanda maximè temporum certa ratione manifestus. Ridendus nihilominus Aventinus, qui cùm hanc ipsam Luitprandi pugnam multo quàm ille inflatiùs recensuisset, ab Augusta Ratiæ vsque ad Anassum fluvium eam submovit, deceptum vocis similitudine Italum scriptorem clamitans: nam cùm Anassiburgi dimicatum fuerit, quę vrbs Ansburg contractiùs vulgò diceretur, sub hæc ipsa tempora contra barbarorum impetus extructa, Luitprandum Augustam substituisse, quam Auspurg nominari audierat, vnáque inversa literula in errorem inobservabilem esse inductum: quo quidem dici nihil ineptius potest; vt enim de Anassiburgo Aventino litem non moveam, nihil omnino eorum, quæ à Luitprando dicuntur, moveri loco potest & Augustæ abiudicari.

Hodie Ennß.

Eadem tempestate, ne quid vsquam pacati esset, de iure pontificum Bataviensium apud Romanum tribunal acriter certatum est. Moravorum omnis natio in eam vsque diem ab ijs sacra sacerdotésque petere, eorum auctoritatem vene-

Ex literis publicis in Metrop. Salisburg. Gevvoldi f. 44.

nera-

nerari, & imperium agnoſcere ſolitã, poſt Arnulphi mortem ab obſequio palàm deſcivit; à Moymaro ſine dubio principe inſtincta impulſáque, qui nẽ qua in re BOIIS obnoxius viveret, ſacra eorum prophanáque omnia eodem impetu repudianda cenſuit, & proprios à Ioanne pontifice Epiſcopos flagitavit: quem vt in ſententiam ſuam perduceret, iniquiſſimis criminationibus in vtrumque BOICÆ gentis ordinem eius aures opplevit. accuſationis capita hæc ferè erant: turbulenta eſſe BOIORVM ingenia, feroces ſpiritus & concordiæ inimicos; non à ſe modo, ſed à Francis inſuper & Alemannis capitalibus odijs diſſidere: fœdus in perniciem orbis Chriſtiani cum Vngaris contraxiſſe, eorundẽ impietati favere, & per Canem & Lupum illorum numina deierare; ſtipendio numerato eorundem operam ad divexandam Italiam emiſſe. Quibus calumnijs cùm pronæ paterent aures, atque, vt vulgò deinde iactatum eſt, pontificij familiares largitione famoſa & impudenti corrupti eſſent, non modò, vt Archiepiſcopus & Epiſcopi duo in Moraviã mit-

MORAVI BOIOS APVD PONT. CRIMINANTVR.

mitterentur, impetravit; sed minimo minus abfuit, quin BOIORVM gens omnis devota diris cœtu piorum moveretur. quæ cùm nostrates Episcopi partim ex Romanis literis, partim ex Moravorum sermonibus victorias suas & novam immunitatem immodicè iactantium intellexissent, literis publicis communi consensu accuratissimè scriptis, suæ totiúsq; gentis innocentiæ sunt patrocinati; ij fuere Theodomarus Archiepiscopus Salisburgensis, Waldo Frisingensis, Erchenpaldus Eystetensis, Zacharias Sabionensis, Tuto Ratisbonensis, Richarius Batavensis Episcopi: eorundem causam Hatto Moguntinus Archiepiscopus separatis literis fortiter egit, non sine egregia vtriusque ordinis commendatione: nam Episcopos quidē *veraces Dei cultores*, *& bonos pastores* appellat, *qui pervigili custodia gregem sibi commissum custodiunt*, *ne lupi rabies aliquam sancti gregis oviculam rapiat in prædam suam. stant pro muro domus Israel* (omnia eius verba sunt) *ne aliqua*

HATTO CAVSAM BOIORVM APVD PONT. AGIT.

liqua vis inimica firmamentum Ecclesiæ dissolvat. tandémque epistolam hoc planè candido calculo obsignat, quem mihi religioni sit alia nitela expolire: *Iterum iterúmque,* inquit, *vestræ dignitatis auribus explicamus, quòd tam Episcopi quàm Laici* BOIARIENSES *in religione Christianitatis nulla gente inferiores esse probantur; neque vnquam Franci absque illorum auxilio, aut in Ecclesiasticis rebus, vel in bellicis negotijs nominatum vel fama dignum aliquid peregerunt.* Porrò provincialium Episcoporum oratio apologetica criminationem vniversam vnâ litura expunxit, delatorúmque vaniloquentiā demonstravit in cōfingēdo impio fœdere &autoramento militari, quo Vngarorum auxilia conducta ferebantur; nam præter linteæ vestis aliquantulum, quod tenue spolium barbaræ crudelitati mitigandæ obiectum sit, nullam suam in Vngaros largitionem extare: tantúmq; abesse, vt ipsi barbaris Italiam

LAVS BOICÆ GENTIS.

depopulandam obiecerint, vt, nisi per Moravos stetisset, qui oblata fœdera & obliterandarum veterum offensarum mentionem superbissimè repudiarint, primi ipsi fuerint libertatem Italiæ, detractis infestissimis incubatorib⁹, reddituri: verùm suos conatus illorum iniquitate & maleficijs esse impeditos. quis controversiæ exitus fuerit, non reperio; illud ex Hermanno constat, anno nongentesimo primo, Moravos, sublatis odiorum causis, in Ludovici regis fidem redijsse, & Moymarum gentis principem spretam olim contumaciter autoritatem vltro agnovisse, cúmque eo totius rebellionis conciliatorem Isanricum Comitem in gratiam receptum esse: vt conijcere promptum sit, Pontifice arbitro æquis conditionibus pacem redintegratam esse. Iuvat coniecturam, quòd eodem anno Vngaros tam à Carantanis, qui BOIORVM imperio regebantur, quàm à Moravis cæsos profligatósque idem auctor annotavit. Eadem tempestate Beringerus, Reginolfus & Gerhardus nobilissimi Tanguinis germani fratres, Attonis Comitis & Adelindæ Filij ab

ANN. DCCCCI. MORAVI REGI LVDOVICO CONCILIÁTI. *Herman.*

VNGARI BIS CÆSI.

ab hostibus suis circumventi cæsíque sunt. Extruxerat Adelinda in Suevia Buchovianũ parthenonem, eúmq; DD. Cornelio & Cypriano sacraverat, filiâ cognomine eodem abditâ. Consilium altissimæ pietatis cælóque probatum disturbare fratres aggressi, nobilem sponsam, quæ cum Deo iam in manus convenerat, humanis implicare nuptijs gestiebant. improbus conatus ijs magno stetit, Deo iniurias suas è vestigio vlciscente. A monasterio cum præda aliquantisper digressi in capitales hostes suos incidunt, coortáque repentè pugna viribus & numero inferiores obtruncantur. virgo incolumis Monasterio reddita eidem à matre præficitur. Rem nos simpliciter Hermanni fide retulimus, quæ si non vacillat, viderit Bruschius eiúsque asseclæ, quomodo Adelindæ stemma tueantur, quam Regarda BOICI sanguinis principe in arce Andecensi natam, & Hiltegardis, quæ Carolo Magno nupsit, germanam sororem affirmant, quã seculo integro & viginti amplius ante hæc tempora annis aliquot liberorum matrem fatis concessisse certum

ADELINDA BVCHOVIANVM COE NOB. FVNDAT.

Brusch. in mon. Buchoviano.

tum

tum eſt. Ego Ludovici Pij literis, quas ſibi in Büchoviano cœnobio viſas Bruſchius dixit, nonnihil moveor, vt à ferenda in re non liquidâ ſententia abſtineam: alioqui Hermannus cauſæ nihil habuit, cur antiquitatem loco illi detraheret; niſi fortè Adelindæ non cōditi ſed aucti amplificatíq; cœnobij gloriam concedere volumus, quę ſæpe maior eſt, quàm eorum, quibus primæ origines debentur. Reliquam Bruſchij narrationem ex anilibus conſarcinatam ſomnijs neque huc tranſcribere, neque refellere animus eſt, ne cuiquam tam charas fabulas, quibus etiam ſacrorum domiciliorū cunabula auguſtiora reddere maiores noſtri conati ſunt, invidiſſe videamur. Inter incerta etiam illud pono, quia vetuſtatis teſtimonio deſtituitur, quod Bohæmorum annales de Stoymiro inter Boios exule, ad imperium illius gentis, ſub hæc tempora, vocato tradūt. Frater hic Sucoslai germanus Bilinę quondam tyranni fuiſſe, & fraterni ſceleris nominíſque invidiâ pulſus patriâ ad annum decimum tertium eadem caruiſſe dicitur. Exacto tandem Borivorio,

De Stoymiro Boiohæmi Principe. *Dubrau. hiſt. Bohem. l. 4.*

rio, ob avitas superstitiones Christianâ pietate mutatas, cùm de subrogando rege ageretur, mentionem Stoymiri iniectam, neque alium quemquam eo fastigio visum digniorem. Missos ergo qui exulem ægrè post longam indaginem repertum reducerent, quòd omnia argumenta, vnde agnosci posset, ætas confuderat; cùm præsertim abdicato veteri nomine novum Stilfridi assumpsisset, obliteratâ penitus sermonis patrij, ex longa desuetudine, peritiâ; atque ea potissimùm re popularium animos brevi ab illo alienatos, conquerentium, mutum sibi & surdum principem obtigisse; neque multo pòst deiectum de solio, eodémque, vnde venerat, extrusum, in tristiore, post brevem regni gustum, exilio consenuisse. Sequens annus, qui nongentesimus secundus fuit, formidabili hoste Boios liberavit. Chussol enim Vngarorum Rex, qui diram gentem in perniciem orbis terrarum armaverat, ab ijs cum insigni comitatu cæsus est; neque amplius de re tota, in magna literarum inopia, compertum. Hepidannus perplexa oratione occasionem rei bene gestæ

ANN. DCCCCII.
CHVSSOL REX VNGAR. à Boiis CÆSVS.
Hepidannus in annal. Tom. I. Aleman. rerum.

gestæ involuit potius quàm aperit; hæc enim illius verba sunt: *Agareni* (hoc ille nomine perperam Vngaros appellat) *à* BOIARIIS *ad prandium vocati, vbi rex eorum Chussol occisus est, & alij quamplurimi cum eo.* quæ si vitiata non sunt librariorum inscitiâ, qui veterum in scribendo compendia sæpe non assequuntur, viam sanè suspicioni aperiunt, Vngaros suis ipsorum artibus hoc anno à BOIIS petitos esse: cùm enim illi paulò antè ementita legatione BOICAM exploraßent, & contempta fœderum religione imparatos nihílque hostile, vt ab amicis, metuentes oppreßißent, fœdísq; cladibus attriviſſent, verisimile fit, viciſſim ipsis comparatas insidias amicitiæ fuco palliatas, & dolum dolo repensum fuisse. Vngari vnius regis iacturam duobus suffectis Dursaco & Bugato solati, BOIIS perniciem minantes aliquot annos in vindictæ apparatu absumpserunt; quo acrior Ludovico cura iniecta est reipub. contra immanes hostes tutandæ; in quam vnam rem dum adnitentibus tutoribus vires suas omnes confert, nul-

fort. ad prælium dum.

VNGARI DVOS REGES ELIGVNT.

Luitp. l. 2. c. 16.

LVDOVICVS PATRIAM CONTRA VNGAR. IRRVPTIONES MVNIT.

nullum illi otium relictum est de Italiæ regno & imperij corona capessenda cogitandi, quam vtique ipse Carolinæ stirpis nobilissima, atque, vt multi volunt, vnica propago sperare & petere iure quo qui optimo potuit: & Italiæ quidem per hæc tempora status longè miserrimus fuit; quæ cùm novos quotidie pareret Augustulos, viderétque tot coronata capita, eorundem ambitioni, nullo suo commodo, quantum sanguinis impendit! nam post Arnulphi in BOIARIAM reditum, Lamberto Vidonis filio etiamnum superstite, sive, quod alijs visum, extincto, Ludovicus Bosonis filius, ne Berengarius sine æmulo esset, semel iterúmque attractus in Italiam, novis omnia tumultibus miscuit: cùm primi conatus irriti fuissent, expeditione altera Fortunam tam obsequentem habuit, vt Berengario neque vltimum Italiæ angulum, in quo tutò delitesceret, reliquerit; cui omnia circumspicienti, BOIARIA potissimùm, sive in exilium, sive in latibulum placuit; quam quidem supra spem, aut certè præter meritum, fidam hospitalémque expertus est: neque enim Ludo-

ITALIÆ STATVS.

BERENGARIVS IN BOICAM FVGIT.

Ludovico nostro causæ deerant, cur exulem hunc aut clientem non modò aspernaretur, sed graviora etiam in illum decerneret, si multiplicis perfidiæ, in Arnulphum patrem, meritas exigere pœnas voluisset. sed vt erat miti ingenio placidóque, noluit ævum suum tristibus exemplis infamare. Berengarius ex illa sua specula omnia momenta observans temporíque imminens, anno nongentesimo quarto facultatem ex insperato nactus est sibi rebúsque perditis consulendi; cùm enim Ludovicus Bosonis debellatum crederet, & Adelhardo Veronensium Episcopo suasore, militem dimitteret, Berengarius à clientibus suis repente è BOICA revocatus, Veronáque receptus æmulum incautum oppressit, eíque oculos eruit. Nominis similitudo scriptoribus quibusdam recentioribus fœdi erroris causam præbuit, vt, quæ de Ludovico Bosonis filio legerant, in Ludovicum nostrum imperitè transferrent. neque Germania interim, externis bellis quiescentibus, ab intestinis vacabat, quorum fax & concitator Adelbertus fuit, qui cùm Babenbergensem arcem

ANN. DCCCCIV. BERENGARIUS IN ITALIAM REDIT. *Regino. Marian. Scot.*

ADELBERTUS PACEM GEMANIÆ TURBAT. *Regino. Luitpr. l. 2. c. 3.*



arcem loci natura operéque munitissimam insedisset, inde prædis agendis incursionibúsq; faciendis gravis vicinis & intolerabilis evasit. Accedebat superbia ingenitum nobilitati malum, quâ cùm omnes præ se contemneret, tot hostes sibi fecit, quot amicos fastidiverat. Ita cum Rudolpho Würzburgensi Antistite collisus est, qui cùm etiam ipse genus & proavos iactaret insolentiùs, neque magis priorem pati, quàm Adelbertus parem posset, orta ex inanissima re æmulatione, cruentum & diuturnum bellum exarsit, vix tandem ipsorum factionis principum sanguine restinctum. Nam Adelbertus vno conflictu fratres duos amisit, ex quibus Henricus in pugna occubuit, Adalhardus cùm vivus in potestatem hostium venisset, securi caput subijcere coactus est: Neque Rudolpho victoria multo lætior accidit; Eberhardum enim fratrem multis vulneribus confossum cùm ex cadaverum strue exsanguem semianimémque eruisset, eundem paulo pòst extinctum flevit; ipse sequenti anno ab Adelberto Episcopatu pulsus, præter exilij mala, superba victo- Regin. A 903.

ris arbitria, omnia pro libidine agentis ferentísque pati coactus est. Interea cùm Adelberti opes quotidie ex alienis damnis crescentes, volitātia impune quoquoversum arma Conradus Hassiæ Comes Conradi, qui postea imperavit, pater animadverteret, suspicaretúrque eorum saltem metum ad se pertinere, quē iniuriæ ipsa vicinitas obijceret, bellum facere quàm expectare maluit; comparatóque exercitu, partem illius Gerardo fratri in Veteraviam submisit, alteram ipse duxit: Adelbertus quò pluribus discerptas locis hostiles copias videbat, eo metuebat minus, coniunctis fortasse impar, distractas extenuatásq; audētiùs aggressurus. Cùm igitur extemplo suos armasset, itérq; sic instituisset, vt Veteraviam primo impetu petiturus videretur, repentè totum agmen in Conradum cōvertit, tantáque in illum est vi invectus, vt sustineri nō posset. Tres turmas Conradus fecerat, quarum duæ vix viso hoste fugerunt, frustra libertatem, patriam, aras, focos, coniuges liberósque inclamante Duce, magna charáque nomina & additura vtique animos, nisi omnem hone-

Regin. A. 905. ADELBERTI CVM CONRADO HASSO BELLVM.

honesti sensum timor extinxisset. pauculi, quos pudor & circumfusus vndiq; hostis, aut aliquis domini amor retinuerant, amissa rei bene gerendæ facultate, quod vnicum supererat, Ducem ad honestam mortem secuti cum eodem fortiter pugnantes occubuere. Adelbertus victoria potitus fuga elapsos insecutus ingentem ex illis numerum concidit, vastatáque triduo omni provincia gravem spolijs militem Babenbergam reduxit. Nobilissimi Comitis cædes, qui stirpẽ Carolinam sanguine contingeret, ipsiúsque adeò Ludovici regis frater à quibusdam crederetur, eiusdem Ludovici patientiam rupit, vt pacis publicæ turbatorem ad causam dicendam in Triburiensibus Comitijs, evocaret, & parére recusantem, reipub. hostem declararet. sed cùm neque tam tristis sententiæ publicatione moveretur, decreto in eum bello, contumacem obsidione cinxit; quæ cùm opinione longiùs traheretur, quòd castrum egregiè munitum Adelbertus insederat, Ludovicus tædio victus, quem vi non potuit, dolo aggressus est, cuius architectus Hatto Mo-

Otto Fris. l. 6. c. 15.

ADELBERTVS à LVD. REGE REIP. HOSTIS DECLARATVR.

Regino.

ADELBERTVS HATTONIS FRAVDE CIRCVMVENTVS.

Luitpr. l. 2. c. 3. VVitichind. l. 1. Mar. Scot. Sigebert. Ekkenhardus Iunior c. 1.

Moguntinus præſul fuit, quo cùm in rebus omnibus plurimùm Ludovicus vteretur, ab æmulis vulgò regis corculum dictus eſt: Luitpaldi etiam in concinnando dolo aliquas partes fuiſſe ex Hermanno intelligitur; primæ tamen ab omnibus Hattoni dantur; is Adelbertum iam ipſum etiam longæ obſidionis ærumnis edomitum, quaſi pacis conciliandæ arbiter aggreſſus, multis, vt regi ſe permitteret clementiámque tentaret, hortabatur: rebus ſuis regíſque fidei diffidenti ſplendida pollicitatione animos addit, commeatum vltro offerens ducémque ſe profeſſus, iureiurando interpoſito, ſalvum & incolumem eum in caſtrum ſe reducturum. Invitatus deinde ad hoſpitales epulas, eas velut intempeſtivas aſpernatus in viam ſe cum Adelberto impranſus dedit. Cùm aliquovſque proceſſiſſet, ſimulatâ inediæ impatientiâ, facilè à ſe impetrari paſſus eſt, vt cum Adelberto ex itinere ad menſam reverteretur. Tum demum ad Ludovicum profectus, Adelbertum geſtienti ſiſtit: circumfuſa repentè vt hoſti publico cuſtodia, comitia de illius capite habita,

bita, dictæ ſententiæ atroces vt in capitalia auſum meritúmque: abreptúſque confeſtim eſt ad ſupplicium more maiorum de illo ſumendum. Adelbertus quiritari, ducem ſuum circumſpicere, ius gentium, fidem publicam necquidquã inclamare; Hatto contra negare, vlla ſe religione ſponſionéve teneri; cùm ſalvum illum in arcem reduxiſſet, liberatam eſſe fidem ſuam: tum demum ſerò circumventum ſe ſentiens Adelbertus, deteſtatus perfidiam præſulis, & Diris inviſum devovens caput, cervicem carnifici præbuit. Hattonis factum Punico per omnia quàm Germano ſimilius immortalis infamia ſecuta eſt; auſum eſſe Epiſcopum hæc religionum ludibria in capitali cauſa proferre in lucem, & vix pueris dignas ambages fallendæ fidei exquirere, quas Roma neque in milite ferendas putavit, qui ab Annibale dimiſſus in patriam, vt cum patribus de redimendis captivis ageret, hac ipſa fraude iusiurandum, quo reditum pactus fuerat, eludere moliebatur, dũ per cauſam recognoſcendi nomina captivorum ex itinere in caſtra regreſſus, videri voluit

 reli-

Cicero ex Polyb.

religione solutus; quem proinde vt veteratorem miniméque Romani ingenij comprehendendum, & custodibus publicè datis deducendum ad Annibalem senatus censuit. Apud Reginonem tamen, ne quid dissimulem, de Hattonis vaframento verbum nullum est; is enim Adelbertum obsidionis malis obsaturatum vltro supplicis habitu Ludovico se permisisse scripsit: quòd ea simulatione modestiæ illi se fucum facturum confideret, eademque opera veterum maleficiorum impunitatem, & novorum licentiam impetraturum; sed nimirum improba spe excidisse, & factorum iuxta consiliorúmque pœnas capite exoluisse V. Id. Sept: Rebus in orientali Francia compositis Ludovicus Mediomatrices adijt, vbi Gerhardi & Matfridi Comitum intemperijs remp. turbatam compererat. Mala causa iudicio publico damnata; ipsi proscripti: Cùm deinde populum Argentoratensem à Baltramo Episcopo suo diffidentem eidem conciliasset, recta in Alemanniam, atq; inde, quod Aventinus solus scripsit, in BOICAM abijt: ibi de portorijs nimis acerbè

exigi

exigi ſolitis cùm querelæ plures ad eum deferrentur, promiſſi datíq; iudices, qui de re tota cognoſcerent, portoriiſque modum, quem Ludovicus & Carolomannus reges latis legibus ſtatuiſſent, definirent.

Hucuſq; Reginonis Chronicon protenditur.

VII.

Anno ſequenti, qui ſupra nongenteſimum ſeptimus fuit, cum Vngaris malè pugnatum eſt; clades à BOIIS ingens accepta. auxit eius acerbitatem Luitpaldi interitus nobiliſſimi Ducis, cuius viribus conſiliíſque cùm res BOICA ſub duobus regibus Arnulpho & Ludovico innixa fuiſſet, inconcuſſa ſemper ſtetit; ſubducto eo, non labare tantùm, ſed ruere viſa eſt. Moravos primùm tumultuantes aliquot ſecundis prælijs ita fregit, vt ad deditionem faciẽdam compulſi, pacis conditiones, quas victor dediſſet, acceperint. Vngaros immanem gentem, quæque, cùm inſuperabilis crederetur, bella propè famâ conficiebat, primus vinci poſſe docuit, quando captivæ Italiæ ſpolia domum referentes aggreſſus inſigni clade affecit, vnico tantùm ex ſuis deſiderato. Illius etiam ſine dubio facinus eſt, regis Vngarorum

ANN. DCCCCVII. VNGARI BOIOS PRÆLIO SVPERANT.

Reginonis Continuator. Herman. Hepidan. Lambert. Schaffna. Marian.

LVITPALDI MORS BOICÆ CALAMITOSISSIMA.

Cicero ex Polyb.

religione solutus; quem proinde vt veteratorem miniméque Romani ingenij comprehendendum, & custodibus publicè datis deducendum ad Annibalem senatus censuit. Apud Reginonem tamen, ne quid dissimulem, de Hattonis vaframento verbum nullum est; is enim Adelbertum obsidionis malis obsaturatum vltro supplicis habitu Ludovico se permisisse scripsit: quòd ea simulatione modestiæ illi se fucum facturum confideret, eademque opera veterum maleficiorum impunitatem, & novorum licentiam impetraturum; sed nimirum improba spe excidisse, & factorum iuxta consiliorúmque pœnas capite exoluisse V. Id. Sept: Rebus in orientali Francia compositis Ludovicus Mediomatrices adijt, vbi Gerhardi & Matfridi Comitum intemperijs remp. turbatam compererat. Mala causa iudicio publico damnata; ipsi proscripti: Cùm deinde populum Argentoratensem à Baltramo Episcopo suo diffidentem eidem conciliasset, recta in Alemanniam, atq; inde, quod Aventinus solus scripsit, in BOICAM abijt: ibi de portorijs nimis acerbè

exigi

exigi solitis cùm querelæ plures ad eum deferrentur, promissi datíq; iudices, qui de re tota cognoscerent, portoriísque modum, quem Ludovicus & Carolomannus reges latis legibus statuissent, definirent.

Hucusq; Reginonis Chronicon protenditur.

VII.

ANN. DCCCCVII. VNGARI BOIOS PRÆLIO SVPERANT.

Anno sequenti, qui supra nongentesimum septimus fuit, cum Vngaris malè pugnatum est; clades à BOIIS ingens accepta. auxit eius acerbitatem Luitpaldi interitus nobilissimi Ducis, cuius viribus consiliísque cùm res BOICA sub duobus regibus Arnulpho & Ludovico innixa fuisset, inconcussa semper stetit; subducto eo, non labare tantùm, sed ruere visa est. Moravos primùm tumultuantes aliquot secundis prælijs ita fregit, vt ad deditionem faciẽdam compulsi, pacis conditiones, quas victor dedisset, acceperint. Vngaros immanem gentem, quæque, cùm insuperabilis crederetur, bella propè famâ conficiebat, primus vinci posse docuit, quando captivæ Italiæ spolia domum referentes aggressus insigni clade affecit, vnico tantùm ex suis desiderato. Illius etiam sine dubio facinus est, regis Vngarorum

Reginonis Continuator. Herman. Hepidan. Lambert. Schaffna. Marian.

LVITPALDI MORS BOICÆ CALAMITOSISSIMA.

LVITPALDVS BOICÆ PRINCIPVM CONDITOR CREDITVS.

Chussolis cædes, quam anno nongentesimo secundo factam diximus; qua illorum ferocia adeò repressa est, vt quinq; omnino annis ab ijs otium fuerit. verùm nos clarissimi Ducis memoriæ eo impensiùs favemus, quòd illum Serenissimorum BOICÆ Principum, qui hodie rerum potiuntur, conditorem plerique agnoscunt: etsi eiusdem viri stemma ad Carolum M. producendi, vti quidem ego existimo, viam lineámq; nondum invenerunt: nam qui id hucvsque conati sunt, splendidis duntaxat promissis animos lactaverunt; & fortasse populo ab ijs satisfactum est, cùm Luitpaldi patrem avósque intrepidè nominarent & in tabulas mitterent; cordatis certè viris, qui, vt in re antiqua sine teste quidquam verentur credere, nihil dum persuasere. Quis enim suffragetur illis, qui cùm apud Reginonem legissent, anno octingentesimo nonagesimo primo in prælio contra Nortmannos Arnolphum Comitem occubuisse, eum ipsum nulla alia nota insignem, de cuius neque maioribus neque posteris quisquam veterum indicium fecit, ausi sunt, solâ ariolandi

làndi licentiâ, huius, de quo agimus, Luitpaldi patrem ſtatuere, quaſi præter audacem divinationem in tanta re nihil quiſquam eſſet deſideraturus. Quanto modeſtiùs Aventinus, cui nihil aliàs ignorabile aut obſcurum, hîc tamen aquam ſibi hærere confeſſus, negat de paternis Luitpaldi maioribus, quóve gradu contigerit familiam Caroli M. ſibi quidquam repertum, licet accuratè veſtigaſſet. Ludovicus quidem Rex eum literis, quæ extant, *illuſtrem Comitem, & dilectum propinquum ſuum* appellat, vt Carolinæ ſtirpi innexũ eſſe oporteat; ſed cetera nobis vetuſtatis ſilentium ſubduxit, fruſtrà ad ſarciendam eam iacturam novitia legione ſcriptorum concurrente, citiùs plauſum quàm fidem reperturâ. Pugnam, quâ Luitpaldus occiſus eſt, cùm veterum nemo deſcripſiſſet, Aventinus, quod ſupra etiam ſignificavi, eam, quæ à Luitprando ad Auguſtam Vindelicorum pugnata ſcribitur, ad Anaſſum flumen tranſportavit; & ne parum ea in re audax videretur, multa addidit, ſive veteres tabulas no-

l. 4 f. 373. edit. Baſil.

Luit. l. 2. c. 1. & 2.

bísque invisas secutus, sive, quod ab eo alienum non est, ex ingenij sui promptuario. Nos etsi non negamus vero similius esse, cum Vngaris hoc anno ad Anassum potiùs, quàm ad Lycum pugnatum esse, cùm post duos demum annos Vngaros Alemanniam ingressos cõstet; tantum tamen in aliena laceranda interpolandáq; historia sibi quemquam permittere, mali exempli est; quin potiùs cùm anno decimo in confinio BOIARIÆ & Franciæ cum Vngaris pugnatum Reginonis continuator scripserit, præsentémque illi prælio interfuisse Ludovicum ex Lamberto manifestum sit, non hanc, sed illius anni pugnam à Luitprando descriptam existimandum est; cùm & reliqua indicia conveniant, & Augustam vrbem ipse in Suevorum, BAIOARIORVM & Orientalium Francorum confinio sitam scripserit, ijsdem prope verbis, quibus Reginonis continuator, vsus: Verùm nos Luitpaldo illustri Comiti Cæsarum propinquo, alium Comitem itidẽ cognati Cæsaribus sanguinis, &, quod caput est, adscriptũ Divis adiungamus. Meingoldus is est, Comes

MEINGOLDI COMI-

mes

mes Hoyensis, matre BOIA Arnulphi Imperatoris sorore natus, à quo cùm magnum agri modum ad Hoij & Mosæ confluentes accepisset, infelici coniugio, eodem auspice, implicitus est, quod cæteram eius felicitatem plurimùm inquinavit. Nam Geilæ Guilielmi Hannoniensis dynastæ viduæ iunctus, necessariò potentes inimicitias suscepit; cùm neque coniux quiescere posset, nisi mariti prioris Manes vlta, neque vicissim in Guilielmi capite odia starent inimicorum, vt quibus decretum esset etiam fortunas illius evertere, totámque funditus familiam exscindere; ab ipsa ergo face nuptiali Meingoldo bella exarserunt; quæ cùm impigrè propulsaret, & Albrico duci, qui Guilielmum interfecerat, fortiter resisteret, Balduinum virum factiosum & impotentem, eundémque in vxoris bona flammâ ferróq; grassatum occidit. verùm cùm ad patris necem vlciscendam quatuor filij insurgerent, pertæsus Meingoldus sanguinarium negotium, arma vltro posuit, eiuratáque militia, & deserto infelici solo, in quo perennem odiorum segetem meteret,

TIS HOYENSIS VITA & MORS. *Sigeb. in Chro. Molan. in SS. Belgij.*

ret, ad DD. Timothei & Symphoriani fanum, velut ad suum asylum confugit; vbi cùm septennio integro, innoxias pugnas sui ipsius victor depugnasset, iámque stipendia digna triumpho numeraret, ne cælum sine laurea ingrederetur, ab Ingelfredi amicis, quem Richardus eius nepos capite truncârat, in ipso templi aditu occisus est, anno nongentesimo octavo. tumulum ipsius terra votis cælum prodigijs celebravit; & tanta vtrobique fusi sanguinis dignatio fuit, vt nomen titulúmque Martyris, quem mortis genere non invenisset, mortalium acclamatione, non obnunciantib. superis, tulerit. Eodem anno sua Vngaros rabies in Saxones & Thuringos impulit; & nequa pars Germaniæ barbaræ crudelitatis expers esset, proximo anno Alemannia furentium impetum excepit, & sive, quòd turbinis more ferrentur, & pedem nusquam figerent, sive, quòd Germanicus vigor obtorpuisset, exemplum priscæ virtutis dignúmque maioribus editum nusquam reperio: tuta hosti latrocinia & prædandi velut concessa licentia; coniugum greges

Continuat. Regino. Lambert. Herman.

ANN. DCCCCIX. VNGARORVM GRASSATIONES.

ges & miseranda liberorum agmina in servitutem morte diriorem abripiebantur; nec tamen deformitas spectaculi excitavit sui suorúmque oblitos. ardebant passim Divorum aræ, privata fumabant tecta, & tota penè patria bustum fuit. solæ nostrorum inter tot incendia languebant manus, vt ipsam etiam virtutem in reliqua præda cessisse hostibus crederes, neq; sanguinem tantùm è cæsorum cadaveribus, quod genti illi solenne fuit, haustum esse à barbaris, sed vivis etiam vultûs animíque constantiam, & Martium omnem vigorem elisum: certè cùm Ludovicus rex vltimum à patria excidium aversurus, delectu per Franciam & Alemanniam quàm acerrimè acto, omnes, quibus ætas militaris esset, ad signa vocaret, metuerétque multos metu militiam detrectaturos, publicè edicendum putavit, laqueo gulam frangendam ijs, qui reipub. eo tempore defuissent. cuius supplicij infamia tristem necessitatem parendi Francis Alemannísq; non virtutem attulit, domi forísq; paratã sibi mortẽ reputantibus, & hostem magis quàm carnificem me-

Luitp. l. 2. c. 1. Hepidan.

ANN. DCCCCX.

DELECTVS CONTRA VNGAROS à LVDOV. REGE ACTI.

Pvgna cvm Vngaris in Campis Lycatibvs infelix.

metuentibus. Ita in agros Lycates, qui circa Auguſtam Vind. in ampliſſimam planitiem panduntur, copiæ omnes cõvenere, omen fortunæ ſuæ vultu præ ſe ferentes, & planè vt morituræ. Triſtiora omnia, quàm animis præceperant, adventus Vngarorum fecit. ij, quòd diei ſerum eſſet, quem ſibi non tam ad victoriam, quàm ad lanienam dari integrum volebant, pugna conſultò abſtinuere; eam proximo diluculo, non expectato ſole, imbre telorum in noſtros ſemiſomnes ſparſo auſpicati ſunt; multis ſomnus morte continuatus, alijs dolore & vulneribus interruptus; morientium gemitu, eorúmque, quibus hoſtis iam incubuerat, clamoribus cognitum eſt, cœptam eſſe pugnam: noſtri tamen, vt in re ſubita, animis ex pavore collectis, impetum ruentium ſpe fortiùs exceperunt; extractáq; in horam diei ſeptimam pugnâ, cùm nuſquam pedem referrent, locúmque, in quo conſtiterant, egregiè tuerentur, neque Dux militi, neque miles Duci, vlla in re deeſſet, iam victoriam manu tenere rex Ludovicus ſibi viſus eſt, tum maximè, cùm Vngari noſtrorum alacri-

Ficta Vngarorvm fvga.

alacritate abusi, ficto pavore, conversis equis ex acie se proriperent. Nostri veram eam fugam, confessionémque hostis sibi de virtute concedentis rati abeuntium vestigia premunt, donec in locatas multo antè insidias præcipitarentur. Tum resistentibus, qui fugam simulaverant, aliisq; à tergo coortis, circumventa nostrorum acies, eodémque momento in omnem partem, in mala iam spe & nulla re pari, atrox prælium renatum. nostri, quibus vix ad vrgendam victoriam vires suppetebant, multò minùs pugnæ suffecere: igitur cædes ingens facta: fortunatissimi, quibus via ad fugam patuit, quam pauci ad suos lares, pleriq; in avios saltus, aut arces opere naturáq; munitas intenderunt. Vngari etiam victoria crudeliter vsi, BOIARIAM deinde, Sueviam, Franconiámque pervagati, nullo inter sacra prophanáque discrimine, quidquid opportunum iniuriæ fuit, flamma ferróq; in vastitatem redegerunt; qua calamitate etsi sanctas Divorum ædes & religiosa domicilia complura involuta fuisse non dubito, vereor tamen, Aventinum singulorum casus

VNGARI VICTORIAM CRVDELITER PROVINCIARVM DEPOPVLATIONIBVS PERSECVTI.

casus & excidia velut ex tabella recitantem, sua nobis oracula promere; quorum vanitatem cùm sæpius deprehenderimus, non sumus in illum iniurij, si ijs non credere malumus, quàm decipi. Et quidem, quod res BOICAS propriè spectat, etsi afflatas communi incendio certum est, nullis tamen, ad id restinguendum vindicandúmque, animi plus fuisse ex omnibus Germaniæ populis, quàm Boiis, Hepidannus auctor vetus & certus inprimis manifestum facit, qui Vngaros tot victorijs tributóque Germaniæ imposito tumentes, à Noricis, qui ijdem cum BOIIS sunt, bona exercitûs parte multatos scripsit; vt proinde eorum fortunam, qui victores ipsos vicerint, minùs lacrymabilem, quàm reliquæ Germaniæ fuisse necesse sit; cui cùm Ludovicus pacem reddere ferro non posset, illam à barbaris auro emit, quod non eo tantùm anno pendendum fuit, sed in sequentes etiam tributi nomine promissum, cùm nulla quantumvis fœda conditio respuenda videretur, modò patria funesto hospite & velut incubante pestilentia liberaretur. Neque diu à fœde-

Tom. 1. Rerum Alemann:

LVDOVICVS REX PACEM AVRO REDIMIT.

fœdere inito vixit: sequenti enim anno, qui vndecimus fuit, in ipso adolescentiæ flore extinctus est, nulla sobole relicta: Wilhelmo enim Nangio, qui duarum filiarum Placidiæ & Mathildis eum patrē facit, quæ Conrado & Henrico, qui post Ludovicum regnarunt, nupserint, fidem nemo habet. Ludovici orbitas magnis motibus, qui deinde consecuti sunt, ansam dedit. Nam cùm capite opus esset, quo vastum imperij corpus regeretur, librarctúrque, id ex qua gente domóq; peteretur, multis pari iure tantæ spei imminentibus, difficilem efficiebat consultationem. Centum & quatuordecim anni effluxerant, ex quo translatum ad Francos imperium in Caroli M. stirpe hæserat, sine competitore, vniúsq; familiæ veluti hæreditas fuerat; quod vel Herois illius meritis nominíque datum est, vel modesti homines & pacis publicæ amantes ita cēsuere, minore periculo principem sumi, quàm quæri; omnium oculis in eos conversis, qui in purpura nati ius regni in cunas intulissent. At enim Caroli nomine cum Ludovico sepulto; cùm ex illa domo successor peti

ANN. DCCCCXI. LVDOVICVS REX MORITVR *Reginon. Continuat. Herman. Hepidan.* STATVS GERMANIÆ & IMPERII CANDIDATI.

non poſſet, quæ ſola Auguſtos dederat, cùm, quod antea ius ſanguinis fuerat, nunc fieret virtutis, facilè apparebat, eum Imperio digniſſimum, qui idem optimus eſſet & fortiſſimus; illum ipſum tamen deſignare voto vocéque libera, tam in fœcundo, quàm ſterili virtutum ſæculo, ſemper ſupra hominem viſum. nam & inter omnia humana decora, difficillima virtutum cenſura eſt, quarum ſedes in animo, eóque ab oculis remota; & argumenta, quæ foras prodeunt, non ſemper ſincera ſunt; quia improbitas, peſſimo artificio, virtutis vultum pridem, ſub perſona, ſimulavit, & quanquam veri colorem nullum habet, habet tamen fucum, quo expolitur, etiam cùm mendacis operæ nullum aliud pretium eſt, quàm plauſus vulgi, & benignior famæ ſuſurrus. enimverò cùm purpura perſtrinxit oculos, cùm ſceptra & corona in medio ponuntur, tanto enixiùs laborant etiam peſſimi homines, vt ſpolium faciant cupiditatis ſuæ, quod præmium debebat eſſe virtutis. Hinc illa decantata candidatorum ſtudia in honorario campo efferveſcentia, & notæ ſuffra-

ſuffragiorum corruptelæ fruſtra tot legibus impugnatæ; & cum ſumma comitiorum infamia congeſtæ in indignos dignitates, & fortium virorum repulſæ. Quæ omnia in primis comitijs, quæ Germaniæ libera obtigerunt, evenire poterant vel timeri, ſuffragij iure nondum ad paucos certóſque delato, neque ijs legibus inventis, quibus cùm hæc ipſa tempora cauſam dediſſent, poſteriorum quieti tranquillitatíque proſpectum eſt. nihilominus initia ſupra ſpem ſe dedere. Saxonum genti ea tempeſtate Otho præerat Luidolphi filius pace bellóq; egregius princeps, qui vnus Francis Saxonibúſque, quamvis ingraveſcente iam ætate, digniſſimus eſt viſus, cui poſt Caroli M. ſtirpem imperium committeretur, miro fortunæ vices alternantis ludo, cùm ex ead. gente, quæ infeſtiſſimis animis odiíſque pertinaciſſimis cum Carolo M. vna omnium diutiſſimè pugnaverat, illi nunc eiúſque poſteris ſucceſſor quæreretur. Otho, vt vel hinc virum æſtimes, oblatæ conditionis fulgore nihil motus, librare animo immenſum imperij pondus cœpit, idémque ad vires ſuas

OTHO SAXO OBLATVM IMPERIVM REPVDIAT.
VVituchind. l. 1.
Ditmarus, l. 1.

expendere; cano capiti coronam, & fra-
ctis ſenio humeris purpuram inijcere,
hominis eſſe ſenio ſuo illudentis; nec
eſſe ea tempora, quibus reipub. ſatisfieri
conſilijs poſſit, quorum ſibi vſum ætas
ſolum non eripuerit; neque caput tan-
tùm, quod ex priſcis Cæſaribus quidam
dixerat, imperare, ſed profectò etiam
dextram, quam tot vndique hoſtes la-
ceſſant, & fatigare ſoli Vngari poſſint.
, Nimirū extincta Caroli M. ſobole illiúſ-
, que omni fortunâ peractâ, orbis terra-
, rum novum ſub novo principe ſeculum
, inchoat; qui niſi vota & ſpes omnium
, expleat, vnus ipſe felicitati ſingulorum
, obſiſtere, & natus in publica damna vi-
, debitur; nemo priorum regum tumulos
, ſine gemitu inſpiciet, & refodientur
, etiam olim inviſi; quibus non modò ve-
, niam impetrat, ſed amorem inſuper cō-
, ciliat non optimus ſucceſſor: quanquam
, illis etiam propter ſanguinem ignoſci-
, tur, & Caroli Magni non modò viva
, imago, ſed etiam vmbra venerationem
, habuit. Nos ad imperium præter famæ
, præiudicium nihil afferimus, quæ quò
, benignior fuit, eò maius nobis onus im-

poſuit,

posuit, vti tam amplo præconio paria
præstemus, ne se olim putet fuisse deceptam: neque enim vnus tantùm ex regibus imperio dignus habitus est, quamdiu non imperavit. Hæc momenta modestissimum principem ab acceptando imperio abstraxerunt; publicè tamen ætatis duntaxat excusatione vsus est, quę sibi manum inijceret, cogitationésque à solio ad tumulum abduceret; se populi votis, vt alia omnia abunde sint, per ætatem non satisfacturum; neque enim benevolis acclamationibus multos sibi annos optantium, senium cum iuventa se mutaturum. Rogatus deinde sententiam, quem eo fastigio dignissimum iudicaret, vt ostenderet rempub. sibi privatis necessitudinibus potiorem esse, cùm filium Henricum haberet egregium bello iuvenem, & tanto patre dignum, eo tamen præterito, Conradum Francum Conradi, quem ab Adelberto prælio occisum suprà diximus, filium nominavit. Placita vel ob viri authoritatem sententia; & Conradus rex salutatus est: nihilominus penes Othonem, donec vixit, vis imperij fuit, quíque ex

OTHO CONRADO SVA SVFFRAGATIONE IMPERIVM DEFERT.

Vrspergens. Augustorum titulis pulcherrimus semper habitus est, nomen Patris Patriæ tulit. Mors illius, quam in sequentem annum Reginonis Continuator conijcit, eò Reipúb. luctuosior accidit, quòd alma Pax & Germaniæ quies vnà cum illo visa sunt expirasse. eo enim concordiæ publicæ cavente, proceres in officio retenti sunt; communi pacificatore de medio sublato, fidem rupere. Primus idémque exemplo suo reliquos tracturus, Henricus frenos excussit, huius ipsius Othonis filius; quamvis, si vera autores narrant, crudeli iniuria irritatus non contra Cæsarem, sed tyrannum arma sumpsit: Conradus enim cùm maximæ indolis in eo argumenta plura deprehendisset, vt solicita ferè sunt recentia imperia, & tantum vbique metus est, quantum fortunæ; verebatur, ne parum de modestia patris traxisset, quámq; ille in repudiandis summis honoribus constans fuisset, tam avidus hic in ijsdem rapiendis foret. Igitur opes illius accidere, & imminuere potentiam statuit, próque summo iure, quod Cæsar in provincias regno Germaniæ contributas habebat, nega-

HENRICVS OTH. F. REBELLAT, OB IMMINVTOS HONORES.

Vvitichind. l. 1. Ditmar. Chro. l. 1. Sigebert.

negavit iuveni tam amplum imperium, quantum pater habuisset, se commissurum; si tamen spem de se concitatam fortibus factis implesset, non defore sibi illius ornandi producendíque opportunitates; nam vel parentis causâ, summa omnia se illi debere. Non fefellit sagacem animum fucata oratio, aderántque prompta Saxonum studia, si quid fortunâ suâ vel patris dignum animo agitaret, operam suam pollicentium; id quidem se nunquam passuros, vt velut degenerem imparémque Cæsar iniquâ potentiâ circumscriptum coactúmque in ordinem publicæ infamiæ obijciat. meminisset modò eo viro natum esse se, qui Conrado non ideo regnum dederit, vt filius suus princeps esse desineret. Eæ voces cùm vulgò iactarentur, Conradum latere non poterant; vehementer proinde ijs commotus, multa cum animo suo volvebat; irritatum iniuria sua, inflammatum popularium dictis, & ipsa iuventa ferocem nec quomodo mitigaret, nec qua arte everteret, videbat, cùm & vim à capite Henrici totius Saxoniæ pro salute ipsius excubantis arma facile de-

pellerent, essétque contra fraudes, suopte ingenio, egregiè munit⁹. Inter diversa consilia fluctuanti detestabilem operam Hatto Archiepiscopus addixisse fertur, ille ipse, qui Adelbertum Comitem, veteratoria calliditate, in exitium pertraxerat. Hic cùm torquem auream Henrici collo inijciendam artifici locasset, perfectúmque opus eo præsente inspiceret probarétque, altùm ingemuit, sive sceleris cogitati conscientiâ, sive aliquo sensu humanitatis tactus; &, ergo aurum hoc, inquit, Henrici sanguine rubebit? faber quasi temerè effusam vocem nullo admirantis gestu prosecutus, rectà ad Henricum detulit, iussítque cavere fatale aurum; neque enim ab eo ferrum procul abfuturum: Henricus insidiarum certus, iram tamen in potestate habuit; Hattoni ad familiarem congressum invitanti id tantùm renunciavit, sese torquatum eo die non iturum. metuere cervici suæ, quam sciret nihilo rigidiorem esse, quàm Adelberti: Hatto vbi prodita sua consilia sensit, ne, quas fecerat compedes, ipse gestaret, è vestigio

INSIDIÆ HENRICO TENDVNTVR DICTANTE HATTONE.

Paulo aliter in altera Edit: VVitichindi res gestæ narratur.

INSIDIÆ DETECTÆ.

gio se proripuit; neque multo pòst mœrore animi, sive, quod ab alijs traditum est, fulminis ictu perijt. Factum pessimi exempli & vltimæ perfidiæ, sunt qui ab Hattone amoliri laborant; & malim etiam ipse non credere, faventibus mitiori sententiæ plerisque veterum, ea potissimùm ratione, quòd Hattonis mortem, Othonis fatis præposuerunt, quo vivo nulla patrandi sceleris occasio esse potuit: quòd si Otho ad annum vsque decimum sextum provixit, quod Fabricius, quantumvis contra antiqua monumenta, sibi compertum tradit, absolvitur sanè liberali sententia à parricidio Hatto, qui post decimum tertium (nisi annales nos fallunt) superstes non fuit. Sigebertum enim nihil moramur, qui Hattonem decimo octavo demum anno tumulat; solenne enim suum hîc quoq; tenet, & scriptorum agmen claudo pede aliquot annis posterior assequitur. Verùm, etsi Hattonis torquem ad fabulas transcribas; illud tamen indubitatum est, Conradum, postquam doli parum processerunt, ad apertam vim cō-

Witichind. l. 1.

Herm. 913. Regin Con. 912. obijsse narrant.

Conradvs Rex Henrico Sax: bellvm movet.

Ditmar.
VVituchind.

versum Henrico bellum intulisse, quod diuturnum tempore, eventu varium, felicius tamen ferè Henrico fuit. Primæ expeditioni Conradus Euerhardum fratrem præfecerat gloriosum militem, & qui legiones Saxonum difflaturus spiritu videretur; certè id tantum ægritudini sibi esse prædicabat, quòd hostis copiam sui non facturus, sed munimentis clausus inerti pavore victorias esset moraturus: quanquam vanam fuisse curam pòst expertus est; priores enim in aciem prodiere Saxones, stragémque tantam edidere, vt compitalitijs ludis, ioculari carmine, cæsis parentatum cantatúmque fuerit, Orcum novis hospitibus non suffecisse. Sed extra institutum nostrum est, alienis rebus diutius immorari: hæc eò narranda duximus, quòd existimemus Imperij proceres, qui à Conradi fide desciverunt, eius in Henricum malevolentiâ & sanguinarijs consilijs irritatos fuisse, aut certè ambitioni suæ colorandæ plausibilem hinc potissimùm fucum petijsse.

AR-

ARNVLPHVS LVITPALDI F. BOIARIÆ PRINCEPS.

Insignis inter factiosos Arnulphus fuit Luitpaldi F. qui cùm Patri ab Vngaris cæso in Præfectura limitanea BOIARIÆ, Ludovico vivo volentéque, successisset, eodem defuncto totius principatum BOICÆ, incertum an exspectato Conradi Regis iudicio suffragationéq;, an privatis potiùs auspicijs, adijt. sub ipsa imperij initia reverentiam exuisse auctoritatémque regiam palàm aspernatum esse, id in confesso est; quem ego virum, cùm Caroli M. stirpi quocunque tandẽ vinculo innexus esset, eóq; Cõradum vt parem solóque regio nomine, superiorem agnosceret, non nisi indignissimè ferre potuisse sentio, concessas eum regni vires in æqualium iniurias exercere, & cùm Patris Patriæ personam sumpserit, neque bonum dominum nosse agere: haud enim aliâ eum gratiâ Henrici capiti imminere armatũ, quàm quòd illud dignum corona omnes iudicent; ita optimo principi fraudi esse virtutes suas: quæ cùm vltima sit calamitas,

ARNVLPHI REBELLIO EIVSQVE CAVSÆ.

tas,

tas, & certissima regnantis tyrannidis nota, exemplum, quod in Henrico editum sit, etiam ad se pertinere credidit: nunquam enim crudelitatem vno funere exsatiari. Atque eadem fortasse momenta, quæ Arnulpho rebellionis faces subiecere, etiam vicinam Alemanniam inflammarunt, vbi Erchangerus Regij Fisci præfectus, siue, vt tunc loquebantur, Cameræ Nuncius, procuratione illa, vt nimis angusta, repudiatâ, titulum & insignia Principis, nullo inaugurante, sumpsit, si Hermanno credimus, Bertholdo etiam fratre velut in consortium imperij adscito; quanquam apud Eckehardum, qui improba horum Fratrum studia latè persecutus est, raptum Ducis nomen non reperio. Hi tamen si Arnulphi, quem Nepotem illorum Hepidannus vocat, exemplum secuti sunt, poterant sane, quod vi iniuriáque ausi sunt, vel iure vel necessitate factum speciosis in vulgus nominibus defendere: nempe enim dignitates & imperia fortium esse virorum; ea nuper præmia à Cæsaribus concessa esse virtuti; sed Conradum optimum quemque habere inimicis-

micissimum, nihílque sub hoc principe periculosius, quàm honestis artibus & gloria excelluisse; summa omnia meritis certam ab eo perniciem parari; aut igitur improbos esse oportere, aut infelices; nisi, quod fortibus viris tertium relictum sit, in hac rerum omnium perturbatione temporúmque iniquitate, sibimet consulant, fiántque ipsi fortunæ suæ fabri. Hi tamen Suevi fratres, parto, quomodocunq;, dominatu, primis initijs ea documenta dederunt, vt rerum fastigio non indigni censerētur. hoc enim, quē persequimur, anno, qui post nongentesimum tertius decimus fuit, vtibilem inprimis periclitanti patriæ operam præstiterunt. Vngari prædarum dulcedine inescati, velut anniversarius turbo rursus in BOICAM irruperant, secutíque Oeni fluminis ripam, agebant ferebántque, pro libidine, omnia, formidabiles vel solo nomine hostes. præsentia damna & vltimi exitij metus Arnulphum BOICÆ, Erchangerum Alemanniæ Duces, cúmque eius fratre Bertholdo Vdalricum Comitem armavit, & in belli, iunctis viribus opibúsq; gerendi, societatem contra-

ANN. DCCCCXIII. VNGARI à BOIIS ET ALEMANNIS CONCISI. *Hepidan. Herman. Contin. Regin. Gotfrid. Viterb.*

traxit. Ab his, collatis signis, ad Oenum flumen, cum Barbaris pugnatum est, eorúmque copiæ internecione deletæ; triginta duntaxat vel tempestivâ fugâ vel clementiâ victoris servati cladis nuncium in patriam retulere. Neque præter felicis pugnæ eventum memoriæ quidquam proditum est; etsi Aventinus eam historiæ lacunam ingenij fiduciâ licentiáque ariolandi egregiè explevit, pro more & seculi sui simplicitate abusus, & posteritati illusurus: prætereundum tamen in hac scriptorum parcitate non est, ab Hepidanno Arnulphum Optimum Ducem appellari, quod eos meminisse volo, qui Arnulphi memoriæ inquinandæ, eidem cognomentum Mali adijciunt, ex causis, quas suo loco sumus examinaturi. Fructum victoriæ Arnulpho sociísque capere diuturnum non licuit; quarto enim post illam partam anno, Arnulphus patriâ fortunísq; omnibus, Erchangerus verò cum fratre ipsa etiam vita per vltimam infamiam exutus est; hi enim cùm multa fecissent improbè, eousque demum insaniæ progressi sunt, vt Salomonem Constantiæ Episco-

ERCHANGERI IMPIETAS.

Epiſcopum eundémque ad S. Galli Abbatem integerrimum virum, quòd eorum cupiditatibus obniteretur, in vincula conijcerent; cuius facti indignitatem Conradus Rex non modò pijs lacrymis proſecutus, ſed in publico procerum conventu Moguntiæ deteſtatus negavit aliter quàm authorum ſanguine eluendum; eam ſententiam vt toti orbi probaret, anno regni ſui quinto, qui decimus ſextus ſeculi decimi fuit, ſacrorum hominum comitia Althaimium, qui locus in Rætia ſitus eſt, coëgit, vbi Petro Ortonẽſi EpiſcopoRomani Pont. Ioannis decimi legato præſente, ſceleſti illi hoſtes reipub. declarati, publicatíſq; bonis, gladio addicti ſunt: ſecundum quã ſententiã, proximo anno, apud villam Adingam, in illos & Luitfridum ſororis filium animadverſum eſt. Althaimenſis concilij cùm non modò apud Hermannum mentio ſit, ſed Burcardus etiam Wormatienſis Epiſcopus collectaneis ſuis nobiles ſymbolas ex eo petitas aliquammultas inſeruerit, vehementer miror, id à Baronio, aliíſq; conciliorum exſcriptoribus omnino prætermiſsum

Eckehard. Iunior in Caſib. Monaſt. S. Galli, c. 1.

Ann. DCCCCXVI.

Erchangervs proscribitvr et occiditvr.

Herman.

Burcard. l. 11. Decret. c. 68.

Althaimense Concilivm.

ritum

CONRADVS REX CVM ARNVLPHO CONFLIGIT. *VVitichind. Gest. Sax. l. 1.*

ARNVLPHVS AD VNGAROS FVGIT. *Luitpr. l. 2. c. 7. Sigebert. Otto Frising. l. 6. c. 16.*

ritum fuisse. Conradus rebus in Alemannia constitutis, adversus Arnulphũ in BOIARIAM contendit, quódque ex Witichindo manifestum fit, non acie modò cùm illo congressus est, sed in prælio etiam vulnus accepit. Arnulphum quantumvis victum ingenij pervicacia rectâ ad redintegrandam gratiam ire viâ non permisit; erubuit enim pro capite fortunísque suis, quæ armatus defendere nequierat, supplicare inermis, salutémque suam hosti quàm Cæsari permittere maluit, recto itinere, vxore liberísque paternæ fortunæ socijs comitibúsque, ad Vngaros profectus: pro qua illaudata fuga secesũ Salisburgensem Aventinus Arnulpho minus rubori futurum substituit, credo, quia apud Bernardum Cremsmonasteriensem legerat, eum Iuvavo, quod Salisburgum est, in patriam redijsse. at enim hic ipse auctor Arnulphi fugam ad Vngaros disertè confitetur, in eo tantùm ab alijs diversus, quòd tertio, ex quo regnum Conradus adierat, anno pulsum in Vngariam, scripsit; vbi cùm sese collegisset, & in aliquam spem rei bene gerendæ venis-

venisset, per Iuvavum Ratisbonam regressum, atque illic obsessum à Conrado fuisse. Verùm reliqui vnius tantum ad Vngaros fugæ meminere, reditúmq; ad Conradi mortem differunt, quos sequi, quàm vnum illum eundémque obscuri nominis scriptorem malumus. Cæterùm Conradus, cùm ordinatâ provinciâ discessum Ratisbonâ pararet, Regum priorum morem secutus D. Emmerammi ædem adijt tutelam illius expetiturus, atque, vt verbis Arnolphi Comitis vtar, *licentiam accepturus in Franciam remeandi.* Votis ritè persolutis, Mausolea Arnulphi Imperatoris & Ludovici Filij lustranti malè feriati homines ex eorum genere, qui principum auribus ancillantur, cupiditatem inijciunt nobilis libri, cuius inter sacras Martyris opes magna dignitas & fama fuit, doctâ scriptoris manu & vmbilicorum pretio conciliata; & facile fuit religionem amoliri assentatoribus, qui Regibus licere volunt, quæcunque libuerint. solus Tuto vrbis Episcopus desideria improba damnabat, quin etiam vim parantibus

Arnolphus Comes l. 1. de S. Emmerammo c. 6.

IMPROBA CVPIDITAS CONRADI R. DIVINITVS VINDICATA.

diras imprecatus est, & sacrilega capita D. Emmerammo devovit; neque distulit ille suas sibi opes vindicare; Regi enim ad minas surdo confestim tortorem in viscera immisit, qui sævire neque remisso libro desijt, sed abeuntem etiam in Franciam secut⁹ est, vbi proximo anno, qui decimus octavus fuit, extinctus est 14. Cal. Novembr. Morti proximus exemplum edidit ingentis animi, & vel raritate sua commendabile; quando nulla Euerhardi fratris, aut certè Frãcicæ gentis habita ratione, imperium transferri ad Saxones non modò passus est, sed auctor ipse factus id gravissimis verbis, & quantâ potuit animi contentione, velut vltimum mortalium votorum, cui refragari nefas esset, postulavit; quod ipsius consilium tantò maiorem habuit admirationem, quantò notiores omnibus erant nobiles inimicitiæ, quæ illi cum Henrico, quem sibi successorem destinabat, intercesserant. potentiam illius imminutum iverat; bello aperto, insidijs occultis appetierat; dignitatem suam aliter, quàm eius ruinâ fulciri posse desperaverat; noluit tamen tam testa-

Ann. DCCCCXVIII. *Witichind. l. 1. Luitpr. l. 2. c. 7. Ditmar. l. 1.*

Conradvs R. Moriturvs Henricvm Saxon. sibi svccessorem nominat.

tas

tas professásq; simultates morte demũ extingui, sed illas vivens ipsi & patriæ remisit, vtque certum reconciliatæ gratiæ pignus extaret, imperium tradidit, quod nemo vnquam in inimicos humeros inclinavit. Euerhardus imperata fratris ordine executus Augustalia ad Henricum insignia transtulit, & gazam omnem regiam ad illius pedes profudit; atque tum demum apparuit, immerenti olim à Conrado notam ambitus impactam, neque sine nutu consilióque divinitatis sententiam ab eodem mutatam. Henrico enim nec vultus nec animus pro præsentis fortunæ apparatu fuit; argumenta omnia eò conspirantia, vt palam fieret, de imperio ne somniasse quidem: vix votis populi & vnanimi procerum consensu victus est, vt humeros oneri subijceret. ita ad principatum obsequio pervenit, quódque de Traiano olim dictum est, nihil, vt Imperator fieret, agitavit fecítq;, nisi quòd meruit & paruit. inungi tamen redimiríque caput neque rogatus sustinuit: quam animi moderationem etsi populus clarissimo plausu prosecutus est, cordatis tamen viris

HENRICI MODESTIA.

HENRICVS VNCTIONEM REGIAM COROMAMQ. NON ADMISIT.

viris visum est, huic modestiæ modum defuisse. Divo certè Vdalrico, qui hoc ipso Rege, vti dicemus, Augustanam mitram induit, cùm duorum ensium spectaculum divinitus obiectum esset, quorum alter duntaxat capulo insignis fuit, D. Petro & Afra M. interpretibus, intellexit, indecorem illum imperfectúmque gladium Henrici instar esse, neque inaugurati, neq; sacrato oleo delibuti. quod portentum perperam ab alijs & ab ipso Othone Frisingensi intellectum, in Arnulphi BOII infamiam detortum est.

Ditmar. l. 1. Berno in Vita S. Vdalr.

VIII.

Luit. l. 2. c. 7.

ARNVLPHVS IN BOICAM REVERTITVR.

Porro Arnulphus vulgata Conradi morte properè in BOICAM reversus, non suorum tantùm effusa gratulatione, sed Francorum omnium promptis studijs exceptus est; quæ eo vsque processerunt, vt pristinas opes fastidire vniversúmque animo regnum complecti auderet. Facem cupiditati illius admoventibus variæ causæ suberant; BOIOS amor in principem suum stimulabat, & plausibile habitum, Germaniæ Regem dare, cuius ipsi cunabula monstrare apud se possent: Francos avitum in Saxones odium ab Henrico avertebat; avelli à gente sua par-

AD REGNVM INVADENDVM INFLAMMATVR.

partum maiorum virtute decus, imperia pati eorum, quibus ipsi olim servitutem imposuissent, morte durius visum gloriæ cupidis viris: multi rerum humanarum vicem miserantes computabant annos à Magno Carolo, ingemiscebántque, vno seculo maiestatem tanti nominis defloruisse; id si inter cætera fortunæ ludibria ferendum sit, at saltem illud in parte felicitatis futurum, si cognatum sanguinem hæredem suæ gloriæ aspicerent. Multos privatæ cupiditates & certior turbidis quàm quietis rebus crescendi spes omniáque novandi amor factiosis adiunxit. Henricus, quanquam haud dubia erat Arnulphi defectio, motus tamen Alemannicos rebus alijs omnibus prævertendos putavit; nam etiam Burchardus gentis illius Dux ab obsequio desciverat, eò ferocior, quòd illo ipso anno Rudolphum Burgundiæ regem pugnâ apud Winterthuram commissâ vicerat vir militiæ artibus clarus, quóque eum Witechindus nomine appellat, *bellator intolerabilis*. Hic tamen cùm Henrici signa in provincia sua conspexisset, saniore vsus consilio, ne tenta-

HENRICVS ALEMANNOS COMPESCIT.

Witechindus. Herman.

tâ quidem belli fortunâ, se suáque omnia Regi permisit; is, compositis ex sententiâ rebus, confestim contra Arnulphum movit Reginoburgi munimentis inclusum, qui tamen paulò pòst obsidionis impatiens regia castra ingressus in Henrici se potestate fore pollicitus, inde non modò facti veniam immunitatémque retulit, sed amicus insuper Regis appellatus, insperata eius humanitate mansuefactus ad bonam mentem rediit. Atque hæc quidem Witechindi est narratio; quam Luitprandus aliter texit; cui si credimus, neque Reginoburgi Arnulphus obsessus, neq; adeò Henricum in BOICAM ingredi passus est, sed adventanti copias in finibus obiecit, vltimo discrimini rem permissurus, nisi Henricum cladis, quam accepturus daturúsve esset, miseratio subijsset; &, quanquam fortunæ suæ non diffideret, incruentam tamen pacem qualicunque victoriâ duxisset gloriosiorem. non erubuit ergo avidum pugnæ castris tenere militem & tentare animum Arnulphi prior, etsi eo facto autoritatem hosti attribueret essétque id formidinis argumen-

HENRICI CVM ARNVLPHO BELLVM.

Luitp. l.2.c.7.

HENRICI MODERATIO.

mentum: misso caduceatore Arnulpho significari iubet, cupere se solum cum solo congredi. Eam denunciationem Arnulphus provocantis ad singulare certamen credidit, & conditione fidenter acceptatâ, in medium processit; idem fecit Henricus. cùm pari ab vtrisq; castris intervallo constitissent, ibi Henricum in hanc sententiam ferunt locutum: Deum immortalem, Arnulphe, Divósq; regnorum præsides domo proficiscens ita adoravi, veniámque supplex ' poposci, ne mihi ex bello hoc triumphum, néve ex te victoriam darent. neq; ' voti, quod rari ante me Duces concepere, pœnitet, si modò tu eius me compotem facis; nam superos quidem spes est ' non frustra invocatos. Hoc primum ergo, quo in te animo sim, hinc disces, ' quòd te victum nolo cernere; néve id ' superi evenire vellent, bonas preces fudi: nunquam te meo neque mortalium ' vllius odio dignum putavi; & quanquam ' armatum in me video, nondum te hostem compellavi. sunt, qui hoc nomen ' melius ferant, digni qui meam tuámque ' manum experiantur, quorum sanguine '

HENRICI CVM ARNVLPHO CONGRESSVS.

 pul-

» pulchrè ferrum tinxerimus: at neque tu
» facile consilij tui caussam expediveris
» defenderisque, cur eundem in me vul-
» tum & fortassis animum feras, qualem
» nuper Vngari experti sunt, virtute tua,
» cum Christiani orbis plausu, internecio-
» ne deleti: sed nimirum ideo inimicior
» mihi nunc, quàm illis es, quia Regis titu-
» lum tibi præripui, & vnico te nomine
» antecedo! Miseram sortem meã! si con-
» sensum patriæ discindere ferro paras,
» tantóque iniuriæ opportuniorem me
» putas, quanto digniorem regno publica
» vota censuere. Ergo nisi imperium vir-
» tute meruissem, neque Conradum ho-
» stem expertus fuissem, & te hodie ami-
» cum haberem. Et illius quidem tolera-
» bilior in me iniquitas fuit coronæ suæ ti-
» mentis, cui cùm me parem aspiceret, eti-
» am æmulum putavit; quando tantun-
» dem ferè concupiscimus, quantum nos
» consequi posse speramus. nam cùm ali-
» quas forsitan in me virtutes suspiceret,
» abesse ab ijs modestiam censuit, quæ so-
» la ipsius dignitatem posset tueri. corre-
» xit tamen privatum errorem sententiâ
» publicâ, quémque olim successorem
timuit,

timuit, moriturus elegit. Enimvero tam splendido illius arbitrio nunquam magnopere delectatus sum: quòd si ea, quæ pòst evenere, prospicere potuit, nego illum bona fide mecũ in gratiam redisse, cùm imperium mihi reliquit cúmq; illo tot hostes & tot bella; quanquam neque vera bella neq; veros hostes subterfugio; hoc, quod à te conflatum est, neque quomodo appellem invenio; nisi quòd detestabili consilio cœptum & miserando finiendum exitu est, vt in quo nescias, vincere, an vinci calamitosius sit. civium sanguis, &, quod sanctius hoc nomen est, Christianorum Christianis propinabitur, vt per illorum cadavera ad regnum curras nimis profectò magno constaturum, vtcunque impietati fortuna faveat. Equidem etsi mea potissimùm causa agitur, vt qui cupiditati tuæ devota sum victima, non tamen patiar, vt quisquam meorum prior ferrum stringat; isthinc signa canant, à vobis clamor incipiat & impetus; quod ad me attinet, reddere hoc imperiũ malo, quàm exercere civium sanguine. Si ergo tibi ad imperãdum nemo præter me obstat,

„ nihil opus est bello, tantóque ad detrahendas capiti meo infulas apparatu: nemo me hucusq; coronatum vidit. optet te Respub. principem, primus inter adoratores & Regis mei satellites ero.

ARNVLPHVS HENRICI MODESTIA AD PACEM INFLECTITVR.

Exarmavit modesta Arnulphum oratio, neque verba, quæ reponeret, vt in re subita, habuit; satis tamen in ipso vultu & silentio argumentorum fuit sua consilia damnantis; spatio denique ad deliberandum petito discessit: Oratione regia per exercitum vulgata, nemo fuit, qui non impia arma detestaretur, neque bellum sed parricidium clamaret, quo tam æqui támque clementis Principis iugulum peteretur; niti pro se quisque, & primores maximè, à quorum consilijs aliàs Arnulphus non abhorrebat, rogando monendóque invicem instare, ne se, ne suorum civium salutem vltimo discrimini obijceret; fieri non posse, vt ambitio in tam mala causa triumphet; quíq; iustitia & pietate tantopere præstet, bello succumbat. Quibus rationibus militúmq; consensu victus Arnulphus Henrico renunciari iubet, si sibi suísque secessio ea fraudi futura non esset, se cum exer-

exercitu in eius potestate futurum. Non id tantùm impetratum est, sed cooptationem Pontificum, quæ inter regia tunc iura censebatur, Henricus petenti remisit: qua quia intemperantiùs fortasse vsus est, apud posteros infamia conflagravit: frequens enim hæc priscorum annalium querela est, illum nobilitati & militaribus viris æquo addictiorem stipendia ijsdem ex sacris opibus numerâsse: quam iniuriam cùm religiosi viri gravissimè ferrent, neque vlcisci aliter possent, ipsius iam sepulti Manes lacerare aggressi, tristibus fabulis posthumam famam infecerunt, quarum terriculamenta inserta libris nemo seriò absterfit, cùm spongia fortasse non deesset: extant enim egregia illius facta valitura ad laudem, nisi invidia præpotuisset; Hoc enim ipso tempore Ratisbonensem vrbem, cuius pomœria Arnulphus Imperator protulerat, opere inter optimates diviso, mœnibus cinxit, iisque D. etiam Emmerammi cœnobium clausit. Quieta deinceps aliquandiu Boica fuit, sive nobilis Arnulphi victoria ad Oenum flumen parta, de qua suprà diximus, & vir-

Pax inter Arnvlph. & Henricvm.

Arnvlph. Ratisbonam mœnibus cingit.

Arnolph. Vohburg: l. 1. c. 7.

VNGARORVM IN SAXONIAM IRRVPTIO. *Luitpr. l. 2. c. 8. Sigebert. Ann. 922.*

virtutis BOICÆ experimentum Vngarorum ferociam repressit, sive, quod Luitprandus significat, ampliores spes illos in Saxoniam traxere, vbi regem destiturum Suevorum, BOIORVM, Lotharingorúmque auxilijs improviso adventu suo oppressum iri confidebant: & dabant sanè præclarè sese initia, continuísque prædationibus Mersburgum vsq; progressis omnia ad ferrum & flammam patuere: agebant, pecorum more, miserabile infantum fœminarúmque agmen; nam decennio maiorem è meliore sexu neminem passi sunt vivere. Ibi demum obvium habuere regem non satis fidentem viribus, nisi cælum suppetias ferret; cui propitiando, se gentémq; vniversam pio voto obstrinxit, se sacrarum dignitatum nundinationem, quæ pessimo exemplo passim invaluerat, toto regno proscripturum. Auditæ preces: pugnatum feliciter, partáque ingens victoria regem voti reum fecit, dignáque visa res est, cuius simulacrum in cœnaculo Merseburgensi pictoris manu exprimeretur: id bellum Vrspergensis perperam cum eo, quod trigesimo quarto de-

demum anno pari felicitate gestum est, confundit, & Fabricium etiam in errorem induxit. Turbatum eodem tempore nonnihil ab occidentalibus Francis est, qui nobis Gallorum nomine hodie notiores. Carolus cognomento Simplex Alsatiæ imminens & Rheno tenus imperare avidus copias Wormatiæ admoverat; vnde cùm pulsus fugatúsque fuisset, damnatis belli consilijs, Henrici amicitiam per legatos ambivit, quam vt insigni pignore sanciret, dextram D. Dionysij vulgò creditam (nam suppositiam fuisse necesse est, si Martyr ille Ratisbonam sub Arnulpho Cæsare commigravit) munus auro contrà charum Henrico misit, suísque verbis renunciari iussit: agnoscere se fata Fráciæ, æquiorésque Germaniæ, quàm Galliæ suæ superos. Ex quo enim die D. Vitus Saxoniæ tutelam, desertâ Galliâ, susceperit, in peius omnia ruere retróque ferri cœpisse; neque aliter, quàm si cum eo pax & felicitas regno excessissent, Gallici nominis maiestatem procubuisse, malorum omnium agmine invicem laboranti patriç invecto: avita maiorum suorum deco-

Reginon. Contin.
Sigeb. Vrsperg.

CAROLVS R. GALLIÆ VICTVS AB HENRICO.

VVitich. l. 1.

decora,cùm hæredes non deessent,alios dominos quæsîsse; & Henricum scilicet placuisse Deo, cui omnem Caroli Magni fortunam circumponeret; cuius consilio neque se obniti æquum sit; socium se Henrici, quàm æmulum dici malle, suavioréſque fructus amicitiæ, quàm invidiæ reputare; fidem aliàs suasse manu daturum, nunc sanctiorém Divi indigetis vicariam substituere. Grata legatio Regi fuit: dicta colloquio dies, locúsque congressui Bonna designatus; vbi Carolus possessione Lotharingiæ sponte cessit, eámque partem imperij Germanici esse pronunciavit. Eodem anno vigesimo secundo, Concilium Confluentinum, vtroque rege presente, celebratum est, cuius aliquot scita Burcardus Wormatiensis exscripsit. porrò fœdè alucinati sunt, qui id anno duodecimo celebratum dixerunt, cùm septimo demum pòst Henricus regnare cœperit. Gallicos motus Vngarorum furor excepit, immuni iterum BOICA, nisi fortasse à scriptoribus tantùm, non ab ipsis barbaris est preterita; præsertim cùm Eckehardus Iunior Norici vastati disertè mem i-

ANN. DCCCCXXII. CONCILIVM CONFLVENTINVM. *Burc. l. 7. c. 30.*

ANN. DCCCCXXIV. ET V. VNGARI ALEMANNIAM & BOICAM POPVLANTVR. *Herm. Hepidan.*

meminerit; & cùm obſeſſam ab ijs Auguſtam, eodem teſte, conſtet, prodigijs accenſeas neceſſe eſt, ſi tam vicino incendio BOICA non eſt ambuſta. Enimvero nec Auguſta ſuis viribus ſtetit, ſed cùm ea tempeſtate diviniſſimum virum Vdalricum pontificem accepiſſet, ſalutem ſuam illi domeſticæ tutelæ acceptã retulit, cuius caſtiſſimis precibus barbara feritas ſuccubuit: Eius Viri res, non felicium cunarum causâ natalíſque ſoli, quod Sigebertus BOIARIÆ contribuit, ſed quia noſtris immixtæ ſunt, repetendas altiùs, memoriámq; conſecrandam cura impenſiore duximus. Kyburgij Comites hoc ſibi decus vt proprium vendicant, parentibus Hupaldo & Thietburgâ Suevorum Ducis Filiâ natum. virtutis tyrocinium in D. Galli cœnobio poſuit, Wiboradæ quoque ſanctiſſimæ virginis magiſterio vſus, cuius ad virtutem monita cùm ſemper avidè imbibiſſet, eam nutricem ſuam appellare etiam ſenex ſolebat. Illa tenerum animum & regi facilem ad pudicitiæ potiſſimùm inviolabilem cultum inflexit, & cùm Zonam ſuis manibus elaboraſſet,

De Caſib. monaſt. S. Galli. c. 5.
Ann. 924.
Hermann.

Ann. 893.
D. VDALRICI NATALES & VITÆ COMPENDIVM.

Ekkehar. c. 5.
Berno in S. Vdalr. vita.
Auctor incertus ex quo Berno Hiſtor: ſuã concinnavit.
B. WIBORADA D. VDALRICI MAGISTRA

eo velut baltheo sacræ militiæ tyronem, contra pudoris hostes, præcinxit; pulvillum rigidis horrentem setis eius cervici substravit, & flammis cupidinis ardentem facem iussit opponere, satius esse dictitans manum amburi, quàm animum: ea denique monasticen meditanti divinam mentem certissima vates aperuit, mitram illi deberi affirmans; etsi ab eius ambitu tam longè aberat, vt cùm Rom. Pontifex illum Adalberoni Augustano Episcopo subrogare cōstituisset, vltimis precibus honorem deprecatus sit & fuga denique declinarit; quæ illi hactenus profuit, ne Adalberoni succederet: verùm Hiltine defuncto, fata prævaluere, & vtriusque ordinis consensus, Regísq; Henrici autoritas invitum in solio Augustano collocavit, quod omnibus Episcopo dignis virtutibus implevit. Hic ergo talis vir contra irruentium Vngarorum rabiem, quos iam assultantes mœnibus videre poterat, hac arte pugnavit. Infantes etiamnum inter cunas vagientes, aut ab vberibus matrum pendulos comportari tota vrbe iussit, sparsósque per sacram ædem in nuda humo tristi

D. VDALRICI MODESTIA.

D. VDALRICVS AVGVSTAM AB VNGARIS QVA ARTE SERVARIT. *Eckehard. c. 5.*

triste cælo spectaculum obijciens, illorum lacrymis superos expugnabat, vt ij, patrocinio innocentiæ suscepto, hos agnos lupis in prædam non permitterent. Hoc illius contra ferocissimos hostes stratagema fuit: hi milites Vdalrici auspicijs Augustam sunt tutati: cuius mœnibus pulsi Vngari dum per reliquam Alemanniam grassantur, etiã D. Galli monasterium deprædati sunt, & Wiboradam Vdalrici magistram multo antè de mortis genere divinitus præmonitam, vita spoliarunt: neque mitiora per Franciam, Alsatiam, Galliámque impotentiæ exempla ediderunt. Saxoniæ ex pacto parsum: Henricus enim rex cùm fortè Vngarorum principem vivum in potestatem redegisset, eiúsque liberandi studio ingens auri pondus offerretur, aspernatus est conditionem; sed pacem in novem annos pollicẽtibus Ducem sine precio reddidit. Induciarum tempus omne ad muniendam in similes eventus patriam insumpsit, militarémque disciplinam novis legibus & institutis egregiè excoluit: nonum quemque ex agro delectum opus facere in muniendis vr-

HENRICVS CVM VNGARIS INDVCIAS PACISCITVR.
Vvitichin. l. 1. Sigebert. ann. 924.

bibus iussit, qui pro se sociísque tecta horreáque condendis frugibus moliretur, octonis interim agrum eius cum suo colentibus & cibaria suppeditantibus: legionem peculiarem ex desperatis hominibus, quos latrocinijs & furto infames furca expectabat, confecit, eorúmque forti opera in vexandis barbaris sæpe vsus est, in quorum perniciem malè olim vsurpatæ artes opidò illis vtibiles iam cum gloria exercebantur. Anno vigesimo sexto amplissim' imperij procerum conventus Wormatiæ fuit, ad sananda sine dubio patriæ vulnera coactus: quo in loco Hermannum Alemannis Ducem datum verosimile est, cùm paulò antè Burcardus in Italia occubuisset; hic postquam veteres cum Rodulpho Burgundione simultates, affinitate inita, eóq; genero adscito, abolevisset, eidem suppetias laturus in Italiam traiecerat; cuius regnum cùm Rodulphus nuper adijsset, parum aberat, quin fœdâ procerum levitate eodem iterum excideret; ijs in officio continendis frenandísque, Burcardus veteranus miles arcem opportuno loco moliendam eíque fir-

NOVA LEGIO EX FVRIBVS ET LATRONIBVS.

ANN. DCCCCXXVI.

COMITIA WORMATIENSIA.

Herm. Contr.

BVRCARDI ALEMANN. DVCIS RES IN ITALIA GESTÆ.

Luitp. l. 3. c. 4.

firmum præſidium imponendum cenſuit; cui operi cùm Mediolanum potiſſimùm delegiſſet, ſitum naturámque vrbis propiùs per otium inſpecturus legati habitu exornatus eò conceſſit; ingreſſúsque D. Laurentij ædem, quaſi voti explēdi cauſa, illam ipſam aream arci fabricandæ deſtinavit; dúmque conſilij certus mœnibus obequitat, converſus ad comites, patriâ linguâ, res in vado eſt, « inquit; detumeſcent Langobardi; quorum faſtum niſi eò vſque depreſſero, vt « feroces iſti equites ſingulis tantùm calcaribus ſtrigoſas equas fodiant, neque « viri, neque adeo Burcardi nomine dignum me deputem: neque enim hæc « mœnia, mulierum munimenta moror: « ita vivam, ſentient quantùm ſua Troiam Pergama ſint tutatura. Ea verba, « præter ſpem, homo pannoſus ſuáque obſcuritate inobſervatus, linguæ tamen gnarus furtim excepta ad Lambertum vrbis Præſulem detulit; qui arcani proditi conſcientiam miro fucatæ benevolentiæ lenocinio celans, ementitam Burcardi legationem ſimulata hoſpitalitate eluſit, tantò in ſpeciem blandior,

BVRCARDI CONSILIVM DETECTVM.

quantò veriùs hominem optabat perditum: cervi etiam figendi copiam illi fecit, quod non nisi amicissimis iurabat à se concessum. Quibus oblectamentis eum tantisper duxit, dum Papienses cæteriq; quorum intererat, in eius perniciem armarentur: ij Eporediam redeuntem ex insidijs adorti, dilapsis comitibus, viam ei ad fugam intercluserunt; omnia paventem externatus tumultu subito equus in fossam Novariensem abripuit, vbi probris telísque certatim ingestis confectus est; vir calamitate sua vel eò non indignus, quòd Wiboradam, de qua superiùs meminimus, optima monentem & tristia minantem pari contumacia contempsit: Cùm D. Galli cœnobium improbis exactionibus expilaret, Divus ipse vt palàm faceret, iniurias illas ad se pertinere, in veste lacera Wiboradæ visendum se præbuit Ducémque sacrilegij reum postulavit: neque tamen vel huius spectaculi infamia avaritiam coërcuit, quin paulò pòst aureum calicem gemmis distinctum indidem auferret, graviter denunciante Wiborada, vtique illætabilem eam illi prædam fore: cuius vati-

BVRCARDVS OCCIDITVR.

Hepidann. Vita S. Wiborada. c. 30.

vaticinio hactenus motus est, vt vxori imperaret, si quid humanitus sibi contigisset, Divo suas opes redderet: quæ quidem professa stultitia est, post mortem demum velle sapere. Rodulphus soceri casu vehementer perturbatus, Italiâ sponte cessit, regnúmque vacuum Hugoni Arelatensi Comiti reliquit; cuius cùm brevi pòst Italos pœniteret, Arnulphus noster è BOICA excitus est, nihilo meliore, vti suo loco dicturi sumus, ambitiosæ spei successu. quæ me res impulit, vt notabilem in paucis vicini principis exitum spectandum darem. Quamquam ne domi quidem lætiores ludi; nisi quòd in Italia ambitio, hìc avaritia tumulata est itidem principis viri, sed, quod dictu fœdum est, ex ordine sanctiori. Dracolfus is fuit Frisingensis Ecclesiæ Episcopus; quam Waldonis Vttonísque studio ex flamma & ruinis extractã respirantémq; tanto gravius quàm incendiũ afflixit, quòd viginti annos ad eã depopulandam nactus, etiam remota corripuit; cùm Frisinga cupiditati non sufficeret, Mosburgenses quoque, Isenenses, Schöfftlarienses opes depeculatus,

MISERA DRACOLFI FRISING. EP: MORS.
Metrop. Salisb: Gevvoldi ex chron. Eccl. Frising:

tis gestamen imperio Romano assereret, primo inter Augustalia insignia loco futurum omnibus coronis & aquilis auspicatius. Tentata primùm per legatos res est, nullo successu; negante Rodulpho, se regni sui tutelam abalienaturum. Henricus vbi vidit Rodulphum gratijs nihil facturum, apertè illi denunciat, aliter ratam amicitiam non fore, nisi voti compotem reddidisset; aut igitur pacis pignus, aut belli præmium futurum: verùm Deo visum non est, vt arma, quibus ipse orbem pacaverat, causam bello darent, Rudolphíque animum ad Henrici votum inflexit; qui donum regium non aliter, quàm cælo lapsum venerabundus excepit, certius vtique præsidium patriæ in eo situm intelligens, quàm vetus Roma suis inesse ancilibus credidit. Porrò Rudolphi liberalitatem non modò auro rependit, sed adiecta etiam Sueviæ parte, latiùs eum imperare jussit: ipse bella postea inire longè audentiùs, crescere militibus animi, hostibus pavor, neque aspectum, neque vim fulminantis lanceæ ferentibus. In hoc signo ipse, in hoc deinceps Otho filius vicit, &

nè dubitari poſſet, vnà cum Conſtantini Magni armis omnem illius felicitatem in Henrici domum migraſſe, etiam Magni cognomentum, quod Conſtantinus ingentibus factis meruit, Otho Henrici filius tulit, idem patri quoque debitum, niſi qua modeſtiâ coronam reſpuit, eadem titulos repudiaſſet. quæ cùm ita ſe habeant, ſanè Witichindus erroris convincitur, qui mox à Conradi morte inter imperialia ornamenta ſacram Lanceam eiuſdem juſſu ad Henricum delatam ſcripſit, cùm id recens imperio decus hoc demum anno acceſſerit. Porrò ſi vera ſunt, quæ poſt Bedæ geſta Anglicana leguntur, Magni etiam Conſtantini gladio, in cuius capulo, inter auri bracteas, itidem divini clavi ſegmentum promicabat, potitus eſt. Caroli prætereà M Haſtam Saracenorum ſtrage nobilem, quæ huius potiſſimùm ferri fiduciâ edita eſt, in poteſtate habuit: quod quidem illud ipſum eſſe vulgo creditum eſt, quod in Servatoris pectore vltimum vulnus fecit. Militare denique ſignum, ſub quo Thebæa legio, Mauritio Duce, immortale ſtipendium meruit. quarum

omnium opum si tot Divi Henricum hæredem fecerunt, mirum sanè non fuit, coronam Augustalem, tot regum cælitúmque insignibus, ipsiúsque adeo Numinis Armis glorioso curæ non fuisse.

ANN. A DCCCCXXX. EXPEDITIO BOHÆMICA.

Herman. Sigebert. Reginon. Cont. ponit. 928.

Proximè insequente anno, qui trigesimus fuit, expeditio in Bohemos suscepta est à gentis illius scriptoribus prorsus præterita, vti etiam pleraque alia, quæ certissimis nixa auctoribus retulimus referemúsque cum fide, in quorum vicem passim commenta portentáque successerunt, tam manifesta quidem vanitatis, vt configere ea operosum futurum non sit, si æquè jucundū foret cum fabulis rixari. domestici annales Arnulphum BOIVM in expeditione Bohemica cum Henrico copias sociasse affirmant, magna sine dubio verisimilitudine, cui vetustatis silentium non aduersatur, eū duntaxat, cuius auspiciis bellum gerebatur, nominasse contentæ. Cùm enim Arnulphus, vt Luitprandus loquitur, *Henrici regis miles effectus sit*, obligatæ fidei documentum dare haud alia occasione promptius fuit, quàm cùm in vicinam gentem, quæ solis antea Boio-

Staindel. in Chron. Arenpek Avent.

Luit. l. 2. c. 7.

RVM

RVM viribus ſæpius domita fuerat, arma ſumpta eſſent. Principem gentis ea tempeſtate Sigebertus Wenceslaum conſtituit, illum ipſum, qui Boleslai fratris ſcelere poſtea occubuit. Vrſpergenſis, Wenceslao ne nominato quidem, Boleslai patrem ſubſtituit, quem Vradislaum fuiſſe conſtat, qui Sigeberto Vvatizlaus eſt: in quo vti faciliùs ſubminiſtratam bello materiam reperias, quam in miti placidóque Wenceslai ingenio, cauſæ tamen ſatis non eſt, cur ſecundum Vrſpergenſem pronunciemus veterum ſcriniorum compilatorem, neque tamen in ea qualicunque opera cum cura & fide verſatum. hunc enim ipſum locum, quem ex Witichindo exſcripſit, deprauatum conſtat, ſive illius, ſive poſterioris ætatis manúſque flagitioſioris id vitium eſt: ita enim in fonte, vnde ipſe rivulum duxit, hodie legitur, *Frater tamen erat Bolizlavi, qui quamdiu vixit, imperatori fidelis & vtilis manſit.* quæ verba vtcunque verſes, ad Vradislaum patrem haudquaquã pertinent: nihilo plus etiam Sigeberto ſuffragan- *Witich. l. 2.*

gantur; nam cùm manifestè Wenceslaum indigetent, qui solus vnicúsque frater Boleslài fuit, eiúsque in fide amicitiáque regis colendâ constantiam depraedicent, intelligi vix potest, quanam ratione huius belli concitator fuerit, nisi ab illius demum exitu amicum regi Henrico conciliatum ariolari volumus. Verùm à quocunque tandem bellum conflatum gestúmque sit, Pragam quidem cum Principe suo ad deditionem coactum, gentíq; tributum impositum fuisse constat. Circa haec item tempora D. Vito Wenceslaus Pragae aedem nobilem posuit, quam à D. Wolfgango Ratisbonensi praesule dedicatam popularis error est, qui etiam in gentis annales irrepsit; cùm ille multis demum post haec tempora annis mitram induerit. Aventinus Wolfgango Tutonem substituit, haud scio qua probabilitate, cùm supputata diligenter annorum ratione, illum hoc ipso anno Divorum numerum auxisse constet; Cosmas Pragensis vsque ad Michaelis pontificatum dilatam dedicationem scripsit. Porrò Tuto, cuius meminimus, vivus etiamnum tantâ san-

TVTONIS EPISC. RATISB. MORS ET RES GESTAE.

tâ sanctitatis famâ fuit, quanta rarò mortuos sequitur. quadraginta omnino annos clavum illius Ecclesiæ tenuit, æquabili virtutum tenore, neque illum, caligantibus summa senecta oculis, deseruit, cùm animo tantum provideret, vt illam ætati iniuriam facilè condonaret, festivè dicere solitus, se muscis oculos non invidere. Illum interim oculati suspiciebant cæli arcana penetrantem mentis obtutu, cúmque ipsi, quod ante pedes erat, vix viderent, ille futurorum & procul absentium conscius, interesse divinitatis consiliis credebatur, vt nulli verecundiæ esset, rerum gerendarum cœcum adhibere ducem. Arnolphus Comes Vohburgensis annotavit, illum olim Lunælaci commorantem repente exclamasse, Ratisbonam incendio periclitari; neque tum vlli dubium fuisse, vera ab eo dici; neque aliàs vnquam oracula illius vanitatis comperta. Celebratur ab eodem Ara aurea, quam conflatis votivis Caroli, Carolomanni & Arnulphi coronis D. Emmerammo fecit, visendum opus, & mille gemmis distinctum: Successorem Isingrinum nactus est

Arn.l.1.de S. Emm.c.6.

est non ante hunc annum, etsi vulgati indices alium annotarunt. nos Wolfgangi Selenderi Braunoviensis Abbatis in eius annis digerendis diligentia nitimur.

IX. ANN. DCCCCXXXII. ARNVLPH. IN ITALIAM AD CORONAM VOCATVR. *Luitp.l.2.c.14. Sigebertus.*

Vno deinde anno interiecto, quo Henricus contra Redarios rebelles maximas res per legatos gessit, noua illecebra & amplissima amplificandæ gloriæ & dilatandi imperij spe iterum Arnulphus arma induit. Italici proceres desultoria levitate mutare dominos soliti, Hugonis fastidio, Antigonum, quod dicitur, refodiebant, & Rodulphum Burgundionem paulo antè desertum exactúmque in Italiam revocabant; Eo conditionem aspernante, Ratherij maximè Veronensis Episcopi & Milonis Comitis suffragatione, ad Arnulphum itum, ab eóque haud difficulter impetratum est, vt spe regni, quod in Germania frustra ambiverat, in Italiam, cum exercitu, transcenderet. Iter ingresso Veronam vsque omnia ad votum fluxere: ea vrbs vltro in potestatem venit, & patentibus portis hospitem cum plausu accepit. Hugo inopinato nuncio per-

culsus

culſus ſibi tamen non defuit, & inſtructum æmulo equitatum obiecit, qui cũ prima congreſſione BOIOS ex Gauſeningo caſtro erumpentes ad internecionem cecidiſſet, Arnulphus capto, ex triſti præludio, omine, noluit fortunæ iterum in ſe peccandi poteſtatem facere; ſed deportato in patriam reliquo exercitu, eóque per otium reſtaurato, ſpes ſuas maiore apparatu vrgere; quódque Italorum ingeniis diffideret, Milonem comitem velut obſidem ſecum abducere ſtatuit; qui ſicut prioris expeditionis auctor fuerat, ita viam ad alteram ſterneret: Id conſilium quanquam occultum haberet Arnulphus, ſuboluit tamen Miloni, BOICAM velut ſcopulum libertatis ſuæ & calamitoſiſſimum omnium exiliorum abominanti; maluítq; tentato trãsfugio, Hugonis regis, qualicunque ſpe, vtpote graviſſimè offenſi, tentare gratiam, quàm in illas aureas compedes ſalutem fortunáſq; ſuas, formidoloſis auſpicijs, coniicere. Arnulphus ne nihil inſigne ad famam egiſſe videretur, arcem Veronenſem, quæ in Hugonis fide permanſerat, expugnavit, ciúſq;

BOII CORRVVNTVR.

REDIT IN BOICAM ARNVLPHVS.

eiúsque præfectum, & Milonis fratrem cum præsidiariis omnibus secum in BOIARIAM traxit. Civitas sine mora Hugoni reddita. Ratherius Episcopus defectionis auctor exauctoratus, & Papiam in exilium missus; cuius ærumnas vt etiam posteri legerent, luculento, vt illa ferebant tempora, libello explicavit. Porrò Arnulphus in BOICAM reversus putare secum rationes diligentiùs, & defervescente paulatim ambitionis æstu, vtilia speciosis, & certa incertis anteferre, abiectáque prorsus repetendæ Italiæ cura, ordinare res domesticas aggressus est. hoc enim ipso anno Episcoporum comitia, ipsius voluntate, Dingolfingæ coacta privati annales testantur. Acta non extant, sed neque summa illorum capita: faveo tamen coniecturæ Aventini, qui de restituendis in integrum sacris domicilijs possessionibúsque cladem passis consultatum esse existimat, Arnulpho scilicet jam saniora consilia patiente, & se ipsum repetundarum accusante. Mutatæ in melius mentis, præter hæc sacra comitia, documentū illustre superest in vetustis membranis Frisin-

ARNVLPHVS DINGOLFINGÆ COMITIA CELEBRAT. *Staindel. Hundius in metrop. Arenpeck. Aventin.*

ARNVLPHVS ECCLESIARVM DAMNA SARCIT:

ſingenſibus, in quibus Bertholdus Arnulphi frater publicis tabulis teſtatur, ex ſua fratriſq; ſententia Divo Corbiniano avitas poſſeſſiones redditas; quę fraude vel vi fuerant interverſæ: placet illarum partem literarum huc transſcribere. Berchtoldus divina favente clementia Dux Rudperto & Merolto noſtris fidelibus. Cognoſcere vos volumus, quòd dilectiſſimus frater noſter Arnulphus vnà nobiſcum, rogatu Wolframi venerabilis Epiſcopi in Friſingen prædicti Epiſcopi parochiam, vbi S. Corbinianus requieſcit, cum noſtris fidelibus cõvenimus. Ibíque invictiſſimus frater noſter, pro remedio animæ ſuæ, quaſdam res eiuſdem Eccleſiæ quondam iniuſtè abſtractas, cum conſilio ſuorum fidelium relaxavit. Nos verò vitæ noſtræ felicitatem omniúmque noſtrorum proſperitatem proſpicientes, & conſultu iam dicti fratris noſtri cæterorúmque fidelium noſtrorum precibus, præfati Epiſcopi omníſque eius familiæ petitionibus annuentes, proprietatem beatiſſimi Chriſti confeſſoris Corbiniani ad Mayes & Chortzes, quam liber eius, illius

» esse testatur & priscis temporibus iniu-
» stè ab Ecclesia eiusdem sancti ablatam
» esse constat, in requiem B. Dei Genitri-
» cis Mariæ, & ante dicti Confessoris Chri-
» sti Corbiniani, in manus præscripti Epi-
» scopi potestativè remisimus. Extant super eadem re Henrici regis literæ, quib' ius omne quoquo modo in eadem bona vsurpatum Episcopo sponte remittit; vbi præter Maias & Chortes, etiam Cames fit mentio, quam ego in rebus gestis S. Corbiniani Caminam dictam interpretor. Porro benigna divinatio est, Arnulphum, quo erga Frisingensem Ecclesiam animo fuit, eodem ceteras esse cōplexum, quocunque tandem duce ad bonam mentem dicamus rediisse. Si quis, vt in obscura incertáque re, coniecturæ locus est, ausim sanè D. Vdalrico correcti mutatíque Arnulphi laudem adscribere, quo cùm hoc ævum sanctiorem virum non haberet, virtutúmque fama ingentem illi auctoritatem peperisset, mirandis ostentis, quæ illi divinitus obijciebantur, confirmatam auctámque, magna non solùm libertate sui officij principes viros commonebat,

VDALRICVS ARNVLPHVM OFFICII SVI ADMONET.

sed

ſed orationis ſuadâ etiam adverſantes repugnantéſque in ſententiam pertrahebat. Neque cauſæ privatæ etiam deſuere, cur omnes eloquentiæ ſuæ machinas Arnulpho crederet admovēdas, terrifico viſo ad audendū excitatus. Id qui vitam illius ſcripſit Berno Augienſis Abbas in hunc modum retulit: Olim intempeſtæ noctis ſilentio ab Afra M. Vdalricum de lecto, in quo accubuerat, eſſe excitatum, atque in campos Lycates iam à cælitum agmine occupatos eductum; ſpeciem illic inuſitatam prætorij apparuiſſe, plurimis velut rerum capitalium quæſitoribus, in curuli ſella aſſidentibus, ínque ijs Petrum Apoſtolum iuri dicundo præfectum locum principem tenuiſſe. Ibi Arnulphum Norici Ducem violatorum expilatorúmque Cœnobiorum reum peractum, Divis in eius damnationem incumbētibus, quorum vel ſacra prophanâſſe, vel bona diripuiſſe, vel cultores vexaſſe graviſſimis teſtimonijs convincebatur. Tum ſenatum ordine conſuli cœptum, dictas atroces in Arnulphum ſententias, nullóque patrocinium ſuſcipiente, omnibus

Electus eſt Abbas ann. 1007. præfuitque annos 40.

IN CÆLITVM COMITIIS ARNVLPHVS REVS PERAGITVR.

bus eum calculis damnatum. Hæc Berno multò inflatiùs, quàm Scriptor Anonymus, itemque Gebhardus Episcopus, qui res à D. Vdalrico gestas ante ipsum literis consignarunt. apud quos de dicta in Arnulphum fatali sententia verbū nullum reperias. Nihilominus tam tristis iudicij formā ab Vdalrico otiosè spectatam, & velut vsitatos somni ludos neglectui habitam quis credat? sanè neque famæ suæ satisfecit & cæli favore abusus est, si hoc spectaculum sibi tantùm editum putavit, nullo alio operæ pretio, quàm vt oculos pasceret alienæ miseriæ præludijs. Enimvero non ingemuisse tātùm, sed intercessisse etiam, quà licuerit, ferali sententiæ, vero virique illius moribus propius est. Neque diffitentur domestici scriptores Vdalricum suo munere egregiè functum, finémque & modum nullum fecisse Arnulphi invicem rogandi monendíque; sed illud insuper addidere de suo, surdo fabulam cecinisse, & nocturnum illud tribunal inter vana ludibria & poëtarum phasmata reiectum, & demum Vdalricum ipsum velut temerè paratragœdiantem irri-

DOMESTICORVM SCRIPTORVM IN ARNVLPHVM ACERBITAS.

irrisui habitum; donec decretoria hora Deíque malè contempti manus malè periturum occuparit. Quod in tanti principis iniuriam confictum nos suo loco ostendemus, & nunc tabulis publicis evicimus, illum cum Divis eorúmq; aris, si quas olim fortasse impio ausu violaverat, in gratiam rediјsse.

Interim induciæ, quas Henricus cum Vngaris in novem annos fecerat, exiere, jam obfirmato in omnem eventum Saxonum populo, si barbari redirent, more suo pacem cauponantes, nudum se illis ferrum obiecturos. Legatis illorum non modò honor nullus est habitus, sed intra certum diem finibus excedere jussi nihil præter contemptum ad suos retulere; quem, raptim comparato exercitu, dum vltum eunt, etiam Thalemincijs veteribus socijs ludibrio fuere; nam auxilia poscentibus canem monstrosa obesitate deformem objecerunt. Saxoniam tandem bipertito agmine ingressi, ab occidente Thuringos & Saxones obvios habuere; qui cùm prima congressione fortissimum quemque è ducibus prostravissent, facilè reliquos

ANN. DCCCCXXXIV. *Sigebert. Ann. 934. VVitechind. Reginon. Cont.*

VNGARORVM POST INDVCIAS IRRVPTIONES REPETITÆ.

Iidem Dalmatæ alicubi, & Dalamanci dicuntur: Reinneccius Misnios interpretatur.

VNGARI CÆSI.

in fugam coniecere, sed passim hostes & certam necem reperturos. Cladis acceptæ fama etiam socijs animos dempsit, elapsíque fuga forent, nisi Henricus maturatò itinere recedentes occupasset. Illum tota acie volantem ex prætorio vexillo, Angeli imaginem noménq; ferente sui facilè agnoverunt: audiebantur etiam hortantis voces plenæ ardoris & optimæ spei, & planè vt à præsenti propitióque Numine incitati. Vincere jubebat suos, non pugnare; & si formidabilem barbaræ gentis vultum ferre non possent, at saltem terga cæderent, monstraréntque importunis tributi exactoribus, Saxonem armatum hostibus suis præter sepulchrum nihil concedere. Addidere ea verba etiam ignavis animos; sed timor Vngaros nostris velociores reddidit, vt fortitudini & iræ post aliquot passuum millia vix fuerit locus, hostibus præcipiti cursu jam dilapsis. Castra tamen capta direptáque, &, quod spolijs omnibus charius fuit, integri captivorum greges in libertatem asserti sunt. Victoriæ fama ingens fuit, quam modestia Henrici cælo transcripsit: pecuniã, quam bar-

HENRICI VICTORIA.

barbari exegerant sacro ærario intulit, vel in stipes pauperum erogavit. Scriptores habeo, sed dubiæ auctoritatis, qui Bertholdum BOIVM Arnulphi Ducis fratrem in hoc bello ordines duxisse affirmant comitatum duodecim millibus BOIORVM; ij etiam centuriones nominant & viros principes, qui voluntariam operam Henrico navarint; quorũ posterius maximè à nugatore quopiam aucupandæ apud illustres familias gratiæ causa excogitatum est, quibus hoc mendacio allinere famam antiquitatis parabat, illaudabili artificio & plebeijs tantum animis illusuro; Eadem opera cùm decursionum equestrium, quos à ludis Troianis Troiamina, vel ineptiùs etiam Torneamenta appellarunt, primas origines inquirerent, & spes magna esset, Henricum Aucupem ijs parentem adoptari posse, hoc ipsum bellum seminariũ illorum constituerunt; in quod cùm pleraque Germaniæ nobilitas nomen dedisset, convenisse inter imperij proceres, vt acuendæ ostentandæque virtutis causâ equestris ordo in theatro publico simulacrum pugnæ cieret, concurreret

Fabric. Orig. Sax. l. 2.
Fr. Modius t. 2.
Pand. triumph. l. 1.

INEPTIÆ LIBRI LVDORVM EQVESTRIVM.

certarétque viritim, ijsque ludis, vt posteris exemplo essent, certæ leges dicerentur. Porrò tam ambitiosum figmentum ipsi auctores everterunt, quando, pudendo errore, annum trigesimum octavum supra nongentesimum designarunt, quo Magdeburgi primos ludos Henricus ingenti pompa ediderit, cùm ex communi scriptorum veterum consensu certum sit, Henricum eousq; non provixisse. Præterquam quòd neq; Magdeburgi ea tunc gloria fuit, vt hospitium præbere nobilitati Germanicæ posset, cùm ab Othone demum Henrici filio cinctũ mœnibus ornamenta Vrbis acceperit. Scio equidem (vt opinationem illorum, qua parte veri similitudinem habet, aliquo vetustatis adminiculo fulciam) Witichindum inter cætera Henrici decora etiam illud annotasse, eum in ludicris bellorum prolusionibus excelluisse: Hæc enim illius verba sunt: *In exercitijs quoque ludi tanta eminentia superabat omnes, vt terrorem cæteris ostentaret. In venatione tam acerrimus erat, vt vna vice quadraginta, aut*

Sigeb. 939.

Vvitich. l. 1. gest. Saxon.

aut eo amplius feras caperet; & licet in conuiuijs satis jucundus esset, tamen nihil regalis disciplinæ minuebat; tantum enim feruorem pariter & timorem militibus infundebat, vt etiam ludenti non crederent ad aliquam lasciviam se dissolvendos: illius tamen ingentis apparatus, tam speciosæ pompæ, evocatæ ad spectaculum totius Germanicæ nobilitatis, tot theatralium legum nullum vsquam apparet vestigium: quid? quòd certum est, familias, quæ in illud album relatæ sunt, plerasq; pòst natas, aut non magis notas tunc fuisse, quàm Evandri majores; vt ridiculè proinde faciant, qui argumenta nobilitatis suæ ex putidis his chartis colligunt, avorúmq; coronas & bravia numerant, quæ illis tunc sanè nullus agonotheta dedit, sed recentium scriptorum assentatio liberali mendacio congessit. Illud fortasse verius, quòd equestres statuæ, quæ Maurkirchij religioso Boicæ fano Deiparæ sacro hodiéque ostenduntur, ex voto, ab Henrico rege, & Gualthero Hoyensi Dynasta istius victoriæ

Matth. Rad. in 1. to. Bau. S. Fran. Mod. in to. 2. Pand. triumph. Fabr. in Orig. Sax. l. 2.

Herm. & alij.
CONRADI EP: CONSTANTIENSIS NATALES.

ctoriç monimentum positæ sint. Eodem anno Constantiæ Notingo Episcopo defuncto D. Conradus Vdalrici potissimùm Augustani Pontificis suffragatione mitram induit, vir sua virtute notissimus nobisque non vna ex causa nominandus. Paternum genus ex Comitibus Altorfensibus duxit, à matre censeri Boius potest: Beata Hohenvvarti sive Altæ speculæ Comes ea fuit. pater Conradi Henricus Imperatori Arnulpho aut Ludovico fideli strenuâque opera conciliatus magnum agri modum in superiori BOIARIA, eius beneficio, acceperat,

Chron. VVeingart. to. 2. ant. lect. Henr. Canisij.
ETICHO D. CONRADI AVVS, HENRICVS PATER.

quatuor millia mansuum in Weingartensibus chartis appellantur. Eticho Henrici pater vir magni animi & nemini quidquam privatim debiturus gravissimè offensus tam splendido donativo, pretium illud venditæ libertatis, aut mercedem servitij interpretabatur, vnicum bonum nobilitatis existimans, esse suum: quod dum constanter tuetur, per omnem vitam à regum donis, vt ab hamatis viscatísque illecebris abhorruerat; proinde filij velut à patria indole degenerantis aspectum vitabundus, abstine-

ſtinere publico, & in tacito ſeceſſu ſepelire animi moleſtias ſtatuit: cúmque ex toto familiarium clientúmq; grege denos legiſſet, cum ijs in Ambirgólenſem pagum, proculà ſtrepitu hominum demigravit, captúsque ſolitudinis amore, ſibi religioſiſque viris humilia tecta molitus, in aſſiduo Dei cultu, cujus vnius ſervitium non dedignabatur, conſenuit. Eo vita functo Henricus filius Monachos cum loci horrore & intemperie aëris ægrè conflictantes, reſtituto prius D. Altonis Monaſterio, quod hominum temporúmve injuria conciderat, cò tranſtulit, & neceſſario omni apparatu, pro copia, inſtruxit. Altorfij etiam fæminis virginitatem profeſſis domiciliũ amplum exædificavit; quibus paulò pòſt Altonis monaſterium incolendum datum eſt, viris Altorfium commigrantibus. ſed nos ad nobiliſſimam Altorfenſem familiam divertemus ſæpius, vt quæ BOIARIÆ decora plura, & tandem etiam principes dedit. Annus trigeſimus ſextus Henrico vltimus fuit; pace Germaniæ reddita, repreſſis Vngaris, Danis etiam ad Chriſtum traductis de Romano

HENR. S. CONR. P. ALTONIS MONAST. RESTITVIT.

ANN. DCCCCXXXVI *Ditmar. VVitichind. Otho Friſing. Append. Regi. Hermannus. Sigeb. A. 937.*

no itinere Pontificiáque inauguratione cogitantem mors oppressit. Maximi principis occasum etiam sol lugere creditus est, quando repentè sereno cælo hebescens cruentos radios vibravit: mons etiam, juxta quem conditus est, flammas multis in locis vomuit, æquè tristi portento. Successorem sibi vivus Othonem filium nominavit: etsi, quòd ante susceptum à patre regnum editus esset, Henricus frater ei præferendus videretur, quæ vna ratiúcula magnos motus concitavit. Inauguratio Othonis Aquisgrani insigni pompa instituta fuit, summis vtriusque ordinis viris præsentibus: sacerdotum familiam Moguntinus, Coloniensis, Trevirensísque Antistites duxere; Moguntinus Othonem vnxit. Giselbertus Lotharingiæ Dux præfectus prætorio est, quod Aquæ Granéæ ab eo iura acciperent. Euerhardus Franco epularũ, Herimãnus Sueviæ Dux Pincernarũ, Arnulph' Boivs equitũ magistri fuere, iã tũ repertâ aliquâ imagine illustrium obsequiorum, quæ pòstea Electoribus Septemviris imposita illorum titulos dignitatésque auxere. Ferax civilium

OTHO IN REGNO PATRI SVCCEDIT.

INAVGVRATIO OTHONIS.
Vvitichin. l. 2.

lium externorúmque bellorum Othonis imperium fuit; quæ cùm pari felicitate confeciſſet, non immeritò fortiſſimis Ducib. adnumeratus Magni cognomentum tulit: eorum pars magna BOII fuere, iíque, quia ex ingenio imperióq; Ducum jam adverſa Othoni arma, jam ſocia tulere, vtramque fortunam, bono malóque ſuo juxtà experti. Primum Othoni bellum cum Boleslao Bohemorum impio Duce fuit, qui imperandi ambitione & Drahomiræ matris furijs inſtinctus Wenceslaum fratrem divinũ virum vita exuerat, parricidio in hoſpitali menſa peracto, ne quid ad ſummum ſcelus deeſſet. Auctus erat Boleslaus filiolo, qui Strachyquas à cruento hoc convivio dictus Ratisbonæ poſtea Monachum profeſſus eſt, vt ſuo loco ſumus dicturi; eum cùm ſacris abluere vndis decreviſſet pater, fratrem per ſpeciem cohoneſtandæ pompæ evocatum in luſtrica cœna obtruncavit. Impium facinus & ſua atrocitate & cæleſtibus inſuper prodigijs evulgatum, puro pióque bello vindicandum Otho putavit, ne fruſtra nuper in ſolenni inauguratione ab

OTHONIS BELLA.

BOLESLAVS BOHEMVS BELLO APPETIIVR.

Vvitich l. 2.
Sigebert ann. 938.

Aen. Silu. hiſt. Bohem.

ab Hildeberto Moguntino ſcelerum vltorem gladium accepiſſe videretur. vrgebat etiam privata neceſſitudo, quæ illi cum Wenceslao intercefferat, vt qui iuvenis in Cæſarea aula verſatus admiranda virtutum omnium in ea documenta reliquerat. Et quidem Dubravius Othoni iam Cæſari viſum Wenceslaum medium inter duos cæleſtes genios inambulantem ſcripſit; quod ratio temporum non patitur & neceſſariò ad Henricum Aucupem Othonis patrem promovendum eſt; cùm neque Wormatiæ, vbi hæc geſta ſcribuntur, coacta ab Othone comitia fuerint, & VVenceslai mors in Othoniani imperij initia inciderit, cùm ad res à VVenceslao, poſt comitia, geſtas vtique tempus longius requiratur. Nam cùm pro maximo munere D. Viti brachium Corbeiæ in Saxonia aſſervatum à Cæſare impetraſſet, illi recondendo magnificam Pragæ ædem ſtruxit.

D. WENCESLAI VIRTVTES.

Hiſt. Boh. l. 4.

X.

Bello Bohemico, alternante fortuna, in decimum quartum extracto annũ, niſi quà res BOICÆ illi innexæ ſunt, immorari nihil eſt neceſſe, revocante nos domum Arnulphi morte, quam in annum

Sigebert. *VVitichind.*

ARNVLPHI BOICÆ PRINC. MORS.

annum hunc trigesimum septimum annales veteres cōjiciunt, nulla clade funestum, aut præsente Dei ira notabilem, vt recentiores causæ nihil habuerint, cur illius Manes infestis calamis configerent; quorum næniæ etsi scriptorum coævorum silentio satis refutantur, è quibus nemo neque viventi Arnulpho neque mortuo dicam scripsit; tamen quia fama posthuma illorum malevolentiâ excitata pronis auribus excepta, Arnulpho, quod sæpe questi sumus, Mali cognomentum & diras imprecationes peperit, improbo stolidóque commento larvam, qua posteritati illusum est, detractum imus. Iam suprà à me demonstratum est, Bernonem, qui D. Vdalrici res gestas tertius scripsit, tragicis, quæ de Arnulpho cantantur, fabulis viam aperuisse, apud quem cùm vt monasteriorum expilator, suppressâ omni satisfactionis memoriâ, traduceretur, in eundem causa indicta condemnatum, atque, vt Berno nullo auctore scripsit, jam à cælitibus devotum licere sibi omnia existimarunt, rei publicæ interesse rati vitia flagellari, & nullam sceleratorum hominum

Regin. Contin.
Herman.
Hepidan.

ARNVLPHO MALI NOMEN QVOMODO PARTVM.

num frontem ſine ſtigmate eſſe. Primus ergo, quod quidem ſciam, Metellus Tegernſeenſis, qui D. Quirini Martyris eo in loco conditi laudes non ignobili verſu, vt illa ferebant tempora, ſcripſit, parum poëticè facturum ſe credidit, niſi talis viri memoriâ omnib. probris proſciſſâ, infames mortuo exequias duxiſſet, concinnatâ in hunc modum fabulâ.

METELLVS POETA IN ARNVLPHI FAMAM GRASSATVS.

DE GENERE MORTIS ARNVLPHI, FABVLÆ.

Metellus in Quirinal. t. I. ant. lect. Canis.

Expilatis BOICÆ monaſterijs, & ad vltimam inopiam redactis Arnaldus (hoc enim nomine Arnulphum appellat) ex ſacrilega præda nobilitatem ditaturus diem Ratisbonæ equeſtri ordini velut ſtipendijs numerãdis edixerat; quò cùm frequentes convolaſſent, Vdalricus Auguſtanus Pontifex rem peſſimi exempli auctoritate ſua diſcuſſurus, eodem conceſſit; qui cùm apud obfirmatum animum rationibus locum non eſſe animadverteret, certa mortis in alterum diem oppetendæ denunciatione frangere pervicaciam eſt aggreſſus: ſed neque omen aliter, quàm delirantis ſomnium exceptum exploſúmque; adornatúmq; tantò ſtudioſiùs epulum eſt, ad oraculum Epiſcopi vino ſepeliendũ, ad quod vates

vates ipse, etsi ludibrij potiùs, quàm honoris causa vocatum se nosset, non invitus condixit. Dux cùm plus paulò adbibisset, intempestivè vrbanus nescio quid lautitiarum Vdalrico per structorem transmisit, ísque, vti edoctus erat, ne, inquit, ignores Arnulphum vivere, hoc ab illius manu est. Vdalricus pauca verba, sed cum gemitu, reddidit; Nescit tamen Arnulphus, quid serus vesper vehat: atque vtinam non cum sole occidat! simul cum dicto vaticinij fides impleri, mutari rerum facies, dux vltimis cruciatibus corripi, & sub vindice Dei manu succumbere atque occumbere. neque sic tamen correcta est militaris avaritia: rigentem jam & divinæ iræ notas exanimi corporo circumferentem, velut etiamnum vivum circumsistunt, & à mortua manu promissa stipendia improbásque spes repetunt. Cadaver S. Emmerammi templo illatum, tumulóque hoc carmen epitaphium additum,

Vivus pollebam, faciens quæcunque volebam:
Iam nihil or sub humo, sic perit omnis homo.

Hæc Metelli poëtæ narratio est, quam ne dubitari posset ex Bernonis schedis

teste, explicaretur, vt proinde necesse fuerit pictorum fictorúmque calumnias hac veritatis spongia abstergere.

ARNVLPHI FILII PATRIS PRINCIPATVM AD SE RAPIVNT. *Herman.* *Regino.* *Witichind.*

BERTHOLDVS ARNVLPHI FR. DVX BOIARIÆ.

Arnulphi mortem magni in BOIARIA motus sunt consecuti; Eberhardus, Arnulphus, & Hermannus ejusdem filij BOIARIÆ principatum velut hæreditario ad se jure morte parentis devolutū, contempta Othonis regis authoritate, sibi vindicabant: cùm eum Otho Bertholdo Arnulphi fratri compertæ fidei tradidisset, filijs Arnulphi ad virtutis eorum experimentum capiendum aulam & castra sequi jussis: quibus obsequium dedignantibus, etiam provincia in partes discessit, alijs judicium imperatoris sequentibus, alijs juvenum ambitioni emancipatis; quorum studia hactenus valuere, vt Eberhardus nomē titulúmq; principis non apud suos tantùm, sed exteros etiam tulerit: summúsque Christiani orbis pater Romanus pontifex Leo VII. eum Ducem BAIOARIORVM literis publicis appellarit. nam cum hoc ipso

BERTHOLDVS ARN. FR. AB OTHONE PRINC. BOIARIÆ INAVGVRATVR.

EBERHARDVS ARN. F. NOMEN PRINCIPIS TVLIT.

ipſo tempore Gerardus Batavenſis Antiſtes, amiſſam ſub Carolo Magno Archiepiſcopatus dignitatem Eccleſiæ ſuæ poſtliminio vindicaturus Romam abijſſet, Pontificémque Maximum in ſententiam ſuam adduxiſſet, illius literis munitus in BOIARIAM reverſus eſt; quarum primis pallij induendi poteſtas eidem permittitur, & inſigniores boni prę́ſulis notæ vivis coloribus exprimuntur: alteræ Egilolpho Iuvavienſi, Iſingrino Ratisbonenſi, Lantberto Friſingenſi, Wiſundo Sebonenſi Epiſcopis inſcriptæ eoſdem officij ſui commonefaciunt, & ſuper ambiguis quæſtionibus reſponſa continent; in quarum calce tutela patrociniúmque Gerardi Eberhardo imponitur, his ipſis verbis: *Præter hæc Eberhardo Duci* BAIOARIORVM *noſtra autoritate iniungimus, vt præfato Gerardo Archiepiſcopo in omnibus auxilium præſtet, vt ſua Eccleſiæ ſtatus & rectitudo ac proprius vigor ad integrum culmen & priſcum decorem ſuo iuvamine valeat pervenire, ſi Dei* in-

GERARDVS PATAV. EP: PALLIVM RECVPERAT.

Ap. Gevvold. in Metrop. Salub.

no itinere Pontificiáque inauguratione cogitantem mors oppressit. Maximi principis occasum etiam sol lugere creditus est, quando repentè sereno cælo hebescens cruentos radios vibravit: mons etiam, juxta quem conditus est, flammas multis in locis vomuit, æquè tristi portento. Successorem sibi vivus Othonem filium nominavit: etsi, quòd ante susceptum à patre regnum editus esset, Henricus frater ei præferendus videretur, quæ vna ratiúcula magnos motus concitavit. Inauguratio Othonis Aquisgrani insigni pompa instituta fuit, summis vtriusque ordinis viris præsentibus: sacerdotum familiam Moguntinus, Coloniensis, Trevirensísque Antistites duxere; Moguntinus Othonem vnxit. Giselbertus Lotharingiæ Dux præfectus prætorio est, quod AquæGraneæ ab eo iura acciperent. Euerhardus Franco epularũ, Herimãnus Sueviæ Dux Pincernarũ, Arnulph9 Boi vs equitũ magistri fuere, iã tũ repertâ aliquâ imagine illustrium obsequiorum, quæ postea Electoribus Septemviris imposita illorum titulos dignitatésque auxere. Ferax civilium

OTHO IN REGNO PATRI SVCCEDIT.

INAVGVRATIO OTHONIS.

VVitichin.l.2.

lium externorúmque bellorum Othonis imperium fuit; quæ cùm pari felicitate confeciſſet, non immeritò fortiſſimis Ducib. adnumeratus Magni cognomentum tulit: eorũm pars magna Boii fuere, iíque, quia ex ingenio imperióq; Ducum jam adverſa Othoni arma, jam ſocia tulere, vtramque fortunam, bono malóque ſuo juxtà experti. Primum Othoni bellum cum Boleslao Bohemorum impio Duce fuit, qui imperandi ambitione & Drahomiræ matris furijs inſtinctus Wenceslaum fratrem divinũ virum vita exuerat, parricidio in hoſpitali menſa peracto, ne quid ad ſummum ſcelus deeſſet. Auctus erat Boleslaus filiolo, qui Strachyquas à cruento hoc convivio dictus Ratisbonæ poſtea Monachum profeſſus eſt, vt ſuo loco ſumus dicturi; eum cùm ſacris abluere vndis decreviſſet pater, fratrem per ſpeciem cohoneſtandæ pompæ evocatum in luſtrica cœna obtruncavit. Impium facinus & ſua atrocitate & cæleſtibus inſuper prodigijs evulgatum, puro pióque bello vindicandum Otho putavit, ne fruſtra nuper in ſolenni inauguratione

OTHONIS BELLA.

BOLESLAVS BOHEMVS BELLO APPETIIVR.

Vvitich l. 2. Sigebert ann. 938.

Aen. Silu. hiſt. Bohem.

ab

ab Hildeberto Moguntino ſcelerum vltorem gladium accepiſſe videretur. vrgebat etiam privata neceſſitudo, quæ illi cum Wenceslao interceſſerat, vt qui iuvenis in Cæſarea aula verſatus admiranda virtutum omnium in ea documenta reliquerat. Et quidem Dubravius Othoni iam Cæſari viſum Wenceslaum medium inter duos cæleſtes genios inambulantem ſcripſit; quod ratio temporum non patitur & neceſſariò ad Henricum Aucupem Othonis patrem promovendum eſt; cùm neque Wormatiæ, vbi hæc geſta ſcribuntur, coacta ab Othone comitia fuerint, & VVenceslai mors in Othoniani imperij initia inciderit, cùm ad res à VVenceslao, poſt comitia, geſtas vtique tempus longius requiratur. Nam cùm pro maximo munere D. Viti brachium Corbeiæ in Saxonia aſſervatum à Cæſare impetraſſet, illi recondendo magnificam Pragæ ædem ſtruxit.

D. WENCESLAI VIRTVTES.

Hiſt. Boh. l. 4.

X. Bello Bohemico, alternante fortuna, in decimum quartum extracto annũ, niſi quà res BOICÆ illi innexæ ſunt, immorari nihil eſt neceſſe, revocante nos domum Arnulphi morte, quam in annum

Sigebert. *VVitichind.*

ARNVLPHI BOICÆ PRINC. MORS.

annum hunc trigesimum septimum annales veteres cõjiciunt, nulla clade funestum, aut præsente Dei ira notabilem, vt recentiores causæ nihil habuerint, cur illius Manes infestis calamis configerent; quorum næniæ etsi scriptorum coævorum silentio satis refutantur, è quibus nemo neque viventi Arnulpho neque mortuo dicam scripsit; tamen quia fama posthuma illorum malevolentiâ excitata pronis auribus excepta, Arnulpho, quod sæpe questi sumus, Mali cognomentum & diras imprecationes peperit, improbo stolidóque commento larvam, qua posteritati illusum est, detractum imus. Iam suprà à me demonstratum est, Bernonem, qui D. Vdalrici res gestas tertius scripsit, tragicis, quæ de Arnulpho cantantur, fabulis viam aperuisse, apud quem cùm vt monasteriorum expilator, suppresśâ omni satisfactionis memoriâ, traduceretur, in eundem causa indicta condemnatum, atque, vt Berno nullo auctore scripsit, jam à cælitibus devotum licere sibi omnia existimarunt, rei publicæ interesse rati vitia flagellari, & nullam sceleratorum hominum

Regin. Contin. Herman. Hepidan.

ARNVLPHO MALI NOMEN QVOMODO PARTVM.

num frontem ſine ſtigmate eſſe. Primus ergo, quod quidem ſciam, Metellus Tegernſeenſis, qui D. Quirini Martyris eo in loco conditi laudes non ignobili verſu, vt illa ferebant tempora, ſcripſit, parum poëticè facturum ſe credidit, niſi talis viri memoriâ omnib. probris proſciſſâ, infames mortuo exequias duxiſſet, concinnatâ in hunc modum fabulâ.

METELLVS POETA IN ARNVLPHI FAMAM GRASSATVS.

DE GENERE MORTIS ARNVLPHI, FABVLÆ.

Metellus in Quirinal. t. I. ant. lect. Canis.

Expilatis BOICÆ monaſterijs, & ad vltimam inopiam redactis Arnaldus (hoc enim nomine Arnulphum appellat) ex ſacrilega præda nobilitatem ditaturus diem Ratisbonæ equeſtri ordini velut ſtipendijs numerãdis edixerat; quò cùm frequentes convolaſſent, Vdalricus Auguſtanus Pontifex rem peſſimi exempli auctoritate ſua diſcuſſurus, eodem conceſſit; qui cùm apud obfirmatum animum rationibus locum non eſſe animadverteret, certa mortis in alterum diem oppetendæ denunciatione frangere pervicaciam eſt aggreſſus; ſed neque omen aliter, quàm delirantis ſomnium exceptum exploſúmque; adornatúmq; tantò ſtudioſiùs epulum eſt, ad oraculum Epiſcopi vino ſepeliendũ, ad quod vates

vates ipse, etsi ludibrij potiùs, quàm honoris causa vocatum se nosset, non invitus condixit. Dux cùm plus paulò adbibisset, intempestivè vrbanus nescio quid lautitiarum Vdalrico per structorem transmisit, ísque, vti edoctus erat, ne, inquit, ignores Arnulphum vivere, hoc ab *illius* manu est. Vdalricus pauca verba, sed cum gemitu, reddidit; Nescit tamen Arnulphus, quid serus vesper vehat: atque vtinam non cum sole occidat! simul cum dicto vaticinij fides impleri, mutari rerum facies, dux vltimis cruciatibus corripi, & sub vindice Dei manu succumbere atque occumbere. neque sic tamen correcta est militaris avaritia: rigentem jam & divinæ iræ notas exanimi corpore circumferentem, velut etiamnum vivum circumsistunt, & à mortua manu promissa stipendia improbásque spes repetunt. Cadaver S. Emmerammi templo illatum, tumulóque hoc carmen epitaphium additum,

Vivus pollebam, faciens quæcunque volebam:
Iam nihil or sub humo, sic perit omnis homo,

Hæc Metelli poëtæ narratio est, quam ne dubitari posset ex Bernonis schedis

concinnatam, etiam duorum ensium prodigium, quod D. Vdalrico objectum ipse scripsit, imperita, vti sæpius ostendimus, interpretatione, ad Arnulphum detorsit; Neque sic tamen posteritatis odia exsatiavit: secuti enim Metellum poëtam sunt fabulatores longè virulentiores, qui Arnulpho etiam evocatorum in Germaniam Vngarorum proditæq; barbaris patriæ scelus impegerunt; &, vt mortem illius funestiorem facerent, à Cacodæmone palàm spectabili fractam illi cervicem commenti sunt, raptatum etiam à stygijs Libitinarijs cadaver, & in arundinetum Schyrensi cœnobio proximum abjectum fuisse, quòd solus ille Schyrensem arcem familiæ suæ cunabula Deo dicari, & in Monasterium transformari noluerit. Ea in narratione liquidò duplex calumniatorum inscitia deprehenditur: qua enim verisimilitudine excitorum in Germaniam Vngarorum reus peragatur, qui totos illorum exercitus, vti suo loco ostensum est, ad Oenum flumen concidit? Putidius etiam est, quod de Schyrensi arce fabulantur, vt quæ illo vivente necdum

Bruschius de Laureac. p. 100.

CALVMNIA EVOCATORVM VNGARORVM ARNVLPHVS LIBERATVR.

stetit

ſtetit quidem, centúmque & quadraginta demum ab Arnulphi morte annis in domicilium pietatis verſa eſt; vt proinde aut frontem illis aut omnino cor defuiſſe neceſſe ſit, qui ſui ſæculi ſimplicitate abuſi à veritate inermes ſoláque impudentia fortes in famam Optimi Principis incurrerunt: quem ſi aliquando vel adoleſcentiæ fervor, aut innata magnis ingenijs gloriæ cupiditas, alieníque imperij impatientia ad turbida conſilia & non neceſſarium bellum deduxit, etſi malefactorum patrocinium non ſuſcipimus, negamus tamen talia eſſe, ad quæ vindicanda carnifices ex Orco accerſendi fuerint: quanquam capitales iſti funeſtíque ſcriptores harum rerum cauſa diem illi non dixerunt, ſed confictis criminibus, quorum teſtem excitare nullum poſſunt, bellum iam mortuo fecerunt; &, quia innocentiæ cauſam nemo ſuſcepit, publicè de maximo principe triumpharunt. Imò vt felicis impudentiæ trophæum palàm extaret, id etiam impetrarunt, vt olim in ipſa principum BOIORVM Regia Monachij, arte pictoris tota Arnulphi fabula, Bruſchio teſte, *Bruſch. de Laur:*

teste, explicaretur, vt proinde necesse fuerit pictorum fictorúmque calumnias hac veritatis spongia abstergere.

ARNVLPHI FILII PATRIS PRINCIPATVM AD SE RAPIVNT.
Herman.
Regino.
VVitichind.

BERTHOLDVS ARNVLPHI FR. DVX BOIARIÆ.

BERTHOLDVS ARN. FR. AB OTHONE PRINC. BOIARIÆ INAVGVRATVR.

Arnulphi mortem magni in BOIARIA motus sunt consecuti; Eberhardus, Arnulphus, & Hermannus ejusdem filij BOIARIÆ principatum velut hæreditario ad se jure morte parentis devolutū, contempta Othonis regis authoritate, sibi vindicabant : cùm eum Otho Bertholdo Arnulphi fratri compertæ fidei tradidisset, filijs Arnulphi ad virtutis eorum experimentum capiendum aulam & castra sequi jussis : quibus obsequium dedignantibus, etiam provincia in partes discessit, alijs judicium imperatoris sequentibus, alijs juvenum ambitioni emancipatis ; quorum studia hactenus valuere, vt Eberhardus nomē titulúmq; principis non apud suos tantùm, sed exteros etiam tulerit : summúsque Christiani orbis pater Romanus pontifex Leo VII. eum Ducem BAIOARIORVM literis publicis appellarit. nam cum hoc

EBERHARDVS ARN. F. NOMEN PRINCIPIS TVLIT.

ipſo tempore Gerardus Batavenſis Antiſtes, amiſſam ſub Carolo Magno Archiepiſcopatus dignitatem Eccleſiæ ſuæ poſtliminio vindicaturus Romam abijſſet, Pontificémque Maximum in ſententiam ſuam adduxiſſet, illius literis munitus in Boiariam reverſus eſt; quarum primis pallij induendi poteſtas eidem permittitur, & inſigniores boni præſulis notæ vivis coloribus exprimuntur: alteræ Egilolpho Iuvavienſi, Iſingrino Ratisbonenſi, Lantberto Friſingenſi, Wiſundo Sebonenſi Epiſcopis inſcriptæ eoſdem officij ſui commonefaciunt, & ſuper ambiguis quæſtionibus reſponſa continent; in quarum calce tutela patrociniúmque Gerardi Eberhardo imponitur, his ipſis verbis: *Præter hæc Eberhardo Duci* Baioariorvm *noſtra autoritate iniungimus, vt præfato Gerardo Archiepiſcopo in omnibus auxilium præſtet, vt ſuæ Eccleſiæ ſtatus & rectitudo ac proprius vigor ad integrum culmen & priſcum decorem ſuo iuvamine valeat pervenire, ſi Dei in-*

Gerardvs Patav. Ep: pallivm recvperat.

Ap. Gevvold. in Metrop. Salub.

indulgentiâ & S. Petri etiam, suorum delictorum à nobis vult accipere remissionem. Quæ verba Aventinus improbè in eam sententiam interpretatur, quasi Eberhardum vice sua fungi Rom. Pontifex voluisset. sed & vtramque epistolam cùm alijs verbis reddidisset, fecit profectò, quod araneus in rosa, & pro candidissima oratione dirum carmen & mera venena in sacrum ordinem vomuit verissimus seculi nostri Lucianus. equidem nisi epistolæ Pontificis in manibus essent, repræsentandas vel eo nomine censuissem, vt palàm fieret, qua fide candoréque in veterum scriptis sacris iuxtà profanísque vir ille versatus sit, cui vtrumque & bene dicere & vera loqui tormentum fuit. Vngari interim tempori insidiantes, nostris privatæ ambitioni præ repub. studentibus, vno furoris sui impetu BOIARIAM, Alemanniam, Orientalémque Franciam pervagati, transito Wormatiæ Rheno, Alsatiam Lotharingiam & Galliam omnem pessimis modis multarunt; ægrè cursum Oceanus stitit; à quo aversi in Burgundiam Italiámque, vbique paria fecerunt, totius orbis terrarum sanguisugæ.

Apud Gevvoldum in Hund. Metrop. & post Chronicon Reicherspergense.

VNGARI BOICAM VASTANT.

Herman.

Anno

Anno proximo, qui trigesimus octavus fuit, expeditionem duplicem Otho in BOIARIAM suscepit ad regulorum fratrum feroces spiritus & insolentem in rapto imperio fastum contundendum: sed prioris apparatus irritus fuit; alterâ Eberhardus in potestatem redactus intempestivum regnum exilio mutavit: factiosis reliquis ad officium redeuntibus, vnus Arnulphus imperium aspernatus est. Per eadem tempora Othone Reginoburgi provinciæ ordinandæ intento, Conradus eius vrbis semestrem pontificatum post Isingrinum gestum morte deseruerat; cui cùm suffragatione Othonis successor dandus esset, éa ipsa super re deliberanti somnus obrepsit, secundum quem moneri sibi visus est, illi mitram destinari, qui templum postera die ingressuro primus omnium occurrisset: id omen etsi exiguum haberet argumentum virtutis, quia tamen valuisse in simili causa, & Nicolaum Myrensem eodem indicio captum pontificem meminisse poterat, statuit in eo sibi acquiescendum. Primo diluculo D. Emmerammi Martyris ædem paucis

ANN. DCCCCXXXVIII

Reginonis Appendix. Herman. Sigeb. A. 939.

DVPLEX OTHONIS CONTRA BOIOS EXPEDITIO.

ARNVLPHVS ARN. F. OTHONI REBELLIS.

Hund. Metrop.

GVNTHERI EPISC. RATISBON. MIRA ELECTIO.

Ditmar. l. 2.

cis comitantibus petentem Guntherus religiosissimus vir & templi æditimus apertis foribus admisit. illic numen rite precatus, vt omen secundaret, renidente vultu ex Gunthero quærit, quonam munere suffragij sui prærogativam ad Episcopatum nanciscendum esset redempturus? Guntherus sive ludi se credidit, sive palàm facere voluit, quàm procul ab honorũ ambitione abesset, Quid enim aliud pro ornamento capitis auferas, inquit, quàm tegumentum pedis? nimirum infulam, crepidâ remunerabor. Magnæ indolis specimen rex è candore responsi cepit, multísque tantæ spei imminentibus, Guntherum Episcopum designavit, qui mitram & calceum eodem loco habuisset. neque verò à seipso deinceps degeneravit, in id vnum intentus, quomodo eo magistratu quàm citissimè defungeretur; damnatúsque à Deo voti lecto primùm affixus est; ex quo cùm se erexisset, haustum vtraque manu cinerem, vbi exuere mortalitatem optabat, raro modestiæ exemplo, sibi substravit, cúmque crucis in eo signum exarasset, sese superinijciens cy-

gnæa

gnæa voce illud Iobi carmen cecinit, *Auditu auris audivi te, Domine, nunc autem oculus meus vidit te; idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.* quas inter voces, emaculato priùs, Christiano ritu, animo, vivere desijt, etiam antecessoris sui oraculo expleto, qui ei cedere se mitram dixit, quam Deus mox æternitatis corona esset mutaturus. neque fefellit oraculum. sextus illum mensis è cinere in cælum transtulit, infulâ Michaeli relictâ.

Rebus in BOICA compositis, bellum indignis auctoribus conflatum est: Everhardus Conradi regis frater, & Giselbertus Lotharingus Othonis sororius Henricum eiusfratrem suopte ingenio regni avidum admotis cupiditati facibus ad spes suas armis repetendas inflammarunt. sed malum consilium consultoribus pessimum, vtriusque morte, & infelicis juvenis vltimis calamitatibus expiatum est. Parvula primùm Othonis manus instructissimas hostium copias cecidit fugavítque, Othone interim ante sacram lanceam de genu solis precibus pu-

Reginon. Append.
Sigebertus.
CIVILE BELLVM CONTRA OTHONEM.

OTHO PIETATE TRIVMPHAT.

pugnante, renovatáque Constantini felicitate, nobilis signi auspicijs triumphãte. Recrudnit nihilominus paulò pòst bellum, accitus à conjuratis è Gallia Ludovicus rex nova auxilia adduxit, vt brevi rebus omnibus superiores viderentur. Otho Brisaco adsidebat vrbi hostili, beneficióq; naturæ propè inexpugnabili: castra illius quotidianis transfugiis nudabantur; amicorum aut dubia fides erat, aut fracti animi, pluresque ad fugam quàm pugnam hortatores: vni illi in summis rerum difficultatibus imperterrita mens & cælo affixa; inde solita auxilia exspectanti, & commodùm placandi numinis causâ ædem sacram adeunti, victoriæ nuncius nullo suorum incommodo partæ obvius fertur, ex quo cognitum est, conjurationis auctores perfidiæ pœnas morte dedisse: vtriusq; interfecti laudẽ Ekkehardus vetus scriptor Cunoni attribuit, qui Conradus alijs vocatur à staturæ brevitate Curzipoldi cognomentum adeptus: is regio ortus genere animum majorem corpore gerens ea virtutis specimina ediderat, vt patrijs etiam carminibus nihil esset pumi-

Witichind. Luit. l. 4. c. 11. Herman. Reginon. Ap pend.

REBELLIONIS AVTORES OCCISI.

Aleman. rer. t. 1. c. 5.

CVNONIS BREVIS HEROICA FACTA.

pumilo illo heroe celebratius; nam & leonem olim, effracto carcere, in regem irruentem ferro excepisse straviſſéque, Slavum etiam gigantee molis ex provocatione cum eo congressum lancea confixisse ferebatur. Hunc ergo viginti dūtaxat armatis stipatum ingentem in castris stragem fecisse, Everhardum levitatis increpitum ferro obtruncasse, navigium etiam, in quod Gisalbertus cum pluribus refugerat, hastâ in latus intortâ evertisse, auctor, quem suprà nominavi, tradidit. Otho victoriam Deo gratulatus proximo confestim die lætitiæ suæ Bertholdum BOIVM amicorum principem & spectatæ in aduersis rebus fidei participat: &, quòd conjugii expertem nôrat, sororem illi suam Gerbirgam Giselberti viduam, aut si conditio illa displiceret, natam ex ea filiam propè jam maturam viro vltro offert. Bertholdus nuncio & sponsione exhilaratus conjugium virginis optavit, & paulò pòst, anno scilicet quadragesimo tertio, Vngaros ingenti clade affecit. Dubium scriptores faciunt, vnóne ex loco an duobus relata victoria fuerit, cùm aliqui in Caran-

Luitpr. l. 4, c. 18.

BERTHOLDI BOICÆ PRINCIPIS CONIVGIVM.

ANN. DCCCCXLIII. VNGARI A BERTHOLDO CÆSI.

Herman. Vvitichind. Hepidan. Append. Reginon.

Carantanis BOIORVM imperio ſubjectis affirment, alij proprium id BOIORVM decus faciant. Apud Aventinum certè omnia congeminarunt, qui inſuper regiones campóſq; deſignat, in quibus hoſti eſt occurſum. Victoriæ huic veteres annales magno conſenſu applaudunt: nam Hepidannus internecione deletas hoſtiles copias ſcripſit, &, qui Reginonem appendice auxit, negat gravius vnquam vulnus barbaros accepiſſe: Witichindus denique eo triumpho Bertholdi nomen longè latéque inclaruiſſe auctor eſt: etſi illi fructu ejus gloriæ diu frui non licuit: quadrageſimo enim ſeptimo, aut, ſecundum Reginonis appendicem, quinto, rebus humanis exceſſit, vir quantavis fortuna, longiore certè vita digniſſimus. Eius morte in BOICA iterum forma reipub. mutata eſt; quando per Saxones aliquammultos deinceps annos adminiſtrata eſt, vt proximo libro ſumus dicturi. Sub hoc tempus etiam Gerhardus Batavenſis Antiſtes vivendi finem fecit, cui ob recuperatam Archiepiſcopi dignitatem Heroldus Salisburgenſis longam litem movit, quam

ANN. DCCCCXLV. vel VII.

BERTHOLDVS BOICÆ PRINCEPS MORITVR.

Regin. Append. Herm. Sigebert.

GERHARDI EPISC. PASSAV. MORS.

Agapi-

Agapitus Rom. Pont. æquo jure ita decidit, vt divisis Norici provincijs, quæ Occidentem spectant, à Salisburgensi sacra & jura acciperent, Orienti viciniores Laureacensis Metropolitæ imperium agnoscerent, propter emeritam, vt pontifex loquitur, illius Ecclesiæ sanctitatem, cui Iuniorum reverentiam assurgere fas sit. At enim quia successoribus in jure suo propugnando propagandóque constantia defuit, haud ita multo pòst sub Salisburgensis Ecclesiæ imperium omnia reciderunt.

Literæ extant apud Gevvold. in Metrop. Salisb.



VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM

LIBER VIII.

Breviarium rerum Geſtarum.

HENRICO I. HENRICI AVCVPIS F. OTHONIS M. FRATRE.

HENRICO II. HENR. I. FILIO PIO ITEMQVE RIXOSO DICTO.

OTHONE I. LVDOLPHI F. OTHONIS MAGNI N.

HENRICO III. OTHONIS FILIO QVI MINOR DICTVS EST.

HENRICO II. ITERVM HENRICO IV. SECVNDI FILIO CÆSARE, PRINCIPIBVS BOIARIÆ.

BOIARIÆ *Principatum, exclusis Arnulphi filijs, Henricus Othonis M. Frater, annitente Mathilde Matre, adit. Initia honoru triumphis condecorat: Ludolpho Fratris F. odium in Italia conflat; eius vicißim inimicitijs deinde etiam armis appetitur, universa propè* BOIARIA *ad eum desciscente. Arnulphi Schyrensis perfidiâ, qui etiam D. Vdalricum Augustanum Episcopum impio sed infelici bello fatigavit. per eandem occasionem Vngari in* BOICAM *stipendijs Heroldi Salisburg. Archiep. allecti, quem ob perfidiam Henricus luminibus privavit. Ratisbona belli sedes omnibus conflictata malis, Arnulpho Schyrensi in pugna cæso, deniq; in potestatem venit. bellum in Suevia finitum.* I.

Ratisbona post incendium iterum rebellans armis & fame domita ad officium II.

cium redit. Vngari in campis Lycatibus memorabili prælio funduntur. Mortuo Henrico I. BOIARIAE *Duci Henricus II. Filius succedit. Otho, Ludolpho Filio in Italia mortuo, memorabili convivio Ratisbonæ acto, profectus in Italiam Imperator salutatur. Pontificem loco movet pravorum hominum consilijs abreptus. Othone Filio in societatem Imperij adscito brevi defungitur; cùm iam D. VVolfgangus in* BOIARIAM *immigrasset Ratisbonæ Episcopus futurus. Eberspergensium Regulorum stemma & res memorabiles.*

III. *Henricus* BOIVS *Abrahamo Frisingensi Episcopo impulsore, imperio inhians Principatu excidit. Is Othoni Ludolphi F. contribuitur. Apud Vngaros prima Christianæ Pietatis semina, Pilegrini Batavensis operâ, iacta sunt. Henricus Passavij oppressus in Traiectensem custodiam mittitur. Otho Lotha-*

tharium Regem Galliæ Germaniâ exigit & incolumem exercitum, D. VVolfgangi ope, in patriam reducit. Romam cum Othone BOIARIÆ *Principe profectus cruento convivio populorum Italiæ à se animos alienat. Ex victore fugitivus factus ægrè hostium manibus elabitur. Othoni* BOIO, *post infelicem pugnam, mortuo Henricus Filius Minor dictus in Principatu* BOIARIÆ *sufficitur. Henricus Maior custodia liberatus, adducto in potestatem Othone Cæsare, iterum Imperium ambit, Regis nomine assumpto, quod tamen diu tueri non potuit, Othonis gratia & iure prævalentibus.*

Henricus BOIARIA *recuperatâ Rixosi nomen abolet, Pij resumit. Liberos D. VVolfgango in disciplinam dat. Strahyquæ triste, VVolfgangi sanctum funus. eius virtutes Hartvvicus Archiepiscopus Salisburg. & Gothardus* IV.

Vvitichind. Luit.l.4.c.11. Herman. Reginon. Append.

pugnante, renovatáqueConſtantini felicitate, nobilis ſigni auſpicijs triumphãte. Recruduit nihilominus paulò pòſt bellum; accitus à conjuratis è Gallia Ludovicus rex nova auxilia adduxit, vt brevi rebus omnibus ſuperiores viderentur. Otho Briſaco adſidebat vrbi hoſtili, beneficióq; naturæ propè inexpugnabili: caſtra illius quotidianis transfugiis nudabantur; amicorum aut dubia fides erat, aut fracti animi, pluréſque ad fugam quàm pugnam hortatores: vni illi in ſummis rerum difficultatibus imperterrita mens & cælo affixa; inde ſolita auxilia exſpectanti, & commodùm placandi numinis causâ ædem ſacram adeunti, victoriæ nuncius nullo ſuorum incommodo partæ obvius fertur, ex quo cognitum eſt, conjurationis auctores perfidiæ pœnas morte dediſſe: vtriuſq; interfecti laudẽ Ekkehardus vetus ſcriptor Cunoni attribuit, qui Conradus alijs vocatur à ſtaturæ brevitate Curzipoldi cognomentum adeptus: is regio ortus genere animum majorem corpore gerens ea virtutis ſpecimina ediderat, vt patrijs etiam carminibus nihil eſſet pumi-

REBELLIONIS AVTORES OCCISI. *Aleman.rer. t.1 c.5.*

CVNONIS BREVIS HEROICA FACTA.

pumilo illo heroe celebratius; nam & leonem olim, effracto carcere, in regem irruentem ferro excepisse stravisséque, Slavum etiam gigantęę molis ex provocatione cum eo congressum lancea confixisse ferebatur. Hunc ergo viginti dũtaxat armatis stipatum ingentem in castris stragem fecisse, Everhardum levitatis increpitum ferro obtruncasse, navigium etiam, in quod Gisalbertus cum pluribus refugerat, hastâ in latus intortâ evertisse, auctor, quem suprà nominavi, tradidit. Otho victoriam Deo gratulatus proximo confestim die lætitiæ suæ Bertholdum BOIVM amicorum principem & spectatæ in aduersis rebus fidei participat: &, quòd conjugii expertem nôrat, sororem illi suam Gerbirgam Giselberti viduam, aut si conditio illa displiceret, natam ex ea filiam propè jam maturam viro vltro offert. Bertholdus nuncio & sponsione exhilaratus conjugium virginis optavit, & paulò pòst, anno scilicet quadragesimo tertio, Vngaros ingenti clade affecit. Dubium scriptores faciunt, vnóne ex loco an duobus relata victoria fuerit, cùm aliqui in Caran-

Luitpr. l. 4. c. 18.

BERTHOLDI BOICÆ PRINCIPIS CONIVGIVM.

ANN. DCCCCXLIII.

VNGARI A BERTHOLDO CÆSI.

Herman. Witichind. Hep. dan. Append. Reginon.

Carantanis BOIORVM imperio subjectis affirment, alij proprium id BOIORVM decus faciant. Apud Aventinum certè omnia congeminarunt, qui insuper regiones campósq; designat, in quibus hosti est occursum. Victoriæ huic veteres annales magno consensu applaudunt: nam Hepidannus internecione deletas hostiles copias scripsit, &, qui Reginonem appendice auxit, negat gravius vnquam vulnus barbaros accepisse: Witichindus denique eo triumpho Bertholdi nomen longè latéque inclaruisse auctor est: etsi illi fructu ejus gloriæ diu frui non licuit: quadragesimo enim septimo, aut, secundum Reginonis appendicem, quinto, rebus humanis excessit, vir quantavis fortuna, longiore certè vita dignissimus. Eius morte in BOICA iterum forma reipub. mutata est; quando per Saxones aliquammultos deinceps annos administrata est, vt proximo libro sumus dicturi. Sub hoc tempus etiam Gerhardus Batavensis Antistes vivendi finem fecit, cui ob recuperatam Archiepiscopi dignitatem Heroldus Salisburgensis longam litem movit, quam

ANN. DCCCCXLV. vel VI. BERTHOLDVS BOICÆ PRINCEPS MORITVR. *Regin. Append. Herm. Sigebert.* GERHARDI EPISC. PASSAV. MORS.

Agapi-

Agapitus Rom. Pont. æquo jure ita decidit, vt divisis Norici provincijs, quæ Occidentem spectant, à Salisburgensi sacra & jura acciperent, Orienti viciniores Laureacensis Metropolitæ imperium agnoscerent, propter emeritam, vt pontifex loquitur, illius Ecclesiæ sanctitatem, cui Iuniorum reverentiam assurgere fas sit. At enim quia successoribus in jure suo propugnando propagandóque constantia defuit, haud ita multo pòst sub Salisburgensis Ecclesiæ imperium omnia reciderunt.

Literæ extant apud Gevvold. in Metrop. Salisb.



VIR-

VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM

LIBER VIII.

Breviarium rerum Gestarum.

HENRICO I. HENRICI AVCVPIS F. OTHONIS M. FRATRE.

HENRICO II. HENR. I. FILIO PIO ITEMQVE RIXOSO DICTO.

OTHONE I. LVDOLPHI F. OTHONIS MAGNI N.

HENRICO III. OTHONIS FILIO QVI MINOR DICTVS EST.

HENRICO II. ITERVM HENRICO IV. SECVNDI FILIO CÆSARE, PRINCIPIBVS BOIARIÆ.

BOIARIÆ Principatum, exclusis Arnulphi filijs, Henricus Othonis M. Frater, annitente Mathilde Matre, adit. Initia honoru triumphis condecorat: Ludolpho Fratris F. odium in Italia conflat; eius vicissim inimicitijs deinde etiam armis appetitur, universa propè BOIARIA ad eum desciscente. Arnulphi Schyrensis perfidiâ, qui etiam D. Vdalricum Augustanum Episcopum impio sed infelici bello fatigavit. per eandem occasionem Vngari in BOICAM stipendijs Heroldi Salisburg. Archiep. allecti, quem ob perfidiam Henricus luminibus privavit. Ratisbona belli sedes omnibus conflictata malis, Arnulpho Schyrensi in pugna cæso, deniq. in potestatem venit. bellum in Suevia finitum. I.

Ratisbona post incendium iterum rebellans armis & fame domita ad officium II.

cium

cium redit. Vngari in campis Lycatibus memorabili prælio funduntur. Mortuo Henrico I. BOIARIAE *Duci Henricus II. Filius succedit. Otho, Ludolpho Filio in Italia mortuo, memorabili convivio Ratisbonæ acto, profectus in Italiam Imperator salutatur. Pontificem loco movet pravorum hominum consilijs abreptus. Othone Filio in societatem Imperij adscito brevi defungitur; cùm iam D. VVolfgangus in* BOIARIAM *immigrasset Ratisbonæ Episcopus futurus. Ebersbergensium Regulorum stemma & res memorabiles.*

III. *Henricus* BOIVS *Abrahamo Frisingensi Episcopo impulsore, imperio inhians Principatu excidit. Is Othoni Ludolphi F. contribuitur. Apud Vngaros prima Christianæ Pietatis semina, Pilegrini Batavensis operâ, iacta sunt. Henricus Passavij oppressus in Traiectensem custodiam mittitur. Otho Lotha-*

tharium Regem Galliæ Germaniâ exigit & incolumem exercitum, D. VVolfgangi ope, in patriam reducit. Romam cum Othone BOIARIÆ *Principe profectus cruento convivio populorum Italiæ à se animos alienat. Ex victore fugitivus factus ægrè hostium manibus elabitur. Othoni* BOIO, *post infelicem pugnam, mortuo Henricus Filius Minor dictus in Principatu* BOIARIÆ *sufficitur. Henricus Maior custodia liberatus, adducto in potestatem Othone Cæsare, iterum Imperium ambit, Regis nomine assumpto, quod tamen diu tueri non potuit, Othonis gratia & iure prævalentibus.*

Henricus BOIARIA *recuperatâ Rixosi nomen abolet, Pij resumit. Liberos D. VVolfgango in disciplinam dat. Strahyquæ triste, VVolfgangi sanctum funus. eius virtutes Hartvvicus Archiepiscopus Salisburg. & Gothardus* IV.

Altahensis æmulantur. desiderium verò extincti Gebhardus successor diversis moribus in populo renovat. Henricus Princeps, misso cum mandatis in BOICAM *Henrico Filio, Gandershemij piè moritur.*

V. *Henricus* IV. *qui Sanctus dictus est, adito* BOICAE *Principatu oraculum de capessendo Regno Germaniæ à D. VVolfgango iam cælis recepto accipit. Gisela eius soror Stephano Vngaro nupta Religionem Christianam Regi regnóq; pro dote affert. Otho* III. *Romam profectus cum Gregorio* V. *Pontifice, qui Othonis* BOIARIAE *D. Filius fuit, Septemvirale Electorum Collegium instituit. Henricus Princeps S. Ramvvoldum tumulat, & Othonem in Italiam secutus Romæ obsessum liberat. delatū, eo vivo, Imperium respuit, mortuum vltimis pietatis officijs egregie colit.*

VI. *Henricus, redactis in potestatem Augu-*

Augustalibus insignibus, Imperio haud obscurè imminet. idem Eckhardus Thuringus & Hermannus Alemanniæ Dux tumultuosè ambiunt. Sed priore ex insidijs sublato, Henricus Cæsar salutatus: Hermannum bello persequitur, sed lento neq; ad ultima venturo. Hezelo interim Francus intempestiva cupiditate ab Henr: Principatum BOIARIAE *flagitat, eâq; spe depulsus rebellat. Diem Kunegundis Coronatæ tumultus militaris funestat. Hermannus, fastu deposito, Henrici Cæsaris clementiæ sese permittit. Is deniq;* BOIIS *redditus Principem Bohæmis suo arbitrio imponit.*

VII. *Itali sub Hardvvigi Tyrannide fatiscentes Henricum ad capessendam Italiæ coronam invitant. Missus eò Otho Carinthiæ Dux viribus Hardvvigo impar memorabili tamen cum illo prælio confligit. Hezelo Poloni contumaciam in Cæsarem acuit. sed bello petitus,*

provinciâ omni fortunisque exuitur. Exilij, quod sponte sibi consciverat, satur se suáq; Henrico dedit: qui, restituto Mersburgensi Episcopatu, BOIIS *Henricum Mosellanum Kunegundis Coniugis suæ Fratrem Principem imponit.*

GESTA SVNT HÆC
ab Anno CHRISTI
DCCCCXLVII.
vsq; ad MV.



Mœsta


œſta Bertholdi morte patria, inter Principis amiſſi deſideria incertioréſque de ſucceſſore ſpes, quàm metus, jactabatur; ipſo etiam Othone dubitante, quem Provinciæ præficeret, quæ crudeliſſimis obiecta hoſtibus, & ſub anniverſarijs bellis, aut infida pace fatiſcens clarum vtriſque artibus Principem deſiderabat. De Arnulphi filijs conclamatum jam erat; quorum pervicaciam neque flecti poſſe, neque rumpi quidem, ſine magno patriæ malo, ſpes vlla ſupererat. Arnulphi potiſſimùm inſanabilis erat furor, qui per hæc tempora Schyrenſem arcem molitus omnia ambitioni ſuæ munimenta conquirebat. Rebus ita ſuſpenſis, Mathildis Othonis mater conciliare Boicam Henrico alteri filiorum auſa eſt, jam olim illi addictior, &, ſi vota valuiſſent, eundem Regem præ Othone ſalutatura. Sed tot eius in fratrem maleficia extabant, vt, præter eorum pudorem & pœnitentiam, commendare in eo Mater nihil poſſet; nam & coronam illi profeſſis odijs & apertis bellis

ARX SCHIRA ARNVLPHI IVNIORIS OPVS.

MATHILDIS BOIARIAM HENRICO F. CONCILIAT.

bellis, vitam occultis insidijs, factioforum juxta & latronum dux & antesignanus ereptum iverat, vt nihil illi ad vltimum scelus & meditatum parricidium præter fortunam defuerit: quorum cùm recentissima esset memoria, evicit tamen matris reverentia, vt Principatus Henrico attribueretur. Ita BOICA, cùm anno septingētesimo octogesimo octavo, Thassilone abdicare coacto, sui sanguinis Principes habere desijsset, & à Carolo Magno ejúsque posteris aut certè propinquis gente Francis exinde jura accepisset; anno demum quadragesimo septimo supra nongentesimum, sub Saxonum, hujúsque, quem nominavimus, Henrici Imperium concessit; qui tamen omnino à BOIIS alienus censendus non est, cùm Iuditham Arnulphi, qui ante Bertholdum BOIIS præfuerat, filiam in coniugio habuerit, fœminam à formæ dignitate & singulari prudentia Witichindo laudatam, rarâ etiam, vti aliàs ostendetur, in Deum religione; vt par fuerit, fratribus à paterna dignitate depulsis, sorori, vel virtutis causâ, gloriæ hæreditatem ex asse contingere, occidentémq;

Herman.

témq; nobilissimæ familiæ splendorem illius radijs sustentari.

HENRICVS I. HENRICI AVCVPIS F. OTHONIS M. FR. DVX BOIARIÆ.

Henricus Principatus suscepti initia clara non vno triumpho reddidit. Proximo enim statim anno Vngaros duplici prælio fudit, duce, vti privati Annales testantur, Rathone Andecensi & Diessensi Comite, quem vetus fama suáque virtus Heroibus & Superis æquavit; hodieq; nomen illius populis sanctum, inter Tutelares Divos, aris cœlestibúsq; alijs honoribus mactatur. Colosseus vbique pingitur fingitúrque, quod argumento est, humani corporis modum excessisse. Victoriæ monumentum in Maurkirchensi D. Virgin. æde equestres statuæ vulgò creduntur, quas nos supra, alios autores secuti, Henrico Aucupi & Gualtero Hoiensi dicavimus. Rathonem pietatis causa cum Iuditha Henrici coniuge iter in Palæstinam suscepisse, regionéque omni, cui sua Deus vestigia impressit, obita, sacris pignoribus quā-

ANN. DCCCCXLVIII

HENRICVS VNGAROS DVPLICI PRÆLIO DOMAT.

Sigebert. *VVitichind.*

B. RATHO ANDECENSIS REGVLVS HENRICI LEGATVS.

plurimis inde lectis BOICAM locupletasse, constans opinio est. Tandem, rerum fluxarum tędio, Monasticen in Werdensi cœnobio, quod ipse struxerat, amplexus, soli auctoratus Deo, meliora stipendia fecit. Terras anno post hanc victoriam sexto, XV. Kal. Iunij deseruit.

RES AB HENRICO IN ITALIA GESTÆ.

Hermán. Chron. Austr. Contin. Regin. Act. publica.

At Henricus fortunæ suæ insistens etiam Italiam intestinis dissidijs distractam invasit; captâ primo impetu Aquileiâ Ticinum vsque progressus, nemine prohibente, prædas maximas fecit, ijsque onustū exercitum in patriā reduxit. qua tempestate Othonē cum Ludovico Galliæ rege, cui Gerbirgā sororē, Giselberti Lotharingi viduam collocârat, Ingelhemium ad condecoranda sacrorum Antistitum Comitia accessisse comperio; quibus è nostris Heroldus Salisburgensis, Michael Ratisbonensis, Adelbertus Batavensis, Starchandus Eistetensis, & Vdalricus Augustanus interfuere. Sanctioribus causis agitatis, etiam de auxiliis Ludovico Regi contra Hugonis tyrannidem ferendis actum.

VVitich. l. 3.

Triginta duabus legionibus rem geri placuit. in eas descripti, omnes, excepto Corbeiensi

Abba-

Abbate cum tribus eius asseclis, contorto in pilei formam fœno tegebantur; vnde jocis materia præbita: Nam Hugone jactante, se singulis missilibus septem Saxonibus certam mortem propinaturum, Otho eum vicissim cavere Milites suos jussit; omnes enim fœnum in cornu habere. Rebus in Gallia ex sententia compositis, Otho finiendi Bohemici belli desiderio, ipsemet contra Boleslaum proficiscitur; is vrbem, quæ Nova dicta est, multò antè vallo fossáque complexus, ibidem cum filio cognomine experiri fortunam statuit; Othoniani oppugnationem, quàm obsidionem malebant, virtute sua freti & triumphis feroces; gnari prædam non nisi ex capta vrbe peti; ex dedita neque sinceram gloriam, neque aliud quidquam, quod militem juvet, reportari. Otho tamen tuta præ speciosis habuit, hostem adversus vim egregiè munitum sedendo debellaturus. Neque illum sua spes fefellit. Boleslaus obsidionis impatiens potestati se Othonis permisit, ab eóque leges accepit: Ditmarus Henrico Boio servandum traditum scripsit; & fortasse,

Cosm. Pragen.
Sigebert.
Bellvm Bohemicvm finitvm.
Ditm. l. 2.

per hanc occaſionem, Strahyquas Boleslai filius in BOIARIAM deductus eſt, qui poſtea apud D. Emmerammi attonſus Cucullum induit. ſecundùm victoriam Bohemicam, expeditio Italica ingenti curâ apparatúque adornata; ad eam ſuſcipiendam certa Othonem ſpes regni Italici cum Germanico iterũ conjungendi, æmulatióque virtutum Caroli Magni impulere. Lotharius Italiæ rex ſuperiore anno è vivis exceſſerat, Adelhaide vidua relicta, Rodulphi Burgundi ex Bertha Sueva F. quæ cùm Ticinum dotis nomine obtineret, Berengarius rex nuper acclamatus, veteris regiæ deſiderio, eius coniugium Filio Adalberto ambijt; aſpernante conditionem Adelhaide ad vim converſus redactam in poteſtatem cuſtodiæ mancipavit; inde Marini Sacerdotis ope liberata & ab Athone in Canuſſinam arcem recepta paulò pòſt Berengarij armis repetita eſt; cujus vim cùm Atho ægrè ſuſtineret, Adelhaidis ſuaſu, Othonis auxilium, non modò nobiliſſimi coniugij, ſed totius inſuper regni ſpe oſtentatâ, imploravit. re comperta Ludolphus Othonis filius Aleman-

Othonis expeditio Italica.

Regin. Contin.

mannię Dux patris demerendi ostentandǽq; virtutis studio prior Alpes cum exercitu transcendit; id quia patre inconsulto, nullo operæ pretio, ab eo factitatum est, non modò magnis ausis, sed penè etiam paternâ gratiâ excidit. Infelicis successus invidiam Henricus patruus BOICÆ Princeps tulit, qui crescentem clarissimi Iuvenis famam obterere jam olim aggressus, eum apud Italiæ proceres in tantum adduxerat sive odium sive contemptum, vt venienti non modò honoris causa nemo obviam prodierit; sed nulla paullò munitior vrbs portas aperuerit; vt illius vaga itinera incertǽque stationes fugitivo aptiùs & proscripto, quàm regis filio atq; legato convenirent. Otho filium sequenti anno, qui primus supra quinquagesimum fuit, subsecutus, Athonem & Adelhaidem de suo adventu certiores fecit, literis ad vtrumque scriptis, annulo etiam de digito detracto, qui Adelhaidi pro sponsore & arrha fidei esset; ea qui perferenda accepit, cùm pervadere in arcem obarctas intentásque custodias non posset, alligatam sagittæ epistolam destinato in arcem

Regin. Contin.

ANN. DCCCCLI.

arcem jactu misit. Othonis adventu cognito, obsessis animi crevere; Berengarius imparem se viribus confessus, obsidione soluta, rebus suis tuendis animum adjecit; Otho Canussio potitus, liberatáque Adelhaide, paulò pòst etiam Papiam in potestatem redegit. Ludolphus comperto patrem animum ad Adelhaidem adiecisse, odio novercæ, amorem erga patrem exuit, ita secum reputans, si fœcundæ futuræ eæ nuptiæ essent, dubium sibi regnum, quod spe & destinatione patris jam præceperat, redditum iri; Igitur desertâ properè Italiâ, Salveldiæ turbulentissimo homines ingenio & rerum novarum cupidissimos strenuè cōtraxit, & identidem cum ijs convivatus, funesta inter vinum & epulas consilia coxit multo sanguine statura. Otho ineunte vere in Germaniam regressus Cōradum Ducem generum suum ad persequendum Berengarium in Italia reliquit; cuius vim Berengarius non ferens, animo à belli cogitationibus averso, experiri Othonis clementiam, Conrado auctore & duce, statuit. Illius in Saxoniam adventus plenus dignitatis, triumphantis

LVDOLPHI CVM PATRE ET PATRVO SIMVLTATES. *Ditmar. Frodoard.*

ANN. DCCCCLII. *VVitich. Regin. Contin.*

tis

tis magis ſpeciem, quàm ſupplicis habuit. Proceres obviam effuſi regio omni honore hoſpitem coluerunt; neque de priſtinę fortunę apparatu quidquam detractum; ſed quæ ſecuta ſunt, his purpuratorum delicijs non reſponderunt: in hoſpitio publico triduo incluſus inter ſpem & metum hæſit, quem illi regis conſpectus non ademit; dubio vultu & medijs reſponſis ſuſpenſus, Auguſtæ dicere cauſam juſſus eſt. Id non magis Berengario quàm Ludolpho & Conrado, quorum fidem ſecutus fuerat, acerbum accidit. imminutionem eam auctoritatis ſuæ interpretati bilem omnem in Henricum BOIARIÆ Ducem, cuius id factum artibus ſuſpicabantur, effuderũt; nihil eorum ignorante Henrico, ſed in fratris favore, contemptis æmulorum minis, acquieſcente. propoſiti ne illum pœniteret, eodem anno provinciâ à fratre auctus eſt; Berengario enim ſe ſuáque dedenti, reliqua Italia fiduciario jure reddita, ſed Verona & Aquileia detractæ Henricóq; adiectæ ſunt. Ea incrementa potentiæ illius cùm Ludolphus & Cõradus ferre non poſſent, conſilium ineunt

unt nimis arctæ inter fratres conjunctionis, quam dissuere nō possent, ferro discindendæ: ita ille in patrem, hic in socerum conspirant, adscitis vndiq; ex Francia, Saxonia, BOIARIáq; coniurationis socijs, quorum facilè princeps Fridericus Moguntinus Antistes fuit; tecta consilia res ipsa brevi nudavit. Othoni Moguntiam petenti aditus in vrbem penè vi quærendus fuit. Conjurati, rebus nondum maturis, nihil ausi, ficta regi obsequia strenuè jactabant, odium tamē Henrici BOIORVM Ducis adeò non dissimulantes, vt si intercipiendi potestas obtigisset, studium voluntatémque sibi non defuturam fuisse faterētur. Regis discessu facultatem se confirmandi nacti, Moguntiâ arce belli lectâ, larváq; positâ pro manifestis omnia hostibus agere instíterunt. Otho contractis repentè copijs Moguntiam advolat, filium generúmque obsidet, vrbi machinas admovet, lævo plerunq; successu; quòd ab oppidanis vel disijcerentur, vel igni corrumperentur. Per idem tempus Henricus cum instructis BOIORVM copijs in castra venit, summâ rerum in BOIARIA Arnul-

Regin. Contin.

BELLVM PARICIDIALE.

Arnulpho Schyrensi permissa, quod certum argumentum est, illum antehac cum Henrico in gratiam rediisse. Coniurati obsidionis in diem sexagesimum fortiter toleratæ malis fessi, inducias pacti, commeatúque impetrato, Othonem suppliciter adeunt, in eius se potestate futuros pollicentur, si sociorum capiti fortunísque caveretur; de qua conditione dum maximè disceptatur, nihil neq; Ludolpho neque Conrado de ea remittentibus, factique sui invidiam in Henricum præsentem detorquentibus, ille animo commotior in Ludolphum præsertim, Hoc nempe malorum deerat, inquit, vt postquam paricidium meditanti ferrum extortum est, linguam in innocentiam meam stringeres, & qui patri vitam non potuisti, patruo famam pietatis eriperes. Nimirum quia patrem tuum nisi per latus meum ferire non potes, invisa est tibi coniunctio nostra, indignarísque superesse aliquem, qui iura humanitatis non proculcaverit, in qua vna re fortem te probasti. Quin tu potiùs, si bellum gerere non potes nisi impium, & in cognatum sanguinem, aut in

Berno in V. S. Vdalrici. Rogerus in V. S. Brunonis Archiep. Colon.

LVDOLPHI IMPROBITAS AB HENRICO REPREHENSA.

„ in me aliquid dignum tuo furore vidi-
„ ſti, omittis patrem, & me bello petis? in
„ quo ſi nō plus fortunæ, at minus ſaltem ſceleris eſt futurum: quæ cùm inflammata oratione diceret, aſſulam temerè jacentem humò levans, Age, inquit, glo-
„ rioſe miles, quia ſpolium ex patre fruſtra
„ petijſti, lauream è BOICA carpe, vnde ſi
„ vel feſtucam vel floccum abſtuleris, vi-
„ rum te putabo. Plura parantem Ludolphus plenus irarum deſeruit, infectáque re in vrbem regreſſus eſt; ad eum proxima nocte BOII, qui ſigna Henrici ſecuti fuerant, velut faſcino amentes, omnes transfugerunt. Ferocia orationis, an quæ alia illos cauſa à Principe ſuo abalienaverit, incertum; illud ex Rogero conſtat, qui res à Brunone Othonis Fratre geſtas poſteritati tradidit, *in Henricum BAIOARIORVM Ducem* (ipſius verba recito) *& Marchionē inclytum, barbaris & omnibus id locorum gentibus, ipſis etiam Græcis formidabilem crudelitatis inchoatæ culpam omnem & malitiam retortam.* Quanquam nullo

BOIORVM AB HENRICO TRANSFVGIVM.

nullo merito suo eũ invidia conflagrasse idem disertè scripsit, mali totius fonte his verbis aperto, *Revera autẽ quò quis melior, & ad conservandam Imperatori & regno ejus fidem promptior erat, hunc magis exosum habebant.* BOIIS satis non fuit simplicis perfidiæ notam famæ suæ inussisse; nisi post deserta signa & Principem proditum, ipsam etiã patriam inaudito furore & scelere hosti populandam obijcerent: Ludolphus enim his potissimùm ducibus auctoribúsque Moguntiâ de nocte erumpens, quantis maximis potuit itineribus, in BOIARIAM contendit. Ibi demum deprehensum est, ovem lupo commissam; Arnulphus non modò muneris sui parte nulla funct' est, sed velut cælo lapsam occasionem, qua ad desperata vota sua pertingeret, avidè amplexus, Ratisbonensis vrbis portas Ludolpho vltro aperuit, corruptísque etiam illis, qui in fide manserant, ad omne scelus seditiosis antesignanum se præbuit, vtque gnaviter esset impudens, etiam Iudithæ sororis suæ Henrici vxoris thesauros prædonibus diripiendos

Apud Surium tom. 5.

LVDOLPHI IN BOIARIAM IRRVPTIO.

ARNVLPHI SCHYRENSIS PERFIDIA.

obiecit; ipsa cum liberis solum vertere coacta, id tamen lucri fecit, quòd oculos patriæ pereuntis spectaculo subtraxit. Otho re insperata perculsus Moguntiæ obsidionem solvit, & ne fratri deesse videretur, copiarum reliquias, plerísque dilapsis, in BOIARIAM transtulit, exiguo operæ pretio; nam & auctoritas illius apud rebelles eviluerat, & vires, si non contemni, sustineri certè poterant in vrbe egregiè munitâ, & anni tempore obsidentibus quàm obsessis iniquiore. BOICA omnis à Saxonum imperio aversa, servitutem sibi depulsura videbatur, si Arnulphi filijs apud se natis cæló q; suo attemperata ingenia sortitis paternum imperium & opes recuperasset; Ipsi adeò sacrorum Antistites vel rebellium partes apertè sequebantur; vel, quòd æquitati propugnandæ neruus deerat, palàm nihil ausi, inter tacita vota tempori subservientes satis habuerunt neminem lacessere, fortioribus olim accessuri. Vnus, de quo constet, Vdalricus Augustanus Pontifex meliorem causam, etiam cum capitis sui periculo tuendam suscepit; Augustáque vrbe militari præsidio muni-

VVituch.

S. VDALRICI IN TVENDIS CÆS. PARTIBVS CONSTANTIA.

Auctor Anonym: & Berno in vita S. Vdal. Herm. A. 952.

munitâ, ad Cæsarem in castra contendit; Arnulphus eius discessu explorato, cum tumultuaria & sceleribus exercitâ manu in agrum Augustanum profectus, sacra profanáq; nullo discrimine populatus, prædas ex vrbe circumiectáque regione ingentes fecit; Episcopatum ipsum scelerata auctione hastæ subiecit; latrociniorum stipendia, præmia perfidiæ inde capta, &, firmandæ Ludolphi factioni, sacrilegis largitionibus novæ clientelæ inescatæ: neque enim deerant, quibus sic ditescere verecundiæ non fuit, fideíque quàm opum iactura facilior visa. Pauculi, quibus Vdalrici nomen Ludolphi impietate sanctius fuit, constantiam inopiâ bonis omnibus despoliati luerunt. Ita Vdalricus Augustam regressus in Amicis subsidij nihil reperit, aliorum fidem accusare, aliorum lamentari fortunas coactus: proinde neq; vrbis munimentis confisus, quæ inter proditores satis firma nunquam sunt, in castrum Menchinganum secessit non modò hosti arcendo invalidum, sed ne adversus cæli iniurias quidem satis instructum. Brevi tamen alacritate militum factum est, vt

ARNVLPHI SCHYRENSIS IMPIÆ MOLITIONES.

incoli locus posset & defendi. Imminebat castrum munientibus Arnulphus ridénsque rude & hybernum opus & lignea Pergama, deditionem non suadebat sed imperabat perituris; cuius ferociam V.dalricus lenibus responsis, datis etiam subinde iterúmque receptis obsidibus tamdiu frustratus est, donec vel contemni posset, vel certè sustineri. Nihilominus si opes potiùs, quàm sanguinem, sitiret hostis, redimere bellum auro statuit. Eam conditionem vt imbellem aspernatus Arnulphus ad vim convertitur, facilè superiorem Præsulis viribus futuram, si expugnare etiam innocentiam potuisset; rebus in arcto positis Adelbertus Comes Marthalensis & Theobaldus Præsulis frater, cum instructis copijs, præsidio in tempore venére. pugnâ cum Arnulphianis periculi securis commissâ, iísque vel concisis vel fugatis nobili victoria potiti, etiam Hermannum Arnulphi fratrem vivum in potestatem redegerunt, Arnulpho infami fuga subducto: Adelbertus levi in speciem vulnere ab Egilolfo perstrictus brevi obijt, Iudæ Macchabæo virtutum simi-

ſimilitudine & pari genere mortis in pulcherrima cauſa obitæ comparatus. Epiſcopus optimè de ſe merito exequias duxit; exuvias mortalitatis in Ædem D. Virginis Auguſtæ intulit, *Spiritum* verò, vt Berno loquitur, *per ſacræ immolationis hoſtiam, Domino cōmendavit.* Creſcebat interim rebellium furor, & quaſi ad lacerandam patriam ſatis viriū non haberent, ipſiſſimæ humani generis peſtes in lanienæ ſocietatem invitatæ ſunt; tales enim revera tunc Vngari erant, formidandum orbi Chriſtiano nomen. His iam in Germania imò Europa omni non peregrinis, & ſponte crudelitatis ſuæ veſtigia relecturis, ducem tamē Otho Friſingenſis ex fama publica Schyrenſem Comitem attribuit, nomine nō prodito; quem Andreas Presbyter Wernherum Arnoldi fratrem; Aventinus, in Schyrenſi Chronico, eius filium facit. Eius ego Wernheri nomen, vti neque impactæ Schyrenſibus huius facti infamiæ veſtigium in vetuſtioribus Annalibus nullum reperio; etſi Arnulphus nihil ab ingenio ſuo alienum facturus fuerit, ſi

VNGARI IN BOICAM INVITATI.

Chron. Bucum Bavariæ.

quemadmodum aliàs in omni vlcere vnguem fixit, hanc etiam inflammandæ patriæ facem accendisse. At enim validius aliquid suspicione & præiudicio requiro. quibus argumentis cùm nemo reus peragi in foro possit, multò minùs in historia traducēdus est. cùm, vt Passienus olim solitus est dicere, minùs verecundum sit infamare, quàm accusare. Igitur patiamur Arnulphum huius saltem sceleris purum innocentémque vivere; quòd si cui ex BOIIS imputandum est, nemo sanè Heroldo Salisburgensi Archiepiscopo hanc notam justiùs tulerit, cùm ex tabulis publicis in Concilio Ravennate scriptis constet, *illum Ecclesias Dei exspoliasse, thesaurum Paganis erogasse, seséque eis junxisse, in Christianorum necem & deprædationem contra Dominum & Pijssimum Imperatorem, suum Seniorem, rebellem & infidelem extitisse.* Cuius insaniæ originem recentiores scriptores cùm nullā reperirent, Comitibus Schirensibus illum inseruere Arnulphi Mali filium

Apud Senecam in Controvers.

HEROLDVS SALISB. ANTIST. PATRIÆ PRODITOR.

Extant apud Gevvoldum in Archiepisc. Salisburg. Hundij.

Vvolf. Lazius l. 7. de Migrat. gentium.

filium vel Fratrem dictitantes; eam conjecturam si necessarijs rebus stabilissent arioli, manifestum eadem opera redditúri fuerant, quæ illum causæ ad tam nefarium consilium impulissent. primæ nihilominus in hoc scelere partes Conrado Duci Othonis genero debentur, magnis sine dubio causis, parum tamen ad elevandum scelus valituris in eum furorem acto. Nimirum Lotharingiæ Principatu dejectus & Reipub. hostis declaratus nullas ad exsaturandum odium sibi spes omittendas aut indecoras putavit. In Vngaris mora nulla fuit; factâ in BOIARIAM è vestigio irruptione cũ conjuratis castra junxerunt. Atroci famâ excitatus Otho exercitu comparato hostibus obviam proficiscitur; illi pugnæ potestate non facta, ducibus à Ludolpho acceptis, iter in Galliam instituunt, vbi eorum opera Conradus *Dei & Imperatoris*, vt illum Sigebertus appellat, *transfuga*, vsque ad Carbonariam sylvam omnia rapinis, cædibus & incendijs defœdavit. Porrò vt rarum est magnorum scelerum secretum, & palliari faciliùs

Sigebert.
Frodoard.
Rogerus in Vita S. Brunonis.

VVitich. l. 3.
Frodoard.
Rogerus.
Sigebert.

HEROLDUS SALISB. OCULIS ORBATUR.

Contin. Regin. Chronicon Salisburg. Ditmar.

possunt quàm abscondi; ita Heroldum Salisburgensem proditæ patriæ reum vicissim sui facinoris magnitudo prodidit, & publicæ famæ lacerandum, deinde etiam carnifici subjecit: ab Henrico Principe Mulldorfij interceptus, ex ejusdem sententia vtroque orbatus oculo meritas patriæ pœnas dedit, nunquam deinceps illam visurus. Infamibus tenebris posteri dignitatem conciliare conati sūt nobili figmento, quod tamen contra literas Pontificias, quarum fragmentum suprà retulimus, fidem non invenit. Fabulantur Othonem in itinere Hispaniensi (quod ab eo susceptum nemo, præter intestabiles, prodidit) ad Turones divertisse; subleсta inde, corruptis auro custodibus, D. Martini ossa Heroldi fidei commendasse; quæ cùm Salisburgum delata in subterraneo specu condidisset, repetenti sacrum pignus Othoni responsum dedisse, D. Martinum loco moveri nec velle nec posse; ea ludificatione motam Othoni bilem statuisse fuga declinare, ex qua ab Henrico retractus, nimis officiosæ pietatis miseram mercedem tulerit, cœcitatem. Sed nos explosâ fabula

Hundius in Metrop.

bula

bulâ neque cœcis probandâ in viam revertamur. Otho dilapsis Vngaris toto exercitus sui robore premere BOIOS statuit, qui Ludolpho obnoxij à sua fratrísque fide discesserant. neque illi belli molem in se incumbentis diu tulerunt, missisque ad Othonem legatis professi sunt, se ab æquis pacis conditionib. non abhorrere. Otho plusquam civilis belli quoquo modo extinguendi cupidus inducias vsque ad XVII. Kal. Iul. pactus in eum diem Comitia Cinnam edixit: ingenti ea hominum celebrata frequentia sunt; quibus in concionẽ coactis, Otho dignam rerum magnitudine suáque maiestate orationem habuit, quæ exanimare filium, aut certè exarmare debuit, nisi aures mentémque furor obstruxisset. Adfuit fauítque dicenti Henricus BOICÆ Princeps & ad inflammandam acriùs invidiam Ludolpho patris querelis conflatam, eidem Vngaros in regni viscera immissos exprobrans, pessimo exemplo, ait, hosti publico, & ad evertendam patriam vltimis machinis grassanti receptum ad gratiam patefieri; pacem cum illo non magis, quàm cum

Vritich. l. 3.

HENRICVS LVDOLPHVM ACCVSAT.

Vngaris iniri posse, quorum gladios ipse exacuerit, & quiescentes classici sono excitârit: sceleſtiorem vtiq; esse, qui stipendium crudelitatis numeravit, quàm qui accepit. Ludolphus negavit Vngarorum sceleribus onerandam innocentiam suam; nisi calumniari Henricus velit, quòd incendium, quo BOICA & Alemannia conflagraturæ fuerint, aliò averterit, cùm extinguendo par non esset. Hoc totum crimen suum esse, quòd aliquaGermaniæ pars communem cladem evasisset. Ita dum pervicax animus nec personam rei, nec habitum supplicis sumit, conditiones pacis perferri nullę potuere; quin adeò, captatâ proximæ noctis occasione, clanculum Cinnâ se proripiens Ratisbonam in certum contumaciæ suæ asylum refugit. Pater filium insecutus Horsedalio ex itinere infeliciter tentato, tertijs castris Ratisbonam delatus eam summa contentione oppugnare instititt. Oppidani neque sibi, neque malæ causæ, neq; pessimo Duci defuere, in omnem partem intenti, nihil tutum Othonianis relicturi. vbi plurimum periculi atque laboris ostendebatur,

Lamb. Rosendalium.

OBSIDIO RATISBONENSIS.

tur, ibi majori vi occurrere; neque pro mœnibus modò tela micare, sed etiam in stationes & opera hostium eruptiones frequentes tentare, nec machinas admoveri vrbi, nec subeuntium impunitam audaciam pati. Otho inceptis parum succedentibus, oppugnatione intermissa, ratus nullo suo periculo fame cõpelli ad deditionem oppidanos posse, itinera arctè obsidet, ad omnem spem commeatuum importandorum intercludendam. Obsessi vbi id agi animadverterunt, quòd armis decertare, quàm conflictari fame malebant, consilium fortibus viris dignum capiunt; equitatum omnem portâ, quæ obiecta hostibus erat, effundendi, eodémque tempore peditem in naves imponendi, quibus sine strepitu in castra ferretur, quæ occupare nullius negotij visum, omnium animis ad tumultum, quem equites concitaturi erant, ab alterius periculi cogitatione aversis. Bene cogitata fortuna & Othonianorum vigilantia discussit; æris campani sono excitati (cui signo ad militaria imperia accipienda in vrbe vsitato iam & ipsi assueverant) excubijs quaqua-

INFELIX ERVPTIO.

qua-

quaversum dispositis, irritas erumpentium spes reddidere. Equitum etiã cunctatio mimum evertit. priores in castra pedites delati paratiora omnia voto suo repêrere. Trepidantibus, vt in improvisa re, Othoniani circumfunduntur, & malè mulctatos in navigia reijciunt paucis saluti futura. Nam & in tumultu quantavis festinatio tarda est, quique imminentes tergo nudos enses spectabant, alij super alios ruentes, cùm mortem maximè fugerent, tamen non effugiebant. naves aliæ numero prægravatæ haustę sunt, pluribus quàm ferri possent proximam quamque irrumpentibus; aliæ, nautarum officio ab imperitis artis occupato, vndarum arbitrio permissæ fluctuum scopulorúmque ludibrium rapiebantur, vel mutua allisione perituræ; multi in littore oppressi, inter dissonos clamores hinc exspectare hinc ire iubentium; vt Danubius vrbi longè plures mortuos quàm vivos revexerit. Equitum sors nihilo melior fuit; irruentium impetus strenuè exceptus & castigata audacia est; cæsi multi, plures vulnerati, qui numero & sanguine diminuti in vrbem

vrbem duplicaturi luctum rediere. Ex regijs, quod miraculi vicem fuit, vnicus lethale vulnus accepit. Henricus interim vrbanum pecus ad Regeni & Danubij confluentes exceptum omne abegit gratam militi prædam: tanto acrius in vrbe fame laboratum; quâ victus Ludolphus pacis mentionem à miseris civibus fieri passus est; ipse eius sanciendæ causa in castra ad patrem profectus, cùm conditiones ferre vellet non accipere, rejectus ob impudentiam in vrbem redijt ad vltima potiùs toleranda, quàm, quod facillimum esse debuit & filio & toties victo, patri sine exceptione se permitteret. Paulò pòst in Geronis stationes, qui vrbi, quà orientem solem spectat, infestus assidebat, tentata eruptio est, Arnulpho duce; pugnatúmque ab hora diei tertia ad ipsam vsque nonam, hostibus vires animósq; ex desperatione sumentibus, quos Othonianis bonitas causæ addebat, & Geronis præsentia, quem constabat nullo vnquã prælio inferiorem discessisse. Fluctuabat tamen victoria, quamdiu Arnulphus sublimis in equo factisque magis quàm

ARNVLPHVS SCHYRENSIS IN PVGNA OCCVMBIT.

quàm armis insignis, quacunque parte maximè premi ac laborare senserat suos, advolans ordines restituebat, labantibúsque animos sufficiebat; verùm vbi suffosso sub pedibus equo effusus, detractâque loricâ ad vulnus patuit, & telis vndique ingruentibus obrutus est, tantum in vno viro momenti fuit, vt deinceps haud dubiè Gero rebus omnibus superior hosti refugienti in vrbem confessionem victoriæ extorserit: jacentem nemo agnovit, neque de morte ante cognitum est, quàm mulier indicium fecit, quæ famis impatientiâ vrbe profugerat. Ea ita invaluerat, vt jam nec ferri, nec dissimulari posset, coegerítque Ludolphum cum conjuratis aliam sedem belli legere, post tot experimenta de fortuna nondum desperantem. In Alemanniam ergo Provinciam suam profectus ad Ilaram amnem haud procul Tussa vico cōmunitis castris consedit. Traxit eodem patrem filij pertinacia provisurum ne Respub. detrimentum caperet pridem in affectum locúmque talis filij assumpta, quem olim eidem imponere Principem certus angebatur animo scilicet, quòd

BELLVM è BOICA IN SVEVIAM TRANSLATVM.
Vita S Vdalr. Herman.

quòd prædonem illi tyrannúmque genuisset: cuius insaniam immedicabilē, consumptis omnibus remedijs, statuit tandem ferro exscindere: etsi tristē hanc necessitatem magis filij properantis perire impetus, quàm sua ei voluntas imposuit. Ille enim prior & aciem struxit, & signa explicavit, & verba reperit, quibus militem in parentis jugulum animaret, & juberet exemplo suo non tantùm impium sed & fortem esse: Tum denique pater vtique de vitijs filij, quàm armis libentiùs triumphaturus, ne in castris opprimeretur, & se suósque ignavâ clementiâ perderet, vel invitus vultum irati sumpsit, cùm animum non posset, ambigens an pro victoria votum faceret, quæ sanguine qualiscunque filij esset constatura. In hoc rerum articulo, nihil præter classicum expectante milite, Numen viam sanciendæ paci aperuit, D. Vdalrico Augustano & Hartberro Curiensi Episcopis in tempore supervenientibus: ij inter infestas progressi acies, detestatíque nefarium bellum, in quo vincere propè, quàm vinci luctuosius erat futurum, auctoritate sua, quaque ambo pluri-

D. VDALRICVS PRÆLIVM DIRIMIT.

plurimum pollebant, eloquentiâ, furentium gladios condiderunt, & à Ludolpho impetrarunt, vt iniquas iras si non patri at certè patriæ remitteret, parcerétque diem illum parricidiali bello futuris etiam sæculis velut tumulatam Remp. deploraturis nefastum reddere; servaret potiùs hos animos, hæc virorum robora in alterum hostem, qui distractâ intestinis odijs patriâ brevi ad spolia legenda sit advolaturus; tum enim bellorum satis fore, quæ etiam conspirantibus animis pater & filius ægrè sint extincturi. Ita præparatis ad concordiam animis, filius in conspectum patris admissus illius animum multò decentiùs lacrymis, quàm antea armis expugnavit. Offensionibus etiam procerum abstergendis Comitia Frideslariam indicta, quæ Ludolphus quotidie seipso melior novo modestiæ exemplo antevertit; Patri enim in * Suueldēsi saltu feras sectāti sordidatus, omni reorum squalore affectato, excalceatus, ore confuso sese obtulit, advolutúsque genibus, ea velut aram misericordiæ, votis lamentísq; implevit; nam liberam vocem suffocabat dolor,

VVitich.

LVDOLPHI POENITENTIA.

**forte Salveldensi.*

dolor, sciebátque supplicis suspiria singultúsque pro eloquentia futuros. Non tenuit se pater, elevánsq; jacentem suas cum illius lacrymis confudit, non modò veteres injurias, sed carundem memoriam ijs obliteraturus. Fridéslariensibus Comitijs Arnstadium translatis, pater filium in veterem dignationis gratum iuráque pristina recepit; quibus Ludolphus sponte cessit, Principatúque Alemanniæ eiurato, militaturum se patri in Italia promisit. Alemanniæ administrationem Burcardus Comes Helfensteinius accepit, Luitgarde Coniuge D. Vdalrici sorore fato functâ, ab Henrico Boio gener adscitus, Hedvvige filia ducta lectissima Principe, quæ Græcè Latinéque insigniter docta non sui tantum, sed omnis ævi miraculum dici possit. Ea tenella etiamnum ætate, Constantino Orientis Imperatori desponsa Græcas perosa nuptias neq; vultus sui formæq; imaginem ad invisum sponsum transmitti passa, sedulò oris elegantiam, corrugatâ fronte, obtortísque oculis corrumpebat, quoties vultum pictori exscribendum præbere iussa est. Iisdem

Continuator Reginon.

Chron. Austr. Eckel. a duo Iunior c 10.

HEDWIGIS HENRICI F. DOIES.

Regerus in Vita Brunonis. Comitijs etiam Conradus turbarum bellorúmq; omnium fax interfuit: horridam setis vestem indutus, pœnásque à seipso exigens, vltro caput suum pro repub. devovit. Hæc enim illius vox publicè excepta est, si vili sanguine placandi irati Numinis satisfaciendíque patriæ spes aut potestas sibi fieret, sponte se volentémque tela hostium omnia suo pectore excepturum: hanc esse summam votorum suorum, vt patriam, quam vivus pessumdedisset, moriens restitueret.

VVitich. l. 3. *Novam vrbem obtinuit.* Sopita in hunc modum perniciosissima coniuratione Henricus BOICÆ Dux Novam vrbem armis domuit, haud satis certum an intra BOIARIÆ fines sitam; et si hoc nomine vnam alterámque hodie monstrare liceat. Ratisbona per ea tempora contumaciæ pœnas dedit gravissimo incendio conflictata, incerto auctore.

II. Annus quinquagesimus quintus memorabilis in paucis Germaniam omnem & BOICAM præsertim clarissimâ victoriâ, cui parem plura retro secula vix viderant, nobilitavit, qua Vngarorum barbara crudelitas repressa vindicatáq;

est;

est; eius veluti præludium Ratisbona prębuit, quæ tot malis nondum perdomita, hoc etiam anno, Othoni fratríque eius Henrico negotium ausa est facessere. Ergo Paschalibus ferijs ritè celebratis, curas omnes in eius expugnationem convertêre, pudore etiam extimulante, pace vbique parta, vnicam vrbem in BOICÆ vmbilico sitam, nudatam externis omnibus auxilijs totius Imperij vires contemnere, deformatámque prioris anni incendio sibi tamen de busto insultare. Admotæ, apparatu quàm antea majore, machinæ, neque in vlla rei bene gerendæ occasione aut spe Ducibus miles, aut militi duces defuere: sed adversus vim egregiè munita civitas, obsessíq; desperatione veniæ fortes Othonianos omnia conantes non sustinuerunt modò, sed pertinaciâ fatigatis victoriæ spem dubiā fecissent, si per famem licuisset; illa armis potentior debilitatis corporibus etiam animos infregit, & cætera invictis necessitatem deditionis imposuit. Otho famæ suę serviens vltima meritis veniam dedit, rebellionis principes exilio multasse contentus. Exemplum vrbis principis

RATISBONA ITERVM REBELLAT. *VVitich. l. 3.*

cipis reliquæ secutæ sunt, vniversáque BOIARIA sub Henrici imperium rediit. Othonem in Saxoniam reversum, Vngarorum Legati per speciem amicitiæ gratulabundi adiere, etsi satis constabat animum à fictis illis obsequijs dissidere, & ad eventum civilis belli explorandum advenisse; qui antequàm renunciari posset, ex Henrici fratris nuncijs Otho intelligit, totam Vngariam à suis convulsam sedibus BOIARIÆ videri superfusam, tantámque esse bacchantium fiduciam, vt palàm jactitent, vix Deos sibi pares futuros; neque aliter quàm cæli ruina aut terræ hiatu obrui sepelirique vires suas posse. Huius tempestatis impetum prima iterum BOIARIA excepit, eásque clades passa est, quas se neque hodie putet eluxisse; certè nullum penè sacratorum hominum contubernium est, quod non ad illius temporis memoriam ingemiscat: etiã qui annales monstrare nullos possunt, famâ velut per manus traditâ, excidia sua, incendiáq; majorum lacrymis extincta memoriter recitant, & adhuc eversoribus fortunarum suarum convitium faciunt. Enimvero nihilo

VNGARORVM IN BOICAM IRRVPTIO.
Contin. Regin.

nihilo mitius in sacratos viros, quàm eorum fortunas sævitum esse, certum est; sed eorum nomina, quos barbarus ensis abstulit, nobis incomperta fidelioribus chartis cælum inscripsit. Soli ferè Wessobrunnenses Abbatis sui Thyentonis an Thyemonis nomen memoriæ consecrarunt, qui cum sex Instituti sui socijs in monte Crucis vltima passus sacros Wessonis fontes affuso sanguine suo celebriores fecit, certè sanctiores. Alibi rusticana etiam plebes nudum vrbiũ solum, & campos vbi Troia fuit, aut tenues operosarum molium reliquias curiosè ostentat; & tot ornamentis patriæ, tot domicilijs virtutis & priscæ religionis monumentis vno illo pestifero turbine inuolutis, ferro excisis, & in cinere suo sepultis has veluti exequias ducit; quod vti pietatis in patriam, ita illud non minoris in cladis auctores humanitatis argumentum est, quòd, cùm hæc damna ab Vngaris, sed adhuc barbaris & à Christo alienis accepta sint, illorum nomine suppresso, Hunnos substituũt, quos hac tempestate nullos ampliùs fuisse cõstat. Nimirum cùm paulò pòst hæc tempora

VNGARORVM MALEFICIA HVNNIS IMPVTATA.

disciplina Christiana, BOIORVM ope, vti suo loco dicturi sumus, ad Vngaros commigrasset, eiúsque consuetudine mãsuefactis barbaríes detersa esset, modesti homínes nõ modò veteres injurias ijs condonandas censuere, sed sicubi eorum vestigia tam altè impressa erant, vt aboleri vetustate nullâ posse viderentur, novo more eorum honori cautum ivere, vt vicario nomine subdito, Vngaris infamiæ ereptis, soli apud posteros Hunni vapularent. Illud tamen molestiùs fero, quòd dum alium quemvis, quàm verum cladium suarum auctorem nominare malunt, multa etiam, per summam iniuriam, Arnulpho, qui Malus apud illos audit, impacta sunt: vnde ferè in vetustis annalibus & Tabulis Cœnobiorum huius ævi ærumnas explicantibus, Hunnorum & Arnulphi nomina coniuncta, nullo suo merito, pro Vngarorum scelere, velut in Iphigeniæ fabula, succedanea victima plectuntur. Cæterùm, quæ privatim cuiusque sacri prophaníve loci fortuna, postrema hac incursione, fuerit, quid flammæ ferróque vel propugnantium virtus, vel Numinis tute-

tutela eripuerit, quid velut devium præterierint, quid tam munitum fuerit, de cuius expugnatione desperaverint, sigillatim explicare, inopia testium non permittit. Bernonis clara verba sunt; *In vita D. Vdalrici.* *Vngarorum tantam multitudinem erupisse, quantam tunc temporis viventium nemo se antea vidisse in vlla regione meminerit; qui Noricorum regionem à Danubio flumine vsq; ad Nigram sylvam, quæ pertinet ad montana, simul devastando occuparint.* Otho etiam Frisingensis locustarum examini latè omnia depascentium inundationem barbaræ gentis comparavit: *l. 6. c. 20.* Vnius, in communi strage, Eberspergensis Dynastæ Eberhardi virtus enituit; qui arce sua adversus hostiles insultus egregiè munita tot hominum millia non sustinuit modò, sed cum incomparabili fortitudinis laude ab oppugnatione reiecit. Illud verò miraculis adscribas necesse est, quòd Frisingæ in sextum vsq; diem hærentium, & SS. Stephani & Viti templa eadem cum prophanis ruina involuentium manus sensúmque mons cui Dei-

EBERSPERGA ADVERSVS VNGAROS DEFENSA.

Arenpeck. Chron. l. 4. c. 3.

paræ & D. Corbiniani Ædes inædificata eſt, fugerit, caliginem oculis offundente Deo, & ad caſtas Lamberti Epiſcopi pro Divorum aris excubantis preces reſpiciente. Ad Auguſtam deinde caſtris poſitis, Afræ Martyris ædem incendunt, & ad Ilaram vſque amnem fœdis populationibus omnia miſcentes vrbem oppugnare aggreſſi ſunt. Cæteris metu torpentibus, Vdalricus cũ Epiſcopi munere etiam militares partes conſocians, defendendam vrbem ſuſcepit; præſidijs opportunè diſpoſitis, vigilias ipſe obijt, &, quod ad rem maximè faciebat, non exacuere tantùm, ſed dare animos militibus, vrbémq; inexpugnabilem reddere creditus eſt. Ipſe non militum globo, non armis ſeptus, ſed ſua involutus virtute, eáque ſolâ invulnerabilis, ſacerdotij inſignia circumferens, ſtolatus in equo vbique aderat, optimus dux & certiſſima civium ſuorum tutela. In hunc modum ſua viris munia partitus, fœminas ex ſanctioris militiæ diſciplina armavit. Aliæ cum triumphali Crucis vexillo obire vrbem & Chriſtianum cantãtes claſſicum propitiare votis

S. VDALRICI HEROICA ET SANCTA CONSTANTIA.
Berno in Vita S. Vdalrici.

tis Numen jussæ: aliæ Magnæ Matri proximæ post Deum Mortalium spei centuriatæ, illius circumfusæ arîs, patronámq; magnis vocibus cientes orabant, vt vrbi suo dicatæ nomini devotísque eius Maiestati clientibus pro clypeo esset. Ipse vtriusque ordinis antesignanus militantes consilio, supplicantes exemplo ducebat, indefessa pietate; Pervigilatis noctibus, summo diluculo, litatâ sacrâ hostiâ, immortalitatis epulo totam vrbem recreabat, & inexpugnabilem reddebat.

Hoc loco res erant, cùm Otho non magna, sed validâ Saxonum manu stipatus Augustam accessit; ibi ei BOIORVM, Francorum, Suevorúmque auxilia præstò fuere. Boios Eberhardus Dynasta Eberspergensis Henrici legatus, quem morbus lecto affixerat, adduxit; tres legiones confecerant, násq; Otho in fronte constituit. Quarta Francorum fuit, Conrado Duce, qui proditæ patriæ scelus expiaturus se pro Rege & legionibus devoverat. Quinta, haud dubiè totius exercitus robur, prætorium vexillum, cui Angelo nomen, ipsúmque Regem medium habebat. Sextæ & septimæ,

GERMANICÆ ADVERSVS VNGAROS COPIÆ.

Arenbeck.
Eberspeg.
Histor. ms.

VVitich.

 quas

quas Suevi conflaverãt, Burcardus Henrici gener cum summo imperio præfuit; Agmen claufit Bohemorum equitum millenaria turma, à Boleslao gentis Principe adducta. His octo legionibus res Germaniæ tum stetit, sine dubio hostibus numero infinitis, immanitate barbaris par nunquam futura, nisi cælum inter auxilia militasset, cuius studia jam pridem Vdalricus, & Otho etiam recentibus factis cõcitaverant. Ille enim gnarus D. Laurentij M. festo die decernendum cum hoste, Iejunium illius honori votivum totis pridie castris edixit: eiúsq; pietatis mox præsentarium fructum tulit; Vngari nostris à tergo circumfusi impetum in Bohemos fecerant, & direptis impedimentis etiam Suevos in fugam averterant, metúsq; erat luculentæ ignominiæ accipiendæ, nî Conradus notæ virtutis dux, Regis jussu, laborantibus subsidio venisset. qui quamvis ferè tyrones duceret, tanta tamen vi in hostes illatus est, vt prima illius impressione labefactari spem certam victoriæ cũ præda omni è manibus dimitterent. Postera luce Otho provolutus in genua madéns-

Frodoard. in Chron.

Rogerus in Vita S. Brunon.

OTHONIS PIETAS ET VOTA.

Ditmar f. 17.

dénsque lacrymis D. Laurentio votum nuncupat, in Merfeburgenſi vrbe ædes regias templo mutandi, quod ipſius nomini ſacrum ſanctúmque eſſet; eidem Majeſtatem religionémq; pontificiâ ſede introductâ adjecturum ſe, ſpondet, ſi volens propitiúsque adeſſet, & ſe exercitúmque victoriæ compotem faceret. Levatus humo Vdalrico ſacrificanti piè adſtitit, ex illius manibus partem cæleſtis hoſtiæ accepit, & jam Deo plenus, obarmatus clypeo, ſacram lanceam, cuius formam alibi dedimus, manibus coruſcans, primus in hoſtem fertur. quaſi terrorem pavorémq; præ ſe ageret, quacunque invectus eſt, haud ſecus quàm peſtifero ſidere icti trepidabant hoſtes, & neque fortunæ priſtinæ, neque adeò numeri memores terga cædenda præbebant ad ſolam fugam intenti: ne Lyci quidem rapidiſſimi fluminis objectu averſi, eò quoque præcipites ruebant, infelici temeritate, neque alia ſpe, quàm vt eadem operâ mortem & ſepulchrum nanciſcerentur, quorum vtrumq; optabilius viſum, quàm in Othonem fulminis ritu obvia quæque proterentem incur-

PRÆLIVM CVM VNGARIS.

Herman. incurrere. Cadaverum strues alveum fluminis excessit, & cursum morata est. De nostris Conradus Dux, ex voto suo, occubuit, cùm jam debellatum esset, & timere mortem victor desijsset; galeâ diffibulatâ auram captanti, telum incertâ & fortasse ignobili manu emissum infixúmque gutturi vitam eripuit. Otho vtcunque de se merito & sine dubio belli illius concitatori persolvi justa decentissimo apparatu jussit. Desideratus etiam Theobaldus est D. Vdalrici frater, & Reginbaldus eiusdē sorore natus, quem Hermannus Annalium conditor aviæ suæ Berthæ patruum agnoscit. Starchandus præterea Eistetensis Episcopus amicorum D. Vdalrici princeps cecidit; hic mortuo vltimum honorem habuit, & in sedem suam revectum tumulavit; à quo humanitatis officio digrediens negauit in eam vrbem pedem se relaturum, in qua tam candidam amicitiam sepelisset: verba ipsa ex Anonymo Hasenrietano referam, quæ D. Wilibaldi ædem respicienti dolor & acerba amici memoria expressit: *Vale VVilibalde*, inquit, *vir san-*

Gretserus in Catal. Episc. Eistett.

sanctissime, vale, Ego omnium mortalium mihi charissimum iam prope te deposui ac scepelivi; idcirco ad tuam istam vrbē posthac venire amplius animus mihi non est. vive igitur & æternum vale.

Neque procul ab vltimo periculo Michael Ratisbonensis præsul abfuit; auricula mulctatus, diúque inter cadavera latitans, mortem simulatione mortis, quámque postea prædicavit, D. Emmerammi præsenti ope, evitavit. Ditmarus hoc amplius habet; Fortè ita evenisse, vt Michaelis lateri Vngarorū quispiam adiaceret vitam eod. mendacio servaturus sub persona mortui vivus. is vbi spirare etiamnum Episcopum sensit, correptâ hastâ feminеci vim intentabat, sive odio ad illam immanitatem impulsus, sive spoliorum amore nondum in illa fatali arena extincto. Michael simul atque hoc agi à barbaro advertit, seriò reviviscens, collectis vltimis viribus etiam ipse ad pugnam se composuit, diúq; cum latrone luctatus æquissimam ille vicē reddidit mortem nō ampliùs simulaturo. Ignobilium funerum numerus

MICHAELIS RATISBON: EPISCOPI DISCRIMEN.

Arnolph. Comes Voburg. l. I. de S. Emmeram.

rus initus non eſt: cladem acceptam hiſtorici fatentur, ſed quam victoriæ magnitudo elevârit. Pugnatum eſt à primo diluculo ad veſperam vſque omnibus opibus & viribus; eodémque die etiam caſtra capta ſunt omni opulentia ditia. Vngarorum reliquiæ bello ſuperſtites nullum in hoſtico receptum nactæ obvijs quibuſque prædæ fuerunt. Tres gentis reguli Henrico Duci ad oſtentationem victoriæ miſſi, exempli prodendi causâ, in furcam acti ſunt, vultibus in patriam obverſis. Torques & tintinnabula aurea barbarici cultus inſignia Eberhardus conflaſſe in Calicem fertur D. Sebaſtiano ſacrũ: Regulos alij quinq; nominant Bulzkonem, Schabam, Lælium, Suram, Toxum, fortaſſe duobus Sarmatarum Ducib. adnumeratis, contra quos eodem anno Othonem pugnaſſe, &, Boleslao Bohemo in partem juvante, victoria potitum eſſe Frodoardus ſcripſit. Hepidannus & bellum & victorias duplicat; Bulzkonis cæſi decus Othoni tranſcribit; Lælij ſpolia à Bohemis lecta ſignificat, quos tamen ſuis auſpicijs non pugnaſſe, certum eſt;

VICTORIA.

Hiſt. Eberſp. ms.

Atq;

Atque hæc eſt illa decantatiſſima de Vngaris Victoria, Othonis armis & D. Vdalrici armatis precib. parta, qui multo ante cælitum indicio ingruentis belli tempeſtatem, ſtationes hoſtium, proſpera & adverſa vtriuſq; partis edoctus certúſq; futuri vnus omnium ad victoriam plurimum contulit, cuius indubitatam teſſeram Crucem divinitus ad eundem tranſmiſſam, etſi magnos hodie teſtes habet, quia tamen antiquitatis ſuffragio deſtituitur, in medio relinquo, gnarus nihilominus ea Vdalricũ virtute fuiſſe, vt in eo exornando omnibúſque honoribus producendo cælum nunquam potuerit ſuæ munificentiæ pœnitere. Porrò BOICA non illum tantùm victoriæ fructum tulit, quòd præſenti liberata periculo incendium patriæ hoſtium ſuorũ ſanguine extinxit, ſed ab illo primùm die Vngaros timere deſijt, velut inchoato meliore ſeculo caput auſa erigere, & diu optatæ pacis bonis, ſi non ſine invidia, at citra formidinem fruitura. Numeravit tamen etiam illud inter triſtia, quòd eadem tempeſtate Henricum Principem amiſit ſummi animi virum & fra-

MORS HENRICI BOIORVM DVCIS.

& fratris etiam cognomine dignum, nisi Fortunæ illius olim impotentiùs inhiasset; Principis personam, quod rarum est, quàm privati melius egit, suæque dignitatis incrementis ad modestiam profecit, impares adeò non dedignatus, vt forti viro sed exigui census, virtutis causâ, vxoris suæ sororem copularet. Ditmarus duplicis illum impietatis accusat, quòd sacros viros violare ausus, Patriarcham Aquileiensem virilitate, Salisburgensem Præsulem oculis multârit; sed Henricus posterius factum etiam moriens defendit; prioris se coram Michaële Ratisbonensi Præsule sponte reum peregit. Iuditha mortuũ Deiparæ Virginis templo, quod vivus olim struxerat, intulit, expiandísq; noxijs, quarum vel cõscia fuit, vel vulgò insimulari maritũ audierat, largissima stipe in egentes profusa omnibúsq; Christianis piaculis defuncti memoriæ parentavit. Cõmunes vtriusq; liberi quatuor numerantur, Henricus, Ludovicus, Halica Sacrata Virgo Batavis sepulta, & Hedvvigis Aventino Luitgardis appellata; ex quibus Henricus Othonis voluntate BOICAM administrandam suscepit.

VVitich. l. 2.

HEN-

HENRICVS II. PIVS IDEM ET Rixosvs Dictvs Dvx Boiariæ.

Hic ſub Mathildis, Aviæ religioſiſſimæ fœminæ manu educatus illius magiſterio eos in omni virtute progreſſus fecit, vt cognomentum Pij invenerit, non aſſentatione populari, ſed moribus debitum, tam cultis quidem, vt in religionis ſtudio nihil Aſcetis conceſſerit; quorum antelucanas vigilias prævenire ea conditione Principem, potuit vtique inter illius ævi admiranda poni. Supereſt hodiéque exciſa è Saxo ſedes, ad D. Emmerammi ædem, quæ illum noctibus, abuſque Abudiaco, qui locus duobus paſſuum millibus Ratisbonâ abeſt, ad divinas laudes cōmeantem tantiſper recipere ſolita eſt, dum fores panderentur, cælitibus ſubinde æditimorum officium occupantibus, inſigni comitate. Non diſſimilis filio Iuditha mater pudicitiæ in domo vidua ſanctè cultæ laudatione funebri inſigne teſtimonium tulit. Læſerat famam integerrimæ fœminæ maledicentia improborum hominum, fami-

Hern: II. Pietas.

Wolfg. Selender ex Tablino Monaſt. S. Emmerammi.

Ivdithæ Henrici Matris pvdicitia asserta.

liaritatem quantumvis innocuam cum Abrahamo Frisingensi Episcopo initam traducentium; is vt se illámque suspicioni eriperet, ipso parentali die, sacrificio perpetrato, ad frequẽtem coronam versus, se illámq; innocentem pronũciavit, testem Deum invocans, quẽ præsentem
.II: adoraret; si sciens volénsq; falleret, causam nullã dicere, quin perpetuò perierit, simul ac cõtaminatum os cælestis hostia contigisset; eámque, cum dicto, intrepidus juxta innoxiúsque hausit. Iudithæ religionem nobile insuper cœnobium Ratisbonæ pro sacris Virginibus extructum testatur, Inferius vulgò dictum; vbi ipsa condi voluit, incertum quo anno: Septuagesimo quarto superstitem fuisse ex Othonis II. literis intelligi potest, quibus eidem Monasterio aliquot locorum possessionem transcribit Iudithæ precibus inductus. Abrahamus, de quo sermo nobis est, anno proximè sequenti Pontificatum inijt, quo Lambertus ad cælũ evocatus est prodigijs patratis nobilis, ad quæ illud quoque fama adijcit, lactis beneficio ex vberibus petito, à quibus Lambertus adhuc infans pependit,

LAMBERTVS EPISC: FRISING: THAVMATVRGVS.

tri-

tribus cæcis vſum oculorum redditum. Sociare huic alterũ ſidus placet magnis itidem virtutibus illuſtre, Saxonib. commodatum inſigni liberalitatis BOICÆ fructu. Boſo is fuit inter Boios natus, & in D. Emmerammi cœnobio ſacram militiam profeſſus, eâ nominis famâ, vt Cæſar ex vmbra in ſolem producendum exiſtimarit; fideli ſtrenuáque eius opera diu vſus Cicenſi illum Eccleſiæ præfecit, quam non modò ſummâ fide excoluit, ſed magnis acceſſionibus auxit, nobili æde in vicino ſaltu è ſolido lapide conſtructa. Sed non potuit, velut in privato lare, explicare ſe magnus animus, & vnius civitatis procurationem, otium interpretabatur. Igitur ad Slavos, qui orientem verſus incolebãt, profectus, divini humanique juris ignaros ſanctiore diſciplina imbuit, & innumeros ad cultum humaniorem, & divinitatis agnitionem traduxit. Trium deinde Epiſcopatuum optione data, Merſeburgenſem, quem bello Vngarico Otho D. Laurentio voverat, adijt, primúſque magnis virtutibus implevit. Slavorum ruditati vt conſuleret, divinas laudes vernacula ijs

BOSONIS BOII MERSEBVRG: EPISC: VIRTVS.
Ditmar. l. 2.

lingua cantandas dictavit, & vsitatam in schola Christi familiarémq; bonis omnibus vocem Kyrieeleison supplicaturis præscripsit, arcanam illius in conciliando Numine vim explicans, cui postea profana gens religionem detrahere conata est, vernilibus jocis sanctissimum carmen admiscens. Boso ad vitæ metam provectus, instinctu sine dubio Numinis, in patriam redijt, vt vitam ibi poneret, vbi eandem acceperat. Kalend. Novemb. illi vltimæ fuere. Merseburgenses beneficiorum memores, corpore vindicato, illud in D. Baptistæ æde ad aram principem honorificè tumularunt. In Italia interim cùm iniquà Berengarij imperia ferri non possent, neque Italis vlla in suis viribus spes esset, invitatus iterum Otho est ad nobilissimam provinciam ab incubatore vindicandam. Othoni integrum non erat à tutela Germaniæ discedere: vices tamen partésque suas Ludolpho filio imposuit; etsi Ditmarus & Witichindus expeditionem filij non paternis auspicijs susceptam, sed secessioni similiorem fuisse significant, quasi veterum amicorum depravatus consilijs alie-

LVDOLPHI IN ITALIA RES GESTÆ.
Regin. Contin. Herman Chron. Austr.

Ditm. l. 2. f. 18. Witich. l. 3. f. 18.

lienæque libidini obsecutus bellum in Italia sponte quæsierit, & suo Marte gesserit. Illud certum est, insignes & præclaras ad memoriam res egisse, Berengarium & Adelbertum acie superasse, liberatæque Italiæ gloriam reportaturum fuisse, nisi in medio maximarum rerum cursu præmatura illi mors manum injecisset: sequenti anno, qui septimus supra quinquagesimum fuit, Plumbiæ obijt, non sine veneni à Berengario propinati suspicione. Filium reliquit Othonem suo tempore BOIARIÆ Principem futurum. corpus Moguntiam deportatum Wilhelmus loci Antistes defuncti frater apud D. Albanum condidit. Octavo supra quinquagesimum Ingelheimij in cõventu sedecim Episcoporum, Heroldo Salisburgensi Archiepiscopo nihil refragante, vt quem oculorum orbitas ex sede contracta à sacris & aris removerat, Fridericus suffectus est, *Electione atque Postulatione* (vt Ioannes Rom. Pont. in suis literis loquitur) *omnium pene nobilium* BAIOARIORVM *scilicet Clericorum & Laicorum:* nobilissima Comi-

ANN. DCCCCLVIII. *Reginonis Continuat.*

HEROLDVS SALISB: EXAVTHORATVS.

tum de Chiemgeu familia ortus fertur, virtutis nomine à Pontif. laudatus. In Reginonis Appēdice, manifesto errore, eum Viennensis Ecclesiæ Antistitem factum, legitur; constat, Iuvaviensem scripsisse. Heroldus gradu deiectus dignitatis nihilominus insignia tulit, & palliatus Archiepiscopi more sacra peregit: temeritas furori proxima, meritóque à Pontifice Romano in Ravennate Concilio anno sexagesimo septimo celebrato diris devota. Post Conventum Ingelhaimensem decreta in Slavos expeditio est; bellum ijs anno quinquagesimo nono illatum Regem in alterum annum detinuit, quo Legati Pont. Romani illum, ad defendendam à Berengarij tyrannide Italiam, magnis precibus & promissis invitarunt. Neque abnuit Otho æquitate postulatorum & certa Imperij spe permotus. nequid tamen, absente se, in Germania turbaretur, obire prius ordinaréque provincias institit; & Boiaria quidem anno sexagesimo primo ei hyberna, hospitium Ratisbona præbuit; quo tempore convivium memoria Arnolphi Vohburgensis Comitis in-

Extant literæ in Gevvoldi Metropoli f. 51.

Reginon. Append. Frodoard.

L. 1. de S. Emmeram. c. 7.

insigne celebratum videri potest; certè inserendum huc duximus, quòd de Othonis in vrbem eam reditu, post hæc tempora, nihil nobis sit compertum. Helffendorffium Otho D. Emmerammi Monasterio contribuerat, ea re, vti quidem existimo, mot⁹, quòd eum locũ suo purpuratum sanguine sibi Divus vindicasse iure quo qui optimo videretur; illic enim cæsum fuisse, alibi est demonstratum. sub idem tempus Michael Ratisbonensis Episcopus Othonem cum nobilissimis procerum in Monasterij diæta convivio excepit; Secundâ mensâ appositâ lætior rex, Amici, inquit, carmen Eucharisticum moris patrij memores Convivatori nostro debemus: Vtiq; tam fœcundi calices, quos hospitibus suis D. Emmerammus propinavit, in eius laudes disertos fecere: cum dicto pocillum Martyri libatum circumferri in orbem iussit. Repertus tamen nonnemo est animi orisque improbi, qui pitissantes ridere ausus, negavit sorbitiunculæ illi superstitiosæ in ventre saturo locum relictum. Sed non tulit impune vernile dictum; mox excussissima pulsatus palma,

Othonis ad D. Emmerammi Convivium.

ma, quam neque qui sensit, vidit, & in medium triclinium proiectus didicit etiam inter pocula sobriè loqui. Convivæ reliqui re in religionem versa, confestim ædem sacram ingressi, inter æra de turribus sonantia, laudes Martyris cecinere. Id factum Arnolphus se à Sigebaldo oculato teste accepisse testatur. Ratisbonâ Rex Wormatiam abijt lustrandi exercitus causa. Aquas deinde profectus Othonem filium regni consortem adscivit; rerúmque administratione Wilhelmo Filio Moguntino Præsuli permissâ, copias omnes per BOIARIAM & Alpes Tridentinas in Italiam duxit. effusi obviam populi procerésque velut amicum & salutare sidus exceperunt. Berengarius munitionibus se tenuit, viribus iuxtà & causæ diffisus.

Append. Reginon.

ANN. DCCCCLXII.

OTHONIS IMPERATORIS TEMERARIUM FACINUS.

Sequenti anno Otho à Ioanne XII. Imperator Augustus salutatus prima Imperij initia inauspicato pudendóque facinore inquinavit, eidem Pontifici omnibus quidem sceleribus & probris contaminato, & sede illa sanctitatis vitáque adeò ipsa indigno, nullo tamen jure exauctorato Leonem sufficere ausus: quã-

quam

quam ea militari viro & ſacrarum legum quàm armorum inſolentiori cōdonanda noxia eſt. Eccleſiæ procerum inexpiabilis temeritas fuit, quorum conſilijs placitiſq; velut ex adytis divinitatis depromptis transverſum actus Otho peſſimi exempli auctor factus eſt, quod ſubinde non vna clade juſtitia vindex expiavit; nam & Romanorum inſidijs petitus, & multiplici perfidia fatigatus, dum ſexageſimo quarto anno reditum in patriã parat, vulgata per exercitum lue, in vltimum diſcrimen eſt adductus; tanta mali graſſantis vis fuit, vt craſtinum ſibi ne valentiſſimi quidem pollicerentur. Id in tantis calamitatibus ſolatij fuit, quòd Berengario cum Willa vxore in poteſtatem adducto & in BOIARIAM deportato, Italiam, ſublato æmulo, quieturam credi potuit. is tertio exilij anno vita functus Babenbergæ regio more elatus eſt; Willa ſub finem vitæ modeſtior velum capiti impoſuit. At enim vix pedem Italiâ Otho extulit, cùm Itali ſubeunte fidei datæ pœnitentia obſequium exuerunt, Adelberto & Guidone Berengarij filijs leves animos in præcipitia agen- TVRBÆ ITALICÆ.
 tibus

tibus.contra hos Burcardus Alemanniæ Dux, jussu Imperatoris, profectus multas res prosperè gessit; Adelbertum fugavit; Guidonem occidit, & rebelles ad officium reduxit nō diu duraturum. Sequenti statim anno, qui sexagesimus sextus fuit, Otho Ioannem XIII. Pont. infanda à Romanis patientem miseratus, regredi in Italiam & arma factiosis ostentare necesse habuit. Pontifex Othoni gratiam relaturus eius filium cognominem Augustalibus insignibus decoravit. Ita Patris senium curis levatum, partem magni oneris sustinente eo, cui totum brevi erat impositurus, sed jam imbuto regijs artibus, & imperandi vsu suisque exemplis confirmato. Cautum pariter quieti publicæ nullum interregnum metuenti, quod maleferiati suum tempus putāt concessum ad partum pestilētium consiliorum, quorū haud aliàs major licentia proventúsque; sicut & fluctuum ferocissimi sunt impetus, cùm gubernatorem clavus amisit. Et Otho quidem Pater anno septuagesimo tertio vivendi finem fecit. Saracenos (quod vnum propè votorum supererat) Fraxineto eijcere cogi-

cogitantem tristes nuncij de morte Mathildis parentis sanctissimæ fœminæ & Divis postea accensę, Wilhelmi item filij Moguntini Antistitis, ab incœpto retraxere. Alpibus transcensis in BOICAM profectum, ad appellandum fratris Filium Henricum, Fabricius scripsit: Inde in Saxoniam reversus plurimarum gentium Legatos audijt; ea functionum regiarum vltima fuit. Instabant solennes Pentecostes feriæ; quas dum sacris pervigilijs antevertit, vt erat insigniter rebus divinis addictus, in ipsis pietatis studijs viribus destitutus, *divino viatico*, vt Ditmari verbis vtar, *refocillatus*, inter astantium preces hominem exuit; Maximus sine dubio Princeps, cui præter Cōstantinum & Carolum Magnos, ex regibus, quem compares, vix habeas; vt non immeritò Ioannes Pontifex hos tres Heroas conjungere, & frequenter in ore habere solitus feratur. Certè de orbe Christiano omni ita meritus est, vt illum Vrspergensis Abbas *Amorem generis humani* appellare non dubitârit. BOICA quidem illi vitam & incolumitatem debet:

OTHONIS M. MORS.

bet: per hunc enim vnum ſtetit, quò minùs Vngaris prædæ tota fieret, quibus memorabili prælio cæſis gloriam Caroli M. æquavit, cùm eadem felicitate Hunnorum olim Avarúmque infeſtas Boico nomini vires contudiſſet. Religioſorum etiam domicilia, quæ flamma Vngarica depaſta fuerat, Othonis ope inſtaurata è ſchedis Monaſterij Benedictoburani manifeſtum fit. duo dũtaxat Monachi Berthridus & Sympertus communi cladi ſuperſtites in miſerabili illius loci buſto priſtinæ ſanctitatis veſtigia adorabant ad Patrum ſuorum cineres per novem integros annos aſſidui excubitores: Wolfoldus dignitate Archipresbyter tam pertinaci pietate motus ruderibus repurgandis animum adjecit; & D. Vdalrici Auguſtani Præſulis patrocinio Othoni commendatus ab eodem liberali manu adjutus eſt, reparatóque Cœnobio Monachum profeſſus ſuis opibus recentem familiam aluit & imperio rexit. Altaichium etiam Inferius circa hæc tempora refloruiſſe, & Cuniberto adminiſtrationem ab Henrico Duce velut ſtipendium longi laboris permiſſam comperio.

STVDIA PIETATIS.

MONASTERIA RESTITVTA.

Eckehard Iunior c. 15.

perio. Is generis nobilitatem ingenuis artibus omnibus à religiosa professione non abhorrentibus illustrârat, pingendi scribendíque peritissimus, doctrinâ literarum tantâ, vt ab Henrico fama nominis eius permoto è S. Galli Cœnobio Salisburgum evocatus ludóque præfectus fuerit; quo in Magisterio satis supérque spectatus Altaichium cum summa potestate regēdum accepit; sed curarum impatientiâ & prioris vitæ desiderio, quam in illis pietatis suæ cunabulis sine strepitu jucundissimā egerat, repetito S. Galli secessu ad otium se retulit; quo, ex intervallo, regustato, alia in Brisiacensi Comitatu dignitate auctus est. neque multò pòst equo effusus gravitérq; afflictus in sinu comitis animam efflavit. Superest, in tanta literarum inopia, etiam alterum familiaris vsus documentum, qui Henrico BOICÆ Duci cum S. Galli Monachis intercessit; Notkero arte medica claro salutem suam Henricus committere cogitabat; ne tamen famæ nimium credidisse videretur, subtili experimento viri ingenium exploravit. Aquā, ex qua Medici de valetudine vaticinantur,

Eckehard. c. 13.

NOTKERI MONACHI PERITIA MEDICA.

tur, non ſuam, ſed ſuppoſititiam cuiuſdam è gynæceo mulierculæ inſpiciendam viro miſit. Notkerus, fuco animadverſo, conſulendos ſuper inaudito monſtro aruſpices pronunciat, & Principi, ſi hæc illius aqua ſit, Lucinam invocandam; videre ſe certa parturientis indicia; intra trigeſimum diem, prolis maſculæ eum matrem fore. Id Notkero ad famam eximium fuit, eadémque opera vitium miſeræ patefactum, quæ vteri onus in eam vſque diem miro artificio celaverat. Sed nos à diverticulo ad narrationem ſeriam revertamur, gratulemúrque BOICÆ novum ſidus aliquot ante Othonis obitum annis ſingulari Dei munere eò importatum; D. Wolfgangus fuit, quem ſideris nomine indigetaſſe me nunquam pœnitebit, quando eius necdum in lucem editi futuram claritatem micantis ſtellæ indicio Deus matri ſignificavit; Gertrudis ea fuit Comitum Veringenſium ſoboles, Pfullingenſi itidem Comiti & Sueviæ Dynaſtæ nupta. His parentibus natus Wolfgangus ſimul ac per ætatem licuit, ad capiendum ingenij cultum in Augienſem inſulam

Ex VVolfg. Selendero & Christoph. Abbate Lunalac. in vita S. VVolfg.

D. WOLFGANGI AVSPICATISSIMA INITIA.

ſulam viris ſanctiſſimis doctiſſimísq; ea tempeſtate florentem miſſus, brevi excellere inter æquales, & longè poſt ſe omnes relinquere viſus eſt; Herbipolim inde Henrici maximè hortatu, qui Popponis eius loci Antiſtitis frater fuit, ſe tranſtulit, vt Stephanum audiret, qui illo ævo literatorum princeps accitus ex Italia Germaniam ſui nominis famâ impleverat; quæ cùm adventu Wolfgangi decreſceret, multáque inacceſſa doctori diſcipulꝰ ingenij acie penetraret, factꝰ ex Magiſtro æmulus cum quo doctrinâ nō potuit, certare odijs inſtitit, quibꝰ Wolfgangꝰ, translato Treviros domicilio, cedendum putavit, vbi Henricus omnis huius peregrinationis autor nuper mitram induerat; is cùm Wolfgangum, pro vetere vſu, ad maximas ſpes vocaret, planúmque ad dignitatem iter oſtenderet, quibus maximè illecebris conciliare vrbi ſuæ virum molitus eſt, ijs omnia alia ambientem veriùs deterruit: donec animo illius obſecutus, nulla honorum mentione facta, ad pulverem ſcholaſticum & magiſterium iuventutis non reluctantem deduxit. Vſu deinde edoctus angu-

angustius id tanta virtute theatrum esse, propè per vim puerili regno extractum sacro Ordini decurionem dedit; Ea præfecturâ Wolfgangus, simul ac in itinere Romano extinctum Henricum cognovit, sponte se abdicavit, salutatísque ex tanto intervallo parentibus, in sacro D. Menradi secessu Monachum induit, à D. Vdalrico Augustano forte fortuna illac transeunte sacerdotio initiatus. Inde non sine impulsu Numinis per Alemannos Boiósqve Pannoniam adijt, Vngarorum genti Christiana sacra illaturus; sed optimas spes conatúsque frustrante successu, ad Pilegrinum Batavensem Episcopum, ipsomet invitante, divertit, vitámque suam optimo virtutum censori ita probavit, vt subinde Ecclesiæ gratularetur talem Antistitem accepturæ; ea felicitas Ratisbonæ debebatur, quam cùm Michael triginta totos annos, inter maximas rerum vicissitudines, rexisset, anno sexagesimo octavo pontificatu simul & vitâ abijt. nos eum Othonianæ contra Vngaros pugnæ interfuisse & vitæ periculum D. Emmerammi ope evitasse, alibi scripsimus. Sed pro-

Regin. Contin.

RES MICHAELIS EP: RATISBONENSIS.

profuerit hæc quoque non minùs salutaris exempli memoriæ prodere, frenos iniectura cupiditati mortalium, quibus opes non ex flamma modò sed scelere etiam petere solenne est. Eo ingenio Bertholdus Marchio fuit, qui D. Emmerammi opibus inhians, cùm Michaelis constantiam perfringere nequiret, iuratos testes daturum promisit, & rebus necessarijs omnibus ostensurum, se merum liquidúmque ius postulare; Compositâ strenuè fallaciâ, duodecim viros boni omnes sanguinis produxit; eos Michael tactis aris, ad pastorale pedum D. Emmerammi concipere iusiurandum iussit: quod cùm illi intrepidè fecissent, pessimis exemplis ordine omnes perierunt; Arnolphus Vohburgensis Comes, qui factum annotavit, Arnoldum paternum avum suum præsentario supplicio, obstupescente brachio, multatum, post annos pauculos Nabæ fluminis vorticibus haustum, salvo comitatu, scripsit. Reliqui nihilo mitiora passi perfidiam suis quique supplicijs luerunt. Oculis alius, alius mente captus; alter animam cum aluo effudit, alteri laqueo extorta

IMPIETAS VINDICATA.

Arnolph. l. 1. de S. Emmeram. c. 13.

 est,

eſt; duo arſerunt, prior cæleſti, poſterior familiari flamma, quæ domum iuxtà dominúmque eod. incendio involvit. Alius reſolutis nervis, aqua intercute alius extabuerunt: fuit quem Herculanus morbus, fuit quem carcinoma depaſceret; denique qui mitiſſimè plexus eſt, mancus luſcúsque ſua ſociorúmque funera iam non integer ſpectavit; Bertholdus, quem ſcriptor noſter maternum avum ſuum appellat, didicit tot exemplis monitus vereri Divos, & Emmerammi iram prædio ſuburbano, cui Iſininga nomen fuit, placavit. Subinde tamen Michaeli in Patroni ſui opibus tuendis cõſtantia defuit. Aes campanum è Martyris æde Otho Imperator eius tinnitu captus popoſcit; neque difficilis in re non maxima Michael efferri illud templo iuſſit; ſed nola velut indignaretur eſſe Cæſaris, extemplo irrauſit, & ferali ſono intempeſtivam cupiditatem Othonis, præſulíſque indulgentiam coarguit. Aliàs nepotis ſui ambitioni mitram venantis patrocinaturus, improborum hominũ conſilijs abreptus Martyris theſaurum compilarat, quia conciliandam aulam vide-

videbat,& familiarium Cæsaris suffragiũ emendum: sed ipsa fœdæ nundinationis die repente fatali correptus morbo minimo minus à morte abfuit. Agnovit confestim miser suo se scelere iugulari, & res suas Divo cum fœnore reddidit, vitam tantum pactus; sed damnatúsne voti tum sit, an morbi vis prævaluerit, incertum. Mortuo, quod suprà dicere cœpimus, Pilegrini suffragatione, inter multos nobiles candidatos, Wolfgangus successit, qui vnus omnium id fastigium minimè ambierat. Otho autor factus; Fridericus illum Salisburgensis Antistes inauguravit, anno sæculi illius septuagesimo secundo: Sequenti Vdalricus Augustanus veluti vicarium nactus suæ sanctitatis, quinquagesimo anno à suscepto Episcopatu, mitram Henrico reliquit; facem tamen, quam Vindeliciæ totíq; adeò Christiano orbi prçluxit, Wolfgango tradidit, qui sanctissimi viri exuvias, & quidquid illius cælo receptum non est, in æde D. Afræ tumulavit; eadémq; tempestate patruelem suum Ramuoldum ipsum quoque Deo plenum è Trevirensi D. Maximini monasterio evoca-

ANN. DCCCCLXXIII S. VDALRICI MORS.

vocatū D. Emmerammi Monachis Præpositum primùm, deinde Abbatem dedit; correctâ majorum suorum illaudabili consuetudine, qui religiosum illud imperium Episcopatûs appendicem fecerant, nonnullo suo quæstu, sed insigni religionis jactura; quod, recenti adhuc re, Arnolfus Comes justis querelis est

ANN. DCCCCLXXIV. S. CONRADI MORS.

prosecutus. Eundem annum Conradi Constantiæ Episcopi obitus funestavit, quem matre BOIA natum suprà dixim⁹, vt insignia sanctissimi viri decora, si originem spectes, Suevi Boii q; pari jure sibi vendicent. Frater sancti Antistitis Rudolphus Richardis pater in Annalibus Weingartensibus dicitur, quæ vni de majoribus BOIARIÆ Comitibus nupta cùm improlis esset, tria cœnobia cum marito fundârit; Eberspergense viris, Khüebachense & Geiseñfeldense, vtrūq; Virginibus contributum; Richardem Eberspergæ tumulatam ijsdem annalibus proditum est; quibus domestici scriptores parum consentanea tradiderunt; quæ vtcunq; se habeant, quia Comitum Semptanorum familiæ apud Boios inter paucas clarissimæ origines successionésq;

Tom. I. Canis. Ant. lect. f. 182.

næsque continent, hîc non alieno, vti existimo, loco inserentur. Semptani Comites, quos Aventinus affectata pronunciationis nitelâ, Senones appellavit, nomen suum Semptæ fluvio eorum agrum intermeanti, originem Sighardo debent; qui Carolomanni BOIARIÆ Regis nepos aut Pronepos vulgo creditus, à miræ magnitudinis Apro, de quo haud pauciora, quàm de sue Erymanthio poeticis decora fabulis hodieque jactantur, Eberspergensi castro templóque non sine oraculis condito nomen dederit, novámq; ad posteros appellationem transmiserit, vt Semptæ & Eberspergæ Comites dicerentur. Mortem hic anno sexto supra nongentesimum oppetijt, Ratholdo filio relicto, qui templo Religiosos Mystas è D. Augustini sodalitio adjecerit, Hunfrido celeberrimæ famæ viro ijs jura dare jusso. Eundem Ratholdum ob res contra Vngaros fortiter felicitérque gestas Conradus Rex Carantano limiti tuendo præfecisse, & in amicorum numero habuisse, tabulis Eberspergensib', quas bona fide sequor, traditur: Eo rebus humanis, anno illius sæculi decimo

EBERSPERGENS. COMITVM GENVS ET RES ILLVSTRES.

nono erepto, Eberhardus paternas pos-sessiones adijt, familiari cum superis cō-mercio clarus; vt divinis ostentis futura discere crederetur; qui, monitorib. Di-vis, templum augustius, anno vigesimo octavo supra nongentesimum, molitus, etiam domicilium religiosis sanctiùs locandis, Adalberone fratre & Willibirga sorore in partem juvantib. erexit. Templo Divûm ossa complura, Magni præsertim Martyris Sebastiani Calvam inæstimabiles opes, & toti deinceps BOICÆ sacrosanctas intulit. Atque hic est Eberhardus ille, qui in vltima BOICÆ desperatione, Vngarorum vim in Ebersspergensi castro, Deo fretus non sustinuit modò, sed subeuntes cum clade ab oppugnatione rejecit, eosdémque Henrici BOIORVM Ducis Legatus in Lycatibus campis memorabili prælio, quod omnis ætas loquetur, fudit fugavítque, &gentis regulos Reginoburgi in crucem egit. Vixit sine cura posteritatis cælebs, hærede Deo Divóque Sebastiano contentus; cui cùm Ahaimense prædium moriturus transcribere optaret, fratrem Adalberonem, quo invito id agi nefas erat,

rat, adducere in sententiam non potuit; quarum sordium ille graves mox pœnas pependit, domo continuis funeribus exhausta, & Vdalrico amantissimo filiorum imaginem mortis in tabido corpore circumferente; donec placatis superis obligatum perenni voto à D. Sebastiani ara incolumem recepit, & in pristinam elegantiam reflorescentem; hic, parentibus sub annum sexagesimum nonum fato functis, totius jam familiæ caput ex Richarde, quæ Marquardi Carantani Limitis præfecti filia fuisse dicitur, sex liberos sustulit, & Othonianas partes contra Henricum BOIVM eique confœderatos, de quorum factione paulò pòst dicturi sumus, constantissimè tutatus templi ab Eberhardo ante quadraginta sex annos extructi per Fridericum Salisburgensem Antistitem festa cæremonia dedicandi autor fuit; annóque nongentesimo nonagesimo, D. Augustini familia stationem deserente, novam è D. Benedicti asseclis coloniam Eberspergam deduxit, Reginbaldo ad sacram præfecturam è Cœnobio Augustano advocato. Decessit non sine sanctitatis opinione

Marquardi inter Carant. Præfectos, sub hac tempora, nulla extat memoria.

anno vigesimo nono supra millesimum, V. Idus Mart. decimo sexto post conjugem Richardem, quæ supra communem hominum sortem felix, Dei Parentis recreata aspectu gustum aliquem immortalitatis adhuc viva cepisse dicitur. Vtriusque Mausoleum nobile è marmore cælato in vmbilico templi visitur. Vdalrici frater Adalbero in Khübachensi vico Barræ amni adsito, anno MXI. Parthenonem condidit, vt Henrici, qui eo tempore imperavit, literæ testantur; suscepta deinde in Palæstinam peregrinatione, in itinere decessit. Alberadis coniux illætabili afflicta nuncio marito superesse noluit, & mœrore animi vnà cum fœtu, quē vtero gerebat, extabuit. Willibirgis superstes filia, elugendis tot funeribus impar etiã ipsa, quà licuit, terras deseruit, & paterno cœnobio, quod nuper arserat, & ab Vdalscalco patruo instauratum fuerat, se sponte inclusit, eundémque cum matre tumulum optavit. Iam Vdalrici demum filio, qui itidem Adalbero dictus est, vxorem Rudolphi Altorfensis filiam copulant Ebersporgenses Annales, neque Richar-

dem

dem eam, ſed Richlindem ſeu Richildem nominant, quæ non ante nonageſimum quintum illius ſæculi cum marito in manum convenerit; in illo conſentiunt, ſterile id connubium fuiſſe, eóque in ſpem tantarum opum Conradum raræ indolis adoleſcentem eáque fortunâ dignum adoptatum eſſe, qui tamen brevis ævi parentum vota ante tempus deſtituerit. Nihilo felicior Eberhardus alter Vdalrici filius Mouracenſis Comes, maſcula prole immaturo fato functa, ad Ilmum fluvium Religioſum ſacratis Virginibus Domicilium ſtruxit, iíſque Gerbirgam neptem ſuam præfecit: cuius exemplum VVillibirgis mater eius Eberhardi filia æmulata, cùm ſenium ſuum eod. in loco Deo virtutíq; mancipaſſet, pulcherrimam vitæ clauſulam impoſuit. Porro Adalbero, ne quid fratri in virtutis ſtudio concederet, Eberſpergenſis Monaſterij anguſtijs offenſus, illud ſolo æquatum multò magnificentiùs inſtauravit, anno trigeſimo ſeptimo ſupra milleſimum, & magna bonorum acceſſione locupletavit; creſcentéque in dies liberalitate, D. Sebaſtianum tandem hære-

dem ex asse scripsit, vt eo pacto etiam ipse fundati cœnobij titulum cum vxore ferre potuerit; primam enim illius facinoris gloriam iam maiores antecepe-rant: Verùm his finibus se illius pietas non continuit: in Beurensis etiam Monasterij tabulis celebre Adalberonis nomen est, quæ, eius maximè operâ, D. Augustini sodalibus dimissis, sub D. Benedicti iura locum illum redactum esse, testimonio sunt. Ad quod exemplum, si etiam Geisenfeldensis & Khüebachensis Parthenones Patronum Patrémque eum salutaverunt, vt in VVeingartensibus Annalibus est, credam etiam his maiorum suorum monumentis adventitia dote auctis, nihilo inferiora primis fundatoribus fecisse. Porrò Adalberone sub annum MXLV. extincto, sepultáque cum eo Semptana familiâ, Richlindis famâ dubiâ vixit, neque incorruptam laudem tumulo intulit: mariti munificentiam fœdis sordibus contraxisse, & illius promissis tabulísque iniuriam fecisse, apertè in Ebersperegensibus chartis arguitur; & nos suo loco referemus; quo mihi verisimilius fit, VVeingartensis Chro-

Chronici autorem Richlindem cum Richarde, quam supra laudavimus, confudisse, atq; huius decora ad alterius nævos interpolandos oblinendósque mutuatum esse. Hæc quantumvis disiuncta temporibus, simul sub aspectum dare, quàm particulatim concerpta suis quæque locis parum ad vniversam historiam factura, inserere maluimus. Nunc in semitam regredimur.

III.

Henricvs Boivs Imperio inhiat.

Lamb. Schaffnab.

Fabric. l. 2.

Arenpeck.

Othonis Magni mortem, quem supra extulimus, tristes in Imperio motus sunt consecuti. Initium turbis Henrici Boiariæ Principis ambitio dedit, Abrahami potissimùm Frisingensis Episcopi vaniloquentiâ inflata, qui Othoni Aquisgrani jam olim, magno Procerum consensu, deinde Romæ Pontificis manibus coronato, detrahere diadema & dubiam possessionem regni facere ausus, in desperatissima lite tamen rationes invenit Henrico persuasuras, Imperium ad ipsum pertinere: atque, vt nulla diu sine patrono causa fuit, summos viros in eandem sententiam deduxit: è remotissimis locis Haraldus Danus & Misseco Polonus, viciniores Boleslaus Bohemiæ

Eivs Assecl.

hemiæ

hemiæ, & Henricus Carinthiæ Duces (Minor hic paſſim à Scriptoribus appellatur, Othonemque Ludolphi F. Sueviæ Ducem Patrem habuit) Henrici partes & conſilia ſequebantur; Neque ſacrorum Antiſtitum auctoritas deerat; Magdeburgius, Moguntinus, Auguſtanus, cui itidem Henrico nomen fuit, capita cum illis conſiliáque conferebant, tam palàm quidem, vt conatus facilè in primis initijs deprehenderentur. Quæ cauſa Othoni fuit Imperij Proceres convocãdi; de quorum ſententia Legati ad Henricum Poppo Epiſcopus & Gebhardus Comes iere: qui illum, commonſtrato orbis terrarum, in agnoſcendo Othonis Imperio, conſenſu, à turbanda repub. revocarent, hortarentúrque, ſui potiùs quàm parentis ſimilis eſſet, caverétque pulcherrimum nomen, quo Pius vulgo diceretur, temerè arrepto ferro concidere. fata ipſi parentis timenda eſſe, ſi facta æmulari inſtituat; nihil infelicius ærumnoſiúsque eo fuiſſe, quamdiu ſimili ſive errore ſive furore abreptus, improborum hominum, & ad ſceleratos conatus magnum ducem quærentium falla-

Ex vita S. Meinvverci: Herm. an. 1015.

fallacijs corrumpendum se permiserit; neque miseriarum illi finem antè, quàm contumaciæ contigisse: id exemplum eò propiùs ad ipsum pertinere, quò liquidiùs constet causam filij, quàm parentis, esse deteriorem. Henricum non tam Legatorum oratio, quàm imparatæ domi res ad modesta responsa compulere; sed abhorrebat à dictis animus, & fucata promissa tacitè refutabat. Nihilominus Otho, omisso in præsens patruele, expeditionem contra Haraldum Danum suscipit, magnum præsidium conjuratis detracturus, si regem illum vicisset. Danus viribus impar in potestate se victoris futurum, causámq;, quo ipse vellet loco, dicturum promisit; idque sequenti anno Wismariæ maritima Saxoniæ vrbe fecit obedienter, & cum Othone in gratiam redijt. Bohemus eodem vocatus imperium contempsit; sed contumaciã direptione provinciæ luit. Septuagesimo quinto anno, incẽdium, quod confœderatos deusserat, etiãHenricum BOIVM involuit patriáq; expulit; hanc enim, quàm insanas spes deserere

ANN. DCCCCLXXV.

Lambert. rere maluit, fuga in Carinthiã, vel, quod alij tradidere, in Bohemiam elapsus.

OTHO LVDOLPHI F. OTHONIS M. NEP. DVX BOIARIÆ ET SVEVIÆ.

Otho BOIARIA Othoni Fratris sui Ludolphi F. Sueviæ Duci traditâ, perduelles bello persequi statuit. Othoni Suevo cum Henrico BOIO jam antehac simultatem intercessisse, ex Hermãno discitur, sive ingeniorum dissimilitudine ea conflata est; sive ob corruptũ eius familiaritate Hẽricum filium, quem Minorem vocamus, odisse pacis publicæ & domesticarum necessitudinum eversorem cœpit. Wolfgangus interim Ratisbonensis Antistes, vt à tumultibus, quos ambitio excitaverat, abesset longiùs, ad Alpes Noricas secessit, vt, quando sua consilia vocémq;, præ armorum civilium strepitu, nẽ audiri quidem posse videbat, publicis malis etiam oculos subduceret; illius inter avias rupes gesta, etsi pleraque cælo tantùm teste fecit, montes ipsi & conscia saxa loquuntur, quibus tam luculenta sanctitatis vestigia im-

S. WOLFGANGVS PVBLICVM VITAT.

impressit, vt meliorem viri imaginem pia posteritas non requirat; Ædiculam eius, quam, captato ex jactu securiculæ augurio, pro copia struxit, hodieque inexhaustis redundantem opibus pij mortales votis frequentant, Deúmq; præsentem ex benefica manu, quæ nusquam liberalior sentitur, grati agnoscunt. Ac dum inter horridos montium recessus pro salute BOICÆ Wolfgangus excubat, Pilegrinus altera BÓIARIÆ tutela in excolendis Vngarorum nihilo mollioribus animis nobilem operam posuit. Genti tum Geysa præerat mite ingeniũ extra ordinem sortitus, eóque minus à sacris nostris & mansuetudine Christiana alienus, quò temperantior humani sanguinis fuit; à cuius siti cùm etiam populares suos aversos vellet, vltro Pilegrinum in Pannoniam invitavit, potestatémque fecit divinę legis interpretandę. respondit operæ fructus; quinque millia veritati manus dedére; quibus id persuasum non est, verecundiùs tamen errores suos tuebantur, & disciplinæ nostræ majestatem mirati ejus Magistros libenter audiebant; Christiani, quos superiorum tem-

PILEGRINVS VNGAROS EXCOLIT.
Catal. Episcop. Bamvem.

temporum infelicitas barbaris prædam fecerat, comiter habiti & liberaliter minùs duram exinde servitutē serviebant, cùm libera commercia, & verò etiam amicitia tam discordes nuper populos consociarent, vt Pilegrinus diceret, tunc demum veteris vaticinij fidem esse exsolutam, quo dictū fuerit, Lupum Agni in agro compascuo convivam futurum:

Isaia, 11.

Crevit pariter animus à Benedicto VII. vetus Ecclesiæ ius, & Archiepiscopatus Laureacensis dignitatem repetendi, vt ampliore potestate in procuranda re Christiana ordinandáque vniversa Pannonia nullo intercedente vteretur. Supersunt sancti viri, vti & Pontificis literæ prolixè omnia indulgentis; quanquam posteri ea liberalitate vel vsi non sunt, vel Salisburgensium Antistitum gratia prævalente, eo exciderunt. Verùm hæc tam læta Pietatis in solo Pannonio efflorescentis initia vetuere Boios de totius gentis ingenijs Christiano cultu olim commitigandis desperare: neque fefellisse omen, læti sub proximis Principibus Annales monstrabunt. Proximo anno Willitrudis, seu Bilidruda Giselberti

WILITRVDIS PRINCIPIS BOICÆ VIRTVS & PIÆ MOLITIONES.
Anonymus Hasenrietan.
Bruschius.
Hundius.

Lotha-

Lotharingiæ Ducis Filia Bertholdo olim BOICÆ Principi Arnulphi Mali Fratri nupta religiosissima fœmina, quæ ex suis moribus nomen Piæ tulit, Bergense S^tæ Crucis Monasteriũ Virginibus Christo desponsis in dotali fundo suo non procul à Danubiano Neoburgo, insigni magnificentia struxit, locúmque prima laudabili imperio rexit; Hasenrietanus scriptor præter pietatis laudem, etiam Minervæ artes decoras fœminis in Principe illa celebrat; acu & radio omnes sui seculi Penelopes vicisse, illiúsq; manum & picturam in sacra veste, qua aras instravit, posteris etiam admirationi fuisse, scripsit. Bruschius ex Monasterij Bergensis originibus retulit, Boves duos prodigioso obsequio materiam omnem ex lapicidinis, sine duce & stimulo, ad templi fabricam convexisse. Imperator Otho interim, de Henrici patruelis ad Bohemum fuga certior factus, cum exercitu fines ingressus, nihil memorabile gessit; BOII Othonis auxiliares insignem cladem acceperunt: castris ad Pilsenam vrbem fixis, hoste nullam sui copiam faciente, corrupti otio, & elanguescente

OTHO HENRICVM BELLO PERSEQVITVR.

Lambert.

Ditmar. l. 3.

 disci-

disciplina militari, laxatis custodijs velut in alta pace, diffluebant à signis temerè palabundi per agros, quò quemq; prædæ amor aut lubido differebant. Quam ignaviam cùm pavoris simulatione, & nihil agendo diu aluissent Bohæmi, conspicati tandem in vicino flumine abluentes corpora aut apricántes, subita eruptione facta in nudos, intempestivas balneas promiscua cæde cruentarunt, spoliísq; ludicrâ operâ potiti inulti se receperunt. Cladis nuncio consternatus Imperator, ne quid gravius pateretur, copias suas intra Cromenam vrbem recepit. Henricus ea rerum inclinatione erectior, confestim Passavium contendit, occupatáque vrbe ad res gerendas opportunissima, ad trium fluviorum confluentes, ex illa belli arce spei suæ imminebat. Nondum communierat se, cùm Otho supervenit imparatúmque oppressit: Nihil graviùs decretum, quàm, vt proximo anno, quo in loco Cęsar Pascha celebratur⁹ esset, ad dicendam causam adesset. iniquior erat, quàm vt suo alienóve patrocinio defendi posset: contra Remp. fecisse convictus exilij

BOII CLADEM ACCIPIVNT.

lij

lij pœnam ſubijt. Boleslaum favor innocentem videri fecit: non modo iudicio elapſus eſt, ſed inſuper redintegratæ gratiæ pignus regia munera domum retulit. Exilij & cuſtodiæ Henricianæ locum Ditmarus Traiectum facit, vt falli neceſſe ſit Eberſpergenſes membranas, quæ Auguſtam Trevirorum ſubijciunt, vbi cæleſti viſo Henricus recreatus fuerit. Fortunas enim ſuas accuſanti, & tutelares imploranti Divos, Maternum eius olim vrbis Epiſcopum ſecundum quietem adſtitiſſe, affirmaſſéq; res illius meliuſculas fore, ſi D. Sebaſtiano ad Eberſpergenſem aram votum nuncupaſſet: Id cùm Henricus libenter & prolixè feciſſet, expedita ad fugam pronáque omnia habuiſſe; inde cum Henrico Carinthio & Abrahamo Friſingenſi rectà Eberſpergam profectum obnoxium Divo caput ære votivo redemiſſe; ſed declinandæ Cæſaris iræ latebras in Carinthia quæſiviſſe; quæ omnia nos credere Ditmarus vetat, qui mortuo demum Othone Henricum è cuſtodia dimittit.

HENRICVS EXVL.
Ditmar. l. 3. in fine.
Hiſt. Monaſt. Eberſp. ms.

Per id tempus Lotharius Galliæ Rex non denunciatis ante inimicitijs, neq; in-

LOTHARII GALLI R. IN GERM. IRRVPTIO.

Ditmar. l. 3. Lambert. Sigebert.

indicto per fecialem bello, Othonem Aquisgrani nihil hostile metuentem penè oppressit, occupatáque regia & direpta supellectile lętum illic triduum inter geniales epulas egit. Augustalem etiam Aquilam, vetus Imperij insigne, Germaniæ obversam respicere Galliam jussit, irrito omine neq; diuturno. Otho contractis repentè ingentibus copijs, incubatorem cum dedecore expulit, fugientíque insistens Rhemos, Laudunum, Suessiones, Parisios magnis cladibus affecit, & sacris tantùm inviolatis, prophana omnia ferro flammáque miscuit. Circa Axonam fluvium scriptores quidam periclitatum esse Othonem tradidere; & Sigebertus quidem parte impedimentorum, PseudoAimoinus verò etiam copiarum multatum scripsit: quorum apud nostros nihil est, vt alterutris potiorem veritate patriam fuisse conspicuum sit. Apud Auctorem æqualem illorum temporũ, qui res gestas D. Wolfgangi persecutus est, invenio, sanctissimum illum virum, hac expeditione, Cæsaris castra secutum servati exercit' gloriam tulisse. Flumen traijciendum vado

D. WOLFGANGVS EXERCITVI VADVM APERIT.

do erat (Axonam Sigeberti interprete-re) solito altiùs intumescentibus vndis formidabile militi; nam Francis terga prementibus nec subsistere tutum, & vadum tentantes in suorum oculis hauriebantur, vt jam nemo esset, qui caput suum obijcere præsenti periculo vellet. Wolfgangus cessantes nequicquam hortatus ad audendum, primus flumen ingressus, quódq; Deus bene verteret, familiari voto precatus, in alteram ripam incolumis emersit: neque dubitavit talem ducem exercitus sequi, qui precibus suis vadū vel aperuisset vel fecisset. Quæ narratio cùm certam temporis notam habeat, etiam ille scriptoribus nostris scrupulus eximitur, ambigentib. quando Wolfgangus ex Abernseensi recessu educendus reddendúsque publico sit; vltra hunc enim annum, qui septuagesimus octavus fuit, latére illi non licuisse, ex itinere Gallico manifestum est. Venatorem, dum feris insidiatur, ad illius antrum delatum, civibúsque pastoris sui desiderio ardentibus indicium fecisse, proditur; quorum precibus cùm nihil admodum moveretur, ægrè vim inten-

ANN. DCCCC LXXVIII. WOLFGANGVS PATRIÆ REDDITVS.

tantibus cessit, & amatas rupes delicatúmq; otium cum gemitu deseruit. Creditur, etiam saxa magni hospitis discessum sensisse; ita enim vulgo miracula & monstra amanti persuasum est, famâ à Majoribus per manus traditâ, ædiculam, quam molitus ipse fuerat, suis emotam fundamentis ad jubentis demum imperium resedisse. Otho viri virtutem recentibus testatam documentis in multo majore deinceps pretio habuit; & proximo statim anno cùm Ratisbonæ versaretur, in rebus omnibus facilem se illi munificúmque præbuit. Coloniam BOIORVM Wolfgangus ad Erlaffam fluvium duxerat, quo loco Arelápes oppidum olim stetisse, cujus apud Ptolemæum, Antoninum, ínque Notitia Imperij mentio est, Geographorum consensu traditur. Novis colonis desertum jam inde ab excisis Avaribus agrum aptum culturæ assignârat; Vngarorum etiam gravium vicinorum metu, ad confluentes majoris minorisque Erlaffæ ædificare arcem, periclitantibus pro receptu futuram cupiebat. Id Otho cum insigni benevolentiæ suæ auctario concessit largiter, & magnum

Ex literis Oth. II. apud Gevvold. in Metrop.

gnum agri contermini modum Præsulibus Ratisbonensibus jure perpetuo possidendum transcripsit. Ad quod exemplum literæ plures etiam in Bataviensi & Frisingensi, vti & Tegernseensis Monasterij tabularijs asservantur. locupletes testes optimi affectûs in viris rebúsque sacris augendis exornandísque. In Merseburgensi tamen Episcopatu ambitiosorum hominum cupiditatibus substernendo offendisse, & D. Laurentij Martyris cōcitatâ in suum caput irâ spes fortunásque Othonem labefactasse, & rerum exitus comprobavit, & illius ætatis scriptores deplorarunt; Is præsertim, qui res à D. Adalberto gestas explicavit, cui sequenti anno idem Otho Veronæ, pastorali pedo in manus dato, Pontificatū Pragensem confirmavit. Italiæ petendæ consilium jam dudum ceperat, vt intestinis discordijs laboranti pacem redderet. accesserat hoc anno causa altera vrgentior, Apulia & Calabria iterum ab Imperio Romano, Græcorum armis, avulsæ, quarum jactura per se maxima exprobrationem insuper contineret ignaviæ, nisi armis repeterentur; Nihil tam

OTHO BOIVS OTHONEM IMP. IN ITALIAM SEQVITVR.

necessario bello credidit Otho prævertendum. Secuti illum sunt vtriusq; ordinis summi viri Otho inprimis BOIARIÆ & Sueviæ Dux, & Bertholdus Comes, quem Schyrensem domo, & Arnolphi ante Reginoburgensis vrbis mœnia occisi filium recentior scriptorum turba facit, parum firmis antiquitatis testimonijs; Henricus deniq; Augustanus episcopus, alijq; his dignitate suppares, omnes in suam perniciem properantes. Henricum, quem vltimo loco nominavi, factione Henriciana ejurata ad officiũ redijsse, vel hinc intelligas. Octogesimus annus in itineris apparatu lustrandáque Italia absumptus: Natalitia Christiana Otho Romæ celebravit, imò ferali & cruento convivio veriùs infamavit; cujus Tragicum apparatum Thyestæ quàm Christiani principis mensâ digniorem ex Gotfrido Viterbiensi plures exscripserunt. Accubuerant cum Othone Italicarum vrbium familiarúmq; Principes; ad hos, sub ipsam promulsidem, immissus præco gravi voce omnibus denunciat, Hoc agerent; qui salvos se vellent, neque loco moverent sese, & tumultu ab-

Lambert.

SANGVINARIVM OTHONIS IMP. CONVIVIVM.

Gotfrid. Viterb. in Oth. II.

abstinerent; qui prandium interturbasset, eum apud mortuos cœnaturũ. Cum dicto armata cohors mensis circumfusa convivas omnes in pallorẽ dedit. Tum ex tabula seditiosorum nomina, turbulenta consilia factáque recitata, & vita carnifici addicta. Confestim ferrum supra reorum capita fuit; eáque Otho præcisa adnumeratáque bona fide recognoscere sustinuit, fœdóque spectaculo ebrius hospites reliquos metum ad se nihil pertinentem obruere hilaritate jussit; sublatis proditoribus patriæ, & seditiosorum civium sanguine Libertati propinato, epulari, id demum esse beatum convivium. Sic quidem ille censuit; cruentas tamen epulas nunquam concoxit, Sanguinarius, infami sed congruente his moribus nomine, dictus; Italis in posterum convivia illius, & imperia pari odio prosequentibus, veréque æstimantibus pocula sanguine temperantis & convivas carpentis in oblectamentum crudelitatis, tam detestabilem esse mensam quàm militiam. Neq; dubitavit Otho, plures se hostes excitasse quàm sustulerit; eóque Italis non satis

Ditmar.l.3. confisus Boiorum Suevorúmque copias in supplementum evocavit, ijsque Othonem Boiariæ Ducem præfecit, fideli eius opera anno octogesimo secundo ad res maximas vsus; Tarento expugnato hostes insuper Basentello Calabriæ oppido ejecit, eosdémque, cùm ex fuga se collegissent ordinésq; instaurassent, etiam acie vicit, tanto superstitum contemptu, vt velut victoriæ suæ præconibus vltro crederet viam ad fugam muniendam. Miles metu liber & suis triumphis tumens, quasi debellatũ esset, agere omnia remissiùs, diffluere à signis, palari per agros, castra simul ducúmque imperia, & salutem denique suam habere neglectui; ea hostibus vafris & occasioni rei bene gerendæ imminentibus comperta resides iras animósque pridem desponsos excitarunt, vt tentatâ repentina irruptione pristinum dedecus vel abstergerent, vel secum sepelirent, miserrimos rati suæ alienæque cladis nuncios, & calamitoso bello superstites, eodem propè quo desertores numero haberi; duo tantùm militum esse decora, Mori vel Vincere. Adjuvit

Ann. dcccclxxxii Othonis Boii res in Italia fortiter gestæ.

Græ-

Græcorum consilium etiam fortuna, & æquè inconstans Italicorum fides. tendentesque contra se hostes non eodem quo antea vultu conspicati, vel suo metu, vel Cæsaris odio acie excesserunt, nudatúmque valido præsidio exercitum concidendum Græcis reliquerunt. Strages ingens fuit; præter vilia & indefleta capita, multis summis viris illa dies vltima fuit; Bertholdus, quem suprà dixi Schyrensem Comitem à plerisque vocari, & Henricus Augustanus Antistes non amplius comparuerunt. Othonem Boicæ Ducem Lambertus cæsis annumerat; Ditmarus Othoni Imperatori fugæ comitem addit. Cladem acceptã Lambertus prid. Id. Ditmarus III. Id. Iulij scripsere. Imperatorem desertum à suis, & ad nutum ludibriúmque fortunæ errantem Calonymus Iudæus primus in littore agnovit, miseratúsque humanæ sortis iniquitatem, suo illi equo cessit. A fronte mare, à tergo hostes erant; sed neque in mari amica vlla navis, Græcis passim vagantibus: inter inimica omnia deprehensus Imperator, maris tamen tentare fidem instititi; visáque onerariâ, cui

OTHO IMP. VICTOR. PAVLO POST VINCITVR.

Ditm. & scriptor Vitæ S. Meinvverci c. 5.

OTHONIS FVGA ET CALAMITAS.

cui Salandriæ nomen, recipi eò, inclamato gubernatore, se postulat: repudiatus ad Iudæum redit, cùm non modò adventātium hostium fremitus audiri, sed & signa conspici jam possent. Ergo vltima omnia metuens, cum equo in mare se præcipitat, iterúmque obvię navi supplex ab Henrico Zolunta Slavo agnitus, illiúsq; ope receptus in Navarchi lectulo aliquandiu acquievit. Vbi animum ex consternatione recepit, reputans nulla simulatione Græcorum diligentiam evitari posse, Navarcho se aperit, magnísque pollicitationibus hominem impellit, vti rectà se Rossanum, vbi Imperatrix cum Theodorico Antistite substiterat, deduceret, operæ pretium laturus quantum ipse statuisset. Vbi locus in conspectu fuit, Zolunta pro interprete præmissus Theodoricum cum sarcinarijs mulis, quibus Navarcho fucus fieret, in littus evocat; is deinde in navem admissus, per speciem mutandæ vestis, Imperatori viam ad fugam expedit: seminudum viriúmque fiduciâ in mare se librantem, Græculus injecta manu, apprehensáque lacinia morari ausus est; eum Luppo egre-

gregius miles ferro occupatum obtruncat, factíque audaciâ navalem turbam in puppim reijcit. Sic nostris facilis receptus fuit: de mercede nulla expostulatio neque adeò mentio facta: Græcus satis habuit salvo capite fortunísque vela facere. Otho terra maríque jactatus non minùs Saracenis & Græcis, quàm Beneventanis Romanísque proditoribus infensus, dira omnia in vtrosque animo voluebat: & Beneventum quidem sequenti anno repentina irruptione captum diripi jussit, & vnicam vrbis tutelam D. Bartholomæi ossa Romam transtulit, eadem illic fortasse exempla editurus, si vita longior fuisset; Et verò sunt, qui ferale epulum suprà descriptum in hunc annum conijciant, quo etiam Veronæ comitia Imperij Procerum habita sunt; illic Henricus Minor, pro Othone Patre, BOIIS Dux datus est; is cùm Henrico Majori cognominis, aut, vt illo sæculo loquebantur, Æquivocus esset, scriptores permulti in errorem inobservabilem inducti, ipsum Henricum BOIVM hoc anno postliminio patriam dignitatémque recepis-

Ditm. l. 3. sub finem. locus depravatus sic restituendus. Henricus minor exilio solutus fit Dux BOIARIORVM: *& in hoc anno &c.*

cepisse fabulantur: quem tamen certum est, vivo Othone, nec luci nec libertati restitutum. Brevitas deinde temporis, quo rerum in BOICA potitus est Henricus Minor, ejusdem acta noménque obscuravit; certè ab Hermanni fastis exulat, Othoni Henricum majorem rectà subijcientis, ansâ etiam alijs præbitâ, illius ne nominandi quidem; quò magis mirari subit, vnde scriptori Anonymo, qui de rebus D. Meinvverci diligentem Commentarium reliquit, hic error obrepserit, vt quæ de Henrici Majoris turbis, quibus Othonis Tertij exordia infestavit, tam luculentè à Ditmaro alijsque tradita sunt, Henrico Minori impingeret, diversam ab Hermanno viam ingressus, sed plus falsa memorando, quàm alter silendo historiæ incommodaturus.

HENRICVS III. MINOR DICTVS OTHONIS F. LVDOLPHI N. OTHONIS M. PRON. DVX BOIARIÆ.

Ditm. l. 3. OTHONIS II. MORS.

Othoni post Comitia Veronensia, quibus Othonem filium Cæsarem designavit, vita perbrevis fuit; ægritudine animi

animi & infelicis belli pudore mortem accelerantibus, quam Romæ VII. Id. Decemb. religiosissimè obijt. Atrati nuncij eo ipso tempore in Germaniam venerunt, quo Othoni filio Aquisgrani diadema à Iohanne Ravennate & Willigiso Moguntino impositum est: ita durantes adhuc plausus in lessum desierunt, quæ ferè talium fabularum clausula est. Ne simplici luctu Othoni parentaretur, nova Reipub. perturbatio, illo tumultuante orta, qui timeri iam desierat, omnium animos longè tristioribus curis implevit. Henricus Boius Othonis morte nunciata, custodia Trajectensi solutus, rectà Coloniam Agrippinam, Popponeepiscopo liberatore suo & Ecberto Comite Coclite comitantibus advolat, Othonémque puerum Guarino Coloniensi Episcopo, sub cuius manu curáq; adolescebat, extorquet, tutelæ ad se potissimùm pertinentis iure ambitioni obtento; regijs artibus multò rectiùs apud se, quàm sub Episcopi Magisterio, juvenilem animum imbuendum; neque alium maiore fide vel ipsi vel reipub. consulturum, aliáque dictitabat, neque

HENRICVS BOIVS CVSTODIA SOLVTVS REMP. TVRBAT.

Ditmar. l. 3. & 4.

tunc

tunc credita,& paulò pòst luculentis factis refutata. Guarinus tamen,quia contranitenti vim paratam sciebat,fidei suę commissum è manibus emisit, operam etiam Henrico largè pollicitus, si quid ampliùs vellet, maiore præsentis temporis,quàm fidei famæque curâ. Henricus tali potitus præda cum asseclis Corbeiam digressus Theodoricum & Esiconem Comites fratres obvios habuit; ij vestis vultúsque affectato squalore, & toto reorum apparatu insignes ad illius genua advoluti veteris delicti veniam orarunt: sed superbè repulsi, magno deinceps Henrico ad spes suas prosequendas impedimento fuere, crudelem dominum & immortalium irarum passim omnibus detestantibus, qui inescandi exemplis clementiæ fuerant, quâ etiam Nerones primum potentiæ quinquennium inaurant. Inde Magdeburgum digressus Saxonum Proceres inter rogantem imperantémque medius ad se evocat, illorum animos conciliaturus. Adfuere frequentes; pars voluntate, plures metu, ex rerum eventu penduli, & plures fortiorésque secuturi. Ibi Imperium

HENRICI INCLEMENTIA.

perium palàm ambienti, mente magis quàm voce reclamatum est: cordatiores jusiurandum, & datam Othonibus fidem, magna apud Majores nostros nomina, causati, si per hæc sibi vincula liceret, negabant illius se votis defuturos. Inveniret, si posset, sacramenti sui laxandi soluendíque rationem: abrumpere enim tam religiosum nexum, non esse Germanici candoris & constantiæ; etiam ipsius interesse, nullum posteris exemplum prodi desultoriæ levitatis pessimæque licentiæ, quasi dominos mutare itidem vti equos jus fásque sit: id si in mores inducat, vsu venire posse, vt malum consilium consultori evadat pessimum, improbo facto in autorem suum repetito. Hæ tam veræ voces in animum ambitione exsurdatum non penetrarunt. Paschalibus ferijs Quedilnburgi publicè Regem salutari se est passus. Misceco Polonorum, Mistivoius Obetritorum, Boleslaus Bohæmorum Duces cum *cæteris ineffabilibus*, vt Ditmarus loquitur, solenne illi sacramentum dixerunt. Quibus fides cordi fuit, secessione in Werlensem vrbem factâ, fœdere

Henricvs Imperivm ambit.

Henricvs Rex salutatvr.

Ditmar. l. 3.

ANN. DCCCCLXXXII

OTHONIS BOII RES IN ITALIA FORTITER GESTÆ.

confiſus BOIORVM Suevorúmque copias in ſupplementum evocavit, ijsque Othonem BOIARIÆ Ducem præfecit, fideli eius opera anno octogeſimo ſecundo ad res maximas vſus; Tarento expugnato hoſtes inſuper Baſentello Calabriæ oppido ejecit, eoſdémque, cùm ex fuga ſe collegiſſent ordinéſq; inſtauraſſent, etiam acie vicit, tanto ſuperſtitum contemptu, vt velut victoriæ ſuæ præconibus vltro crederet viam ad fugam muniendam. Miles metu liber & ſuis triumphis tumens, quaſi debellatũ eſſet, agere omnia remiſſiùs, diffluere à ſignis, palari per agros, caſtra ſimul ducúmque imperia, & ſalutem denique ſuam habere neglectui; ea hoſtibus vafris & occaſioni rei bene gerendæ imminentibus comperta reſides iras animóſque pridem deſponſos excitarunt, vt tentatâ repentina irruptione priſtinum dedecus vel abſtergerent, vel ſecum ſepelirent, miſerrimos rati ſuæ alienǽque cladis nuncios, & calamitoſo bello ſuperſtites, eodem propè quo deſertores numero haberi; duo tantùm militum eſſe decora, Mori vel Vincere. Adjuvit

Græ-

Græcorum consilium etiam fortuna, & æquè inconstans Italicorum fides. tendentes contra se hostes non eodem quo antea vultu conspicati, vel suo metu, vel Cæsaris odio acie excesserunt, nudatúmque valido præsidio exercitum concidendum Græcis reliquerunt. Strages ingens fuit; præter vilia & indefleta capita, multis summis viris illa dies vltima fuit; Bertholdus, quem suprà dixi Schyrensem Comitem â plerisque vocari, & Henricus Augustanus Antistes non amplius comparuerunt. Othonem Boicæ Ducem Lambertus cæsis annumerat; Ditmarus Othoni Imperatori fugæ comitem addit. Cladem acceptã Lambertus prid. Id. Ditmarus III. Id. Iulij scripsere. Imperatorem desertum à suis, & ad nutum ludibriúmque fortunæ errantem Calonymus Iudæus primus in littore agnovit, miseratúsque humanæ sortis iniquitatem, suo illi equo cessit. A fronte mare, à tergo hostes erant; sed neque in mari amica vlla navis, Græcis passim vagantibus: inter inimica omnia deprehensus Imperator, maris tamen tentare fidem institit; visâque onerariâ, cui

Otho Imp. Victor. Pavlo Post Vincitvr.

Ditm. & scriptor Vita S. Meinvverci c.5.

Othonis Fvga et Calamitas.

cui Salandriæ nomen, recipi eò, inclamato gubernatore, se postulat: repudiatus ad Iudæum redit, cùm non modò adventātium hostium fremitus audiri, sed & signa conspici jam possent. Ergo vltima omnia metuens, cum equo in mare se præcipitat, iterúmque obvię navi supplex ab Henrico Zolunta Slavo agnitus, illiúsq; ope receptus in Navarchi lectulo aliquandiu acquievit. Vbi animum ex consternatione recepit, reputans nulla simulatione Græcorum diligentiam evitari posse, Navarcho se aperit, magnísque pollicitationibus hominem impellit, vti rectà se Rossanum, vbi Imperatrix cum Theodorico Antistite substiterat, deduceret, operæ pretium laturus quantum ipse statuisset. Vbi locus in conspectu fuit, Zolunta pro interprete præmissus Theodoricum cum sarcinarijs mulis, quibus Navarcho fucus fieret, in littus evocat; is deinde in navem admissus, per speciem mutandæ vestis, Imperatori viam ad fugam expedit: seminudum viriúmque fiduciâ in mare se librantem, Græculus injecta manu, apprehensáque lacinia morari ausus est; cum Luppo egre-

egregius miles ferro occupatum obtruncat, factíque audaciâ navalem turbam in puppim reijcit. Sic nostris facilis receptus fuit: de mercede nulla expostulatio neque adeò mentio facta: Græcus satis habuit salvo capite fortunísque vela facere. Otho terra maríque jactatus non minùs Saracenis & Græcis, quàm Beneventanis Romanísque proditoribus infensus, dira omnia in vtrosque animo voluebat: & Beneventum quidem sequenti anno repentina irruptione captum diripi jussit, & vnicam vrbis tutelam D. Bartholomæi ossa Romam transtulit, eadem illic fortasse exempla editurus, si vita longior fuisset; Et verò sunt, qui ferale epulum suprà descriptum in hunc annum conijciant, quo etiam Veronæ comitia Imperij Procerum habita sunt; illic Henricus Minor, pro Othone Patre, BOIIS Dux datus est; is cùm Henrico Majori cognominis, aut, vt illo sæculo loquebantur, Æquivocus esset, scriptores permulti in errorem inobservabilem inducti, ipsum Henricum BOIVM hoc anno postliminio patriam dignitatémque recepis-

Ditm. l. 3. sub finem. locus depravatus sic restituendus. Henricus minor exilio solutus fit Dux BOIARIORVM: & in hoc anno &c.

cepisse fabulantur: quem tamen certum est, vivo Othone, nec luci nec libertati restitutum. Brevitas deinde temporis, quo rerum in BOICA potitus est Henricus Minor, ejusdem acta noménque obscuravit; certè ab Hermanni fastis exulat, Othoni Henricum majorem rectà subijcientis, ansâ etiam alijs præbitâ, illius ne nominandi quidem; quò magis mirari subit, vnde scriptori Anonymo, qui de rebus D. Meinvverci diligentem Commentarium reliquit, hic error obrepserit, vt quæ de Henrici Majoris turbis, quibus Othonis Tertij exordia infestavit, tam luculentè à Ditmaro alijsque tradita sunt, Henrico Minori impingeret, diversam ab Hermanno viam ingressus, sed plus falsa memorando, quàm alter silendo historiæ incommodaturus.

HENRICVS III. MINOR DICTVS OTHONIS F. LVDOLPHI N. OTHONIS M. PRON. DVX BOIARIÆ.

Ditm. l. 3. OTHONIS II. MORS.

Othoni post Comitia Veronensia, quibus Othonem filium Cæsarem designavit, vita perbrevis fuit; ægritudine animi

animi & infelicis belli pudore mortem accelerantibus, quam Romæ VII. Id. Decemb. religiosissimè obijt. Atrati nuncij eo ipso tempore in Germaniam venerunt, quo Othoni filio Aquisgrani diadema à Iohanne Ravennate & Willigiso Moguntino impositum est: ita durantes adhuc plausus in lessum desierunt, quæ ferè talium fabularum clausula est. Ne simplici luctu Othoni parentaretur, nova Reipub. perturbatio, illo tumultuante orta, qui timeri iam desierat, omnium animos longè tristioribus curis implevit. Henricus Boius Othonis morte nunciata, custodia Trajectensi solutus, rectà Coloniam Agrippinam, Poppone Episcopo liberatore suo & Ecberto Comite Coclite comitantibus advolat, Othonémque puerum Guarino Coloniensi Episcopo, sub cuius manu curáq; adolescebat, extorquet, tutelæ ad se potissimùm pertinentis iure ambitioni obtento; regijs artibus multò rectiùs apud se, quàm sub Episcopi Magisterio, juvenilem animum imbuendum; neque alium maiore fide vel ipsi vel reipub. consulturum, aliáque dictitabat, neque tunc

HENRICVS BOIVS CVSTODIA SOLVTVS REMP. TVRBAT.

Ditmar. l. 3. & 4.

tunc credita,& paulò pòst luculentis factis refutata. Guarinus tamen,quia contranitenti vim paratam sciebat,fidei suę commissum è manibus emisit, operam etiam Henrico largè pollicitus, si quid ampliùs vellet, maiore præsentis temporis,quàm fidei famǽque curâ. Henricus tali potitus præda cum asseclis Corbeiam digressus Theodoricum & Esiconem Comites fratres obvios habuit; ij vestis vultúsque affectato squalore, & toto reorum apparatu insignes ad illius genua advoluti veteris delicti veniam orarunt: sed superbè repulsi, magno deinceps Henrico ad spes suas prosequendas impedimento fuere, crudelem dominum & immortalium irarum passim omnibus detestantibus, qui inescandi exemplis clementiæ fuerant, quâ etiam Nerones primum potentiæ quinquennium inaurant. Inde Magdeburgum digressus Saxonum Proceres inter rogantem imperantémque medius ad se evocat, illorum animos conciliaturus. Adfuere frequentes; pars voluntate, plures metu, ex rerum eventu penduli, & plures fortiorésque secuturi. Ibi Imperium

Henrici inclementia.

perium palàm ambienti, mente magis quàm voce reclamatum est: cordatiores jusiurandum, & datam Othonibus fidem, magna apud Majores nostros nomina, causati, si per hæc sibi vincula liceret, negabant illius se votis defuturos. Inveniret, si posset, sacramenti sui laxandi soluendíque rationem: abrumpere enim tam religiosum nexum, non esse Germanici candoris & constantiæ; etiam ipsius interesse, nullum posteris exemplum prodi desultoriæ levitatis pessimæque licentiæ, quasi dominos mutare itidem vti equos jus fásque sit: id si in mores inducat, vsuvenire posse, vt malum consilium consultori evadat pessimum, improbo facto in autorem suum repetito. Hæ tam veræ voces in animum ambitione exsurdatum non penetrarunt. Paschalibus ferijs Quedilnburgi publicè Regem salutari se est passus. Misceo Polonorum, Mistivoius Obetritorum, Boleslaus Bohæmorum Duces cum *cæteris ineffabilibus*, vt Ditmarus loquitur, solenne illi sacramentum dixerunt. Quibus fides cordi fuit, secessione in Werlensem vrbem factâ, fœdere

Henricus Imperium ambit.

Henricus Rex salutatur.

inito, ita se compararunt, vt neque ab armis abhorrerent, numero fortasse non impares, & bonitate causæ robusti. Ad hos Henricus Popponem Episcopum amandat, vt si eos suis adjungendi partibus, ratio non suppeteret, at certè aliquam intestinæ discordiæ inter illos sementem faceret. Vtraq; spes irrita fuit. Disertissimus vir ab armatis ægrè inducias in certum diem impetravit, quo super Othonis & Henrici jure disceptaretur; sed Henricus in tempore non adfuit, itinere in BOICAM suscepto impeditus, vbi intricatiora omnia opinione reperit, Henrico Minore, quem BOIIS Carantanísque ab Othone Ducem datum suprà diximus, Spartam suam & beneficium Cæsaris gnaviter tuente. Episcopi tamen BOICÆ omnes & Procerum nonnulli abeuntem secuti sunt. eorum dignitate cùm causam suam insigniter crederet munitam, ausus est Francorum de se judicia experiri. sed fixis in agro Weissenstadiano castris, Procerum ad se evocatorum constantiam non vno ariete verberatam convellere non potuit. Audita vna omnium vox fuit, Vitam

FRANCICA LIBERTAS HENRICI FASTVM CONTVNDIT.

tam

tam sibi eripi posse, fidem non posse; Etiam captivo Othoni obsequia sua non defutura, tantò impensiora, quantò eorum nunc major sit vsus: desineret his artibus regnum ambire; neq; pacem quidem sibi cum illo, nisi Othone restituto, esse posse. Hæc cùm libertate Francica viri militares jactarent, refrigeratâ inani cupiditate, conceptis verbis juravit, se tam concordia populorũ vota non moraturum: & ad III. Kal. Iulij, Rarensibus Comitijs Othonis pueri tutelâ, quãdo id ex vsu Reip. fore existiment, sese abdicaturum. Soluto conventu ad Bohemos profectus à Boleslao Duce regio omni honore habitus; vtque iter faceret absq; periculo, ab exercitu custodiæ causa addito, vsq; ad fines est deductus. Wilhelmum interim Comitem Henrico in paucis charum, Othoniani, explorato ejus itinere, ad Iterensem villam obsident, vltima omnia ei minantes, quem totius incendij facem fuisse, idémq; non nisi illius sanguine extingui posse palàm jactabant. Motus viri periculo Henricus confestim Giselerum Magdeburgensem Antistitem ad Othonianos aman-

dat, nullámque conditionem defugere jubet, qua amici capiti & fortunis caveretur. Nihil ferocius postulatū est, quàm vt Germaniæ Cæsarem redderet, cessarétque æquissima postulata patriæ ambiguis responsis & molesta tergiversatione suspendere vel eludere; id nisi fecisset, se per cædem amicorum ipsius viam sibi ad æquitatē munituros, odiosis frustrationibus gladio abruptis. Ea constantia Henrici animum fastúmque fregit impulítque, vt Othone honorificentissimè à se dimisso, curǽq; Parentis & Aviæ tradito, tuteláque ejurata, in ordinem se redigeret. Eo facto respirasse orbis visus est; cælum ipsum mortalibus applausit, novóque astro interdiu radiante diem illum multóq; magis animos hominum serenavit. Læta ea vatibus seges fuit passim aurei seculi reditum pollicentibus; cœpítque Otho ex eo die orbis miraculum dici, præcoci encomio, neq; ad maturitatem suam perducto. Prima Imperij eius initia plena metu fuere, publicam concordiam palatinis soricibus arrodentibus, & cicatricem nondum bona fide ductam infesto vngue cōvellentibus

Henricus in ordinem se redigit.

tibus

tibus. Othonis & Henrici Weiſſenſtadij mutuò digredientium vultus obſervati exulceratorum indices animorum; nullum officiorum certamen, languida benevolentiæ argumenta velut iterum expiraturæ, & in vetera odia degenerantis. Iam ſcintillæ micabant redivivi incendij; gliſcebant præludia meditationéſq; belli, niſi illud jã erumpens alio tumultu fuiſſet ſopitum. Henrici Minoris è BOICA velut alieno nido exturbãdi cura potior viſa; cui dum totis viribus imminet, miſeratus cladem Hermannus Comes, quæ, vtcunq; res verteret, prævideri ingens poterat, honorarius arbiter vtrũq; ad æquas pacis conditiones deduxit, auctórque Henrico fuit, vt in Francofordienſibus Comitijs vetus in BOICAM jus iniquitate ſuperiorum temporũ interpellatum repeteret, damnatíſq; tandem armis nihil profecturis, verâ viâ ad honores & ſpes ſuas graſſaretur. Morem geſſit bene monenti Henricus, & ab Othone BOICAM poſtliminio præmium modeſtiæ recepit, proximóque Paſchate Quedilnburgi majeſtatem Imperij illuſtri miniſterio adoravit, Othonis convi- HENRICVS BOIARIAM REPETIT.


vio dapibus illatis, cùm Conradus Francus Prætorij, Bernardus Saxo stabuli præfecturam occupâssent, Hecilo à poculis fuisset. Atque hic tandem finis fuit fatalium rixarum, quæ Henricum primas ambientem neque in secundis tertiísq; passæ sunt consistere, nullo alio operæ pretio, quàm erudiendæ posteritati, nisi ad tam illustria exempla lippimus, quæq; fœda inceptu sunt, læta exitu futura speramus, privilegio nulli sceleri concesso.

HENRICVS II. ITERVM DVX BOIARIÆ.

Ann. DCCCCLXXXV Ex literis Othonis III. apud Gevvold. in Metrop. f. 361.

Reconciliatæ inter vtrumq; Henricum BOIVM scilicet & Carantanum gratiæ, etiam illud argumētum est, quòd eodem anno octogesimo quinto communibus studijs pro Ecclesiæ Batavensis commodis laborarunt: Querebatur Pilegrinus Episcopus possessiones suas in Marchia Luitpaldi Comitis sitas, quæ nobis Austriæ nomine hodie notior est, perpetuis barbarorū incursionibus propè in solitudinem vastitatémque redactas, multis mortalibus vita fortunísque omnibus multatis. Illius causæ Henrici

ambo apud Othonem patrocinati evicerũt, vt Coloni recèns eò deducti, modò ne servili conditione essent, Quæstoribus Cæsarianis nulla in re obnoxij, soli Episcopo vectigales, jura ab illo peterent. Extant literæ prid. Kal. Octob. Babenbergæ scriptæ, quibus Henricum vtrumque Otho Nepotem appellat, voce illa sæculi sui vitio abusus:



HENRICI IN PRINCIPATVM RESTITVTI LAVDATI MORES.

Decem quibus Henricus provixit annis omnes boni Principis partes implevit, priorisque temporis maculam ita eluit,

eluxit, vt vetere nomine recepto iterum
Ditm.f39. Pius diceretur: laudat munificas illius stipes Ditmarus largitionésque profusas in turbam egentiorem, placandi Numinis & redimendæ superûm amicitiæ studio. Renóvatus cum D. Wolfgango familiaris vsus; liberi etiam in illius disciplinam dati, vt in molles animos cereósque his tam beatis manibus perfectæ virtutis imago imprimeretur, quam in Henrico postea spectavit adorávitq; orbis, cui Sancti cognomentum in purpura est datum; atque hunc quidem Wolfgangus futuri gnarus sæpe Regem salutabat, vti & Giselam sororem Reginam, Brunoni & Brigittæ pro coronis sacras infulas & sacerdotii decus, non errante oraculo, attribuit; Henricus enim Othoni successit; Gisela Vngaris Regina submissa est; Bruno Augustæ mitram induit; Brigitta in Ratisbonensi Parthenone sacerdos maxima fuit, tam excellenti virtute, vt cùm Wolfgangus duo Virginum contubernia Ratisbonæ sita parum convenienter sanctissimis scitis majorúmq; exemplis vivere comperisset tertiúmq; sub D. Pauli tutela constituisset, loci Magiste-

gisterium huic Brigittæ putarit committendum, vt eadẽ opera regia virgo Collegio suo facem præferret, & radijs virtutum foras promicantibus reliquarum languorem accenderet. His Henrici liberis Ditmarus Arnulphum adnumerat Ravennæ Archiepiscopum suo tempore futurũ. Sequentibus annis aliquammultis vix quidquam præter illustria funera annotatum reperio. Acerbum primum & lachrymabile Strahyquę Boleslai apud Bohæmos rerum tum potientis fratri obtigit, cui à ferali epulo, quo D. Wenceslaus cæsus est, nomen datum suprà scripsimus. Hic cùm in annum vsque nonagesimum quartum Ratisbonæ ad D. Emmerammi Monachum professus famam virtutis modestiæq; insignem collegisset, reversus in patriam ad salutandum fratrem visendósque penates, D. Adelberto Pragensi Episcopo vti familiariter cœpit; is populi moribus offensus, in quo excolendo operam perdidisset, abitionem seu fugam veriùs parabat, contendebátque à Strahyqua, succederet succumbenti sub onere, & diviso cum fratre imperio cæli ius sponte

STRAHYQVE FERALIS OBITVS. *Cosmas Prag. in Chron.*

 pari-

parituris interpretaretur: ad conciliandam auctoritatem omnia illi abunde supereſſe; animi decora è cœnobio, fortunæ ornamenta domo afferre. Virtuti ex ſe ſuum eſſe pondus, ſi in veros æſtimatores incidat; ſed vulgo nunquam auguſtiorem videri, quàm cùm generoſo ſanguine circumveſtitur; adorari prodeuntem illam in purpura, cui in centonibus habitanti vix quiſquam aſſurgat. Pergratum id & honorificum civibus ejus fore, ſi duos ſimul fratres ſummos Principes videant, & ſacrum prophanúmq; jus ex ead. domo petant; neque Epiſcopi Pedum cuiquam contemptui futurum, qui in fratris manu gladium ſit viſurus. Hæc cùm dixiſſet, Pedum Antiſtitum inſigne in ejus ſinum reclinavit, abominante Strahyqua, & à contactu ſacri litui velut noxio reſiliente. rigidiſſimæ illius voces exceptæ ſunt, *Monachus ſum, mortuus ſum:* noli ſepultum refodere, & ex portu in naufragia me trudere; aliáque magnis olim viris vſurpata velut Macariorum æmulus triſti quiritatu iterabat; quibus Adelbertus tum quidem ceſſit, futuri tamen

præ-

præſagus, Vtinam, inquit, tam conſtanter vivas, quàm loqueris, neque, qui gloriam vltro ſequentem te fugis, fugientẽ olim ſequare, calamitoſâ ambitione. Vaticinatum eſſe proximus annus oſtẽdit, quo Strahyquas comperto Adelbertum, Bohæmis deſertis, iter aliorſum intendiſſe, invocatus in mitram involavit fortium dictorum & extemporalis philoſophiæ prorſus immemor; ſed cùm Moguntiæ inaugurandus ante aram procubuiſſet, in veſtigio eliſis ab atro genio faucibus male perijt.

Octogeſimo nono Henricus Carantanorum Princeps, qui exauctorato Hẽrico, & Othone Patre mortuo, BOICAM aliquandiu voluntate Cæſaris rexerat, fatis conceſſit; cùm eodem anno Abrahæ Friſingenſi Epiſcopo magnum terræ tractum in regione Thremenſi, vt in antiquis literis appellatur, ab Othone Rege impetraſſet. Carantanos exinde Henrico BOIORVM Duci contributos inde intelligas, quòd in literis, quibus Saxoni cuidam Otho donationem à ſe factam confirmat, diſertè Henrici BOIOARIORVM & Carantanorum Ducis nomen præ-

ANN. DCCCCLXXXIX. HENRICI MINORIS MORS.

Staindel in Chron. ms.

Apud Oevvald. in Hund Metrop. f.136. f.137.

præscriptum est. Etsi Aventinus Conradum Henrico substituit, Hermanni sine dubio auctoritate inductus, qua tamen non cogimur id ante Henrici Boii mortem factum credere. Henricum BOIVM sequenti anno nongentesimo nonagesimo de Vngaris triumphasse Annales inediti accurati scriptoris testantur, nullo tamen belli suscepti consilio, aut gesti ordine explicato.

ANN. DCCCCXC. HENRICVS VNGAROS VINCIT. *Staindel.*

S. WOLFGANGI MORS. ANN. DCCCCXCIV. *Arnolph. l. 2. de S. Emmer.*

Nonagesimus quartus D. Wolfgangum terris subduxit. Profectionem in Orientalem Marchiam, Austriam vocamus, meditanti, ad coloniæ, vti suspicor, res propiùs inspiciendas stabiliendásque morbus obrepserat, quē cùm magis precibus & sparsa in egentes stipe, quàm medicorum artibus mitigasset, in viam se secundo Danubio dedit. Puppingam navigio appulsum recrudescens morbus ita prostravit, vt coloniâ omissâ, de itinere ad beatam æternitatem duntaxat cogitaret. Vltima amicis mandata daturus Tagmonē virum in paucis sibi charum & à puero in eam spem educatū, vt successorem aliū sibi dari mallet neminem, labra labris suis jussit componere, & fu-

Ditmar. l. 6.

& fugientis reliquias spiritûs ore legere, temperamentum effervescentis juventæ, & vltimum pignus vel paris, vel majoris, quàm ipse gessisset, honoris; decēnio disertè expresso, quo elapso virtutum suarum præmijs esset condecorandus. In memoriam deinde regressus veteris oraculi, quod in BOICAM proficiscenti D. Othmarus secundum quietem dederat, & Episcopum fore, & in sua æde moriturum, séq; in vltima lucta suppetias ei laturum; monitus illum ipsum locum sub D. Othmari tutela esse, boni ominis causa, ad ejus deferri aram se jussit, recreatúsque nonnihil in templi limine, ritè expiato pastóque animo, de Christiani hominis officio luculentè disputavit; æditui turbam confluentem submoventibus, vetuit quemquā à spectaculo mortis suæ arceri; quando neq; vitæ auctorem palam luce, & in cavillantium oculis sublimè mori puditum sit. Hæc elocutum brevi vox & vita defecere. Cęlum subijt prid. Kal. Novemb. BOICÆ tutelam inde gesturus immortali beneficentia, quæ illius nomen nunquam sinet intermori. Iusta tali viro, vt pro digni-

gnitate fierent, Archiepiscopus Salisb. Hartvvicus & Aribo Comes *ex numero fidelium*, vt Arnolfus loquitur *fidelissimus*, in tempore supervenerunt, non sine Numinis impulsu, quando & illorũ adventum Wolfgangus præscivit, & supellectile aquis hausta, ipsos cum familia enataturos incolumes, pridie pronunciavit. His comitibus funus Ratisbonam ductum, defletúmque piorum omnium lacrymis ad D. Emmerammi conditum est. Hartvvicum, cujus mentionem jam feci, sua virtus magnis prodigijs confirmata penè Wolfgango exæquavit. Fama hodiéq; viget, horrente bruma ramum ex arbore carptum in ipsius manib. floruisse; ostentatum etiam posteris, locóq; media hyeme vernanti à flore nomẽ inditum. Friderico in pontificatu, quatuor annis ante Wolfgangi obitum, successerat, non sine divinitatis consilio BOICÆ ita prospicientis, vt semper Sanctorum virorum humeris fulciretur; &, quia in vno Wolfgango multorum instar fuit, jacturam illius morte factam, plurium subrogatione, Deus explesse visus est; quan-

B. HARTWICI SALISB. ARCH. SANCTI MORES. *Henr. Can. To. 6. Ant. L. Hund Metrop* Plüenbach.

quando eadem tempestate etiam Gotthardus exerere caput, ostendíque orbi terrarum cœpit, maximus vir, cujus virtutes non solam BOIARIAM implevere, vt suo loco sumus dicturi. Ad Altaichiũ inferius Rittenbachensi vico mediocribus parentibus in re non maxima natum verius est; nam qui eum Schyrensium Comitum familiæ inseruerunt, vel illius glorias hoc corollario augustiores reddere, vel principi familiæ facere delicias voluerunt ineptè officiosi; Christianus illum, qui Batavensem mitram Pilegrini morte anno nonagesimo primo desertã excepit, admiratione virtutũ literarúmque, quas in juvene suspexerat, primus produxit, amplissimísq; honoribus auxit; sed eorum odio in eo animadverso, auctoratum Deo primoribúsque initiatum sacris Monasterio reddidit; quæ narratio cùm auctorem Arnoldum habeat, qui D. Gotthardi res ex professo tradidit, causæ nihil apparebat, cur illis potius fidem haberemus, qui Fridericum Salisburgensem, Pilegrinum Batavensem, & Wolfgangum denique Ratisbonensem Antistites, illius inauguratores faci-

PRIMA S. GOTTHARDI INITIA.

Laz. Craitz.

faciunt. Gotthardus porrò exactam disciplinæ domesticæ formam reductásq; ab Erchanberto Abbate D. Benedicti leges, quæ integro penè sæculo exulaverant, suspiciens volens lubénsque in illarum verba juravit, majestatémque viva morum imagine exscripsit. Suprà Wolfgangi vltimum vaticinium de Infula Ratisbonensi aut augustiore alia Tagmonis capiti imminente retulimus. prior spes frustrata Tagmonem est; concordibus sententijs Wolfgango successor postulatus, Othonis regis suffragatione, quæ pro prærogativâ tunc valuit, Gebhardo, qui regi à sacris fuerat, locum dare jussus est: ne nihil Wolfgangi judicio concessum videretur, Tagmoni princeps gratiæ locus apud Gebhardum promissus; cum tamen diu non tenuit; quòd moribus, qui vnicum coagulū amicitiæ sunt, nimium quantum dissiderēt, & Tagmo, post familiarem cum Wolfgango vsum, ægrè alteri assuesceret; erant in Gebhardo eximia quędam decora, casti inprimis mores, & ne suspicioni quidem obnoxij; cultus divini studium singulare, vt ardentius in Pontifice nemo requireret; sed

GEBHARDI RATISB. EPISCOPI INGENIVM VARIVM.

Herm. Ann. 1023. Dit. l. 6. f. 29.

ſed ſuberant nævi complures & virtutibus ferè conſpectiores: curæ illius cæteræ parum ſeveræ & propè diſcinctæ; munditiarum amor neque in prophano laudabilis; ingenium inquies & quadrata rotundis mutaturum; molitiones inſanæ aut ſupervacuæ certè; opes ideo quæſitæ, vt profunderentur; quæ non Tagmoni magis quàm populo vniverſo Wolfgangi deſiderium renovarunt. Primo Epiſcopatus ſui anno cum Henrico Principe colliſum reperio, tam graviter quidem, vt agitata in Magdeburgenſibus comitijs cauſa vix exitum, Othone & Principibus arbitris, invenerit. Soluto conventu, Henricus Gandershemium ad ſalutandam Gerbergam ſororem ejus loci ſacerdotem maximam profectus in morbum incidit; eo vſque ad deſperationem vitæ afflictus advocato Henrico filio vltima mandata dedit, illúdque inprimis, Datam Othoni regi fidem conſtanter coleret, tranſmitterétque hanc integram ad poſteros famam, extremam patris morituri vocem ante actæ vitæ exemplis apud ipſum pluris fuiſſe: præterita, inquit, reprehendere quàm corrigere

Ditmar. l. 4. f. 39.

HENRICI PRINCIPIS VLTIMA AD FILIVM MANDATA.

Oo faci-

» facilius est; liberabis tamen invidiâ Ma-
» nes meos, si paternam avitámque macu-
» lam, quia elui non potest, benefactis te-
» xeris, ne perpetuo gens nostra convitio
» vapulet dicíque verè possit, hereditario
» furore, tres Henricos tribus Othonibus
» litem de imperio movisse. Equidem exi-
» stimo, si vlla humanis erroribus apud
» homines piacula superessent, violatę me
» fidei, quas merueram, pœnas pependis-
» se; cùm pro solio in quod ambitio mea
» perreptaverat, carcerem tererem, & vi-
» ce purpuræ Augustaliúmque ornamen-
» torum ferro annulatus fortunæ ludos
» præberem. At enim non tam blandè
» cum peccantibus agitur, vt pœna sim-
» plici defungantur; quin neque sepultos
» sui fatis tumuli tegunt; nam cæteris in-
» juriæ subductis, fama sub infestis vngui-
» bus manet, omnibus seculis ad lanie-
» nam suffectura. In hunc modum etiam
» ego in theatrum producar, quoties po-
» steris placebit ambitiosos configere;
» quotusquisque enim tam æquus est fu-
» turus, vt, cùm duplex nomen diversis fa-
» ctis meruerim, malit me Pium, quàm
» Rixosum dicere? Hujus ego te fortunæ
meæ

meæ hæredem fieri, fili, nolim: opto à te '
vinci modeſtia; patriſſare te, mihi tibíq; '
probroſum ſit; levabis me parte infa- '
miæ, ſi dicar filium mei diſſimilem ge- '
nuiſſe. Cùm Regem te Wolfgángus ſalu- '
taret, noluit te meis veſtigijs inſiſtere, '
quibus ad præcipitia cucurri. nihil for- '
tuitorum metuere, nihil cupere vetito- '
rum, id demum eſſe regium credidit. aut '
ſi verè regnum tibi imminet, quibuſvis '
potiùs quàm paternis artib. eò graſſare: '
exemplo præire, per vitam, non potui, '
recti conſilij viam ſi mea mihi fortuna '
non aperuiſſet, mors vicina oſtenderet: '
de mortalium ſtudijs votíſq; nemo ſin- '
ceriùs judicat, quàm morituri: perſpica- '
ciſſimi oculi ſunt, qui iſta vltima nocte '
obruuntur. In hanc ſententiam plura
graviſſimè elocutus, Henricum ad com-
ponendos patriæ motus, ſi qui ſe mor-
tuo naſcerentur, abire iuſſum vltimo
complexu ſtrinxit, negavítque ſui dein-
ceps videndi copiam fore, futuram bene
merendi: neque deſtitit pio gemitu &
voce ſupplici Dei judicis ſolicitare cle-
mentiam, donec inter vota & lacrymas
vivendi finem fecit V. Cal. Septemb.

Tumulatus est eod. loco ad Crucis triumphantis aram; quanquam etiam Ratisbonæ ad D. Emmerammi ejus Mausoleum ostenditur cum hac epigraphe:

Henricus Regis pater, & defensio Legis,
BOIARIÆ *cultus Pius est hic Duxq; sepultus.*

quod vel Cenotaphium esse, vel Gandershemio eò translatam vrnam fatendum est. Abrahamum Frisingensem Episcopum, ante Henricum, quem olim turbidis consilijs pessundederat, ad divinum tribunal evocatum, ex eo manifestum fit, quòd Gotschalci Episcopi nomen hoc anno publicis tabulis præscriptum est, quibus Otho illi sex prædiorum possessionem in Austria confirmat.

HENRICVS IV. HENRICI II. F. CLAVDVS ET SANCTVS DICTVS DVX BOIARIÆ ET POSTEA IMPERATOR.

V. Henricus, Patris morte vulgata, *electione & auxilio* BAIOARIORVM, vt Ditmarus loquitur, ejus locum apud Othonem obtinuit; vnde intelligas, quæ digni-

dignitatum beneficiario iure à Regibus Imperatoribúsq; conferendarum ratio eo tempore fuerit. generari & nasci à Principibus, quod hodie ferè solum æstimatur, prærogativa sine dubio fuit indipiscendi aviti honoris; prensabatur tamen etiã populus & numerabantur suffragia eligentium; quæ magna pars libertatis fuit nondum extinctæ; cùm neque omnino invitis domini potiùs quàm Principes imponerentur, cogerentúrq; ij tam Cæsaris quàm civium beneficium in fastigio suo agnoscere: proinde neque servitutem sibi illorum traditam, sed tutelam, neque tam remp. suam esse, quàm ipsos Reipub. quæ quidem Henrici curæ per vitam omnem primæ fuere; talis ex Wolfgangi sinu prodijt, qui benè merendi de orbe terrarum vniverso avidus, id ea ratione potissimùm consecuturum se credidit, si optimum illi regem dedisset: Vera enim est Romani oratoris vox, nõ esse præstabilius aut pulchrius Dei munus, quàm castum & sanctum, Deóq; simillimum Principem; Quæ ipsissima Henrici sunt encomia, sed Wolfgangi Magisterio debita; quem etiam Ditma-

Mos adeundi Principatus Boiariæ.

Plin. Paneg.

rus fontem omnis huj⁹ felicitatis agnovit, talem ſeculo illi Patriæque Patrem ſimplici verſu gratulatus:

Nutrit præclarum VVolfgangus Præſul Alumnum.

cujus ille curam cum vita non poſuit; ſed impenſiorem etiam geſſit jam Divis additus, vetúſque Imperij omen multo illuſtriore præſagio confirmavit. Ratisbonæ ad tumulum ſuum precanti in cōſpectum ſe dedit digito in tabellam intento, in qua inerat ſcriptura hæc, POST SEX. Cujus oraculi interpretationem aggreſſus Henricus alia omnia, quàm regna vaticinari, ſextúmque diem ſibi decretorium fingere, & vitæ vltimū: jámq; velut in Libitinæ cenſum relatus abdicare curas ceteras vt ſuperfluas, in eam vnā pectore ferri, vt quàm ſanctiſſimè vita decederet, re nulla prætermiſſa, quæ depoſitis in illo articulo eſſe vſui poſſit. Sextum diem cum ſole, absque vlla ſua noxa, emenſus, comperendinationem ſcilicet eam eſſe credidit in totidem dierum hebdomades, deputandúmque in lucro hoc benigni Numinis auctarium; quo inter pias ſpes metúſq; decurſo, tamen

S. HENRICO OMEN IMPERII DATVM.

men veteris eum conjecturæ non pœnituit, & velut in sextum mensem dilato vadimonio perseveravit seipsum componere & occurrere fato suo; in qua ipsa meta cùm staret etiamnum incolumis, computare annos cœpit, eósq; vixit velut superstes sibi, vt qui seipsum jam toties extulisset. Id ostentum parum rectè ad annos posteriores, qui ab Henrico jã Rege vsque ad Imperatoriam inaugurationem numerati sunt, quidam removerunt; Nihil enim magnum Wolfgangus nunciaturus fuerat, si jam coronato vltimum summi honoris complementum, quod indipisci nullius operæ fuit, involutis illis duûm verborum ambagibus esset vaticinatus. Sed privato, florente adhuc Othonis fortuna & ætate, nulla propinqua spe, oraculum de regno dare nemo nisi cõscius cœlestium consiliorum potuit, neque facilè alius interpres, quàm ipsa dies evoluere. Sub eadem tempora etiam alterius vaticinij à D. Wolfgango olim editi, quo Giselæ D. Henrici sorori coronam imminere sæpe perquam familiariter affirmarat, fides in hunc modum expleta est. Vngari, quem- ad-

GISELA REGINA VNGARIÆ HENRICI SOROR.

admodum suprà docuimus, Geisa imperante, efferatum ingenium mitiore cultu temperare & assuescere legibus humanitatis cœperant; vtique postquam Pilegrinus Batavensis Pontifex Christianæ legis gustu propinato genuinam barbariem genti detersit. Geisam ipsum D. Adelberti operâ Christo nomen dedisse Chartuitius Episcopus scripsit, idémque ex Ditmaro manifestum est, etsi Geisæ nomen is, qui Ditmarum edidit, alio permutavit, veteres notas, vti existimo, nō assecutus. At enim tam altæ superstitionis in ea gente radices erant, vt Geisa vivo satis constet de impietate nō esse triumphatum. Geisa illam perniciabili exemplo fovebat, ijsdem honoribus patrios Deos mactare solitus, quos vero æternóque Numini deberi sine consorte Pietas docet: in eam insaniam sacrorum Antistes liberè invectus operam lusit, Geisa ferociter respondente, leges se dare non accipere; Potentiæ suæ quæ libita sint, eadem licita esse debere. Quam ego causam fuisse scriptori Anonymo interpretor, qui D. Adelberto æqualis, res ab illo gestas literis complexus est, vt testa-

In vita S. Stephani Vng. Reg.

Ditm. edito l. 7.

Deux dicitur

REI CHRISTIANÆ APVD VNGAROS STATVS.

testaretur D. Adelberti pijs conatibus id duntaxat apud Vngaros effectum, *vt ab errore parum mutatis vmbram Christianitatis imprimeret*, cujus sibi scriptores reliqui rationem habendam adeò non putarunt, vt plerique pulcherrimi facti gloriam BOICÆ Principibus Henrico & Giselæ magno consensu tribuant, cui convellendo Chartuitius vnus vnicúsque par esse non potest, cujus fidem in historia vel hinc æstimes, quòd improbâ in Henrici castum thorum injuriâ, Giselam ejus filiam facit. Hujus ergo nuptias cùm Geisæ Filius, quem à Ditmaro Waic dictum existimes (nisi iterum nomenclatio fallit) cupidè ambiret, voti sui non antè compos factus est, quàm, ejurata superstitione, cum tota gente ad nostra sacra transiturum se polliceretur. Christiano more abluto Stephani nomen inditum: ex quo tempore pietatem ita magnificè coluit, vt nec Giselæ, víxque adeò Henrico quidquam concederet, amplissimum Patriæ suæ Apostoli cognomen cum eo ex æquo partitus. Gisela porro cum Religio-

Herman. ann. 995.
Sigeb. 1010.
VVippo in Conr. Salico.
Vsperg.
Nonnus.
Mart. Polonus.
Otho Frising.
Ditm. l. 4. & alij.

admodum suprà docuimus, Geisa imperante, efferatum ingenium mitiore cultu temperare & assuescere legibus humanitatis cœperant; utique postquam Pilegrinus Batavensis Pontifex Christianæ legis gustu propinato genuinam barbariem genti detersit. Geisam ipsum D. Adelberti operâ Christo nomen dedisse Chartuitius Episcopus scripsit, idémque ex Ditmaro manifestum est, etsi Geisæ nomen is, qui Ditmarum edidit, alio permutavit, veteres notas, vti existimo, nô assecutus. At enim tam altæ superstitionis in ea gente radices erant, vt Geisa vivo satis constet de impietate nô esse triumphatum. Geisa illam perniciabili exemplo fovebat, ijsdem honoribus patrios Deos mactare solitus, quos vero æternóque Numini deberi sine consorte Pietas docet: in eam insaniam sacrorum Antistes liberè invectus operam lusit, Geisa ferociter respondente, leges se dare non accipere; Potentiæ suæ quæ libita sint, eadem licita esse debere. Quam ego causam fuisse scriptori Anonymo interpretor, qui D. Adelberto æqualis, res ab illo gestas literis complexus est, vt testa-

In vita S. Stephani Vng. Reg.

Ditm. edito l. 7.

Deinx dicitur

REI CHRISTIANÆ APVD VNGAROS STATVS.

testaretur D. Adelberti pijs conatibus id duntaxat apud Vngaros effectum, *vt ab errore parum mutatis vmbram Christianitatis imprimeret,* cujus sibi scriptores reliqui rationem habendam adeò non putarunt, vt plerique pulcherrimi facti gloriam Boicæ Principibus Henrico & Giselæ magno consensu tribuant, cui convellendo Chartuitius vnus vnicúsque par esse non potest, cujus fidem in historia vel hinc æstimes, quòd improbâ in Henrici castum thorum injuriâ, Giselam ejus filiam facit. Hujus ergo nuptias cùm Geisæ Filius, quem à Ditmaro Waic dictum existimes (nisi iterum nomenclatio fallit) cupidè ambiret, voti sui non antè compos factus est, quàm, ejurata superstitione, cum tota gente ad nostra sacra transiturum se pollicceretur. Christiano more abluto Stephani nomen inditum: ex quo tempore pietatem ita magnificè coluit, vt nec Giselæ, víxque adeò Henrico quidquam concederet, amplissimum Patriæ suæ Apostoli cognomen cum eo ex æquo partitus. Gisela porro cum Religio-

Herman. ann. 995. Sigeb. 1010. VVippo in Conr. Salico. Risperg. Nonnos. Mart. Polonus. Otho Frising. Ditm. l. 4. & alij.

nis suæ monumenta extare quamplurima vellet, insignem etiam Vesprinia Basilicam de suo statuit, & regiâ opulentiâ auxit par omnino Theodelindæ fœmina, eodémque jure debellatæ apud Vngaros impietatis triumphum merita, qualem BOICÆ illi Heroidi, profligatis apud Langobardos Arij erroribus, suo loco decrevimus. Hoc etiam illâ felicior, quòd maritum juxtà atque Filium Divos habuit, & vt tales dicerentur, ipsa fecit; cùm ad alterum pietatem dotis nomine afferret, alteri illam cum lacte infunderet. Aventinus nescio quos autores secutus, quinque BOICÆ optimates Hantonem, Wolfgerum, Hermannum, Bosonem, & VVenceslaum nominat regiæ sponsæ Paranymphos, qui Stephanum militari baltheo armísque, more Teutonum cinxerint, eidemque ad gentem Christo subijciendam continendámque in fide magno vsui fuerint. Anno nongentesimo nonagesimo sexto Otho in Italiam ad compescendam Crescentij tyrannidem profectus Ratisbonam ex itinere divertit, graviter in Ramvvoldum D. Emmerammi Ab-

ANN. DCCCCXCVI. *Herman. Arnolph. l. 2. de S. Emmer.*

S. RAMWOLDVS OTHONI IMP. CONCILIATVS.

Abbatem commotus, quòd Gebhardus Antiſtes lacerari ab eo famam Cæſaris iniqua criminatione detulerat, quam Otho tam altè in pectus demiſit, vt integerrimum ſenem etiam alloquio arceret, donec Heribertus, qui paulò pòſt Colonienſis Archiepiſcopus factus eſt, confutatâ præcipiti iracundiâ, Othonẽ perpulit, vt Ramvvoldum ad cauſam dicendam evocaret, rectè monens, ſi accuſaſſe ſatis ſit, de omnium innocentia actum eſſe; ſibi ſatis cõſtare, à Ramvvoldi ingenio malè agere diceréque juxta alienum eſſe. Multum jam detumuerat Otho; vbi verò Ramvvoldum ipſummet cano capite, moribvs antiquis, vivum modeſtię exemplar abjectũ humi, cúmq; eo Monachorum agmen nudis pedibus in reorum morem ſordidatum aſpexit, exarmavit illico miſerabilis facies reſides iras, levatúmq; & pro dignitate excultum non modò patienter audivit & benevolè, ſed damnata credulitate ſua, perſonam Iudicis temerè ſumptam poſuit, Rei induit, proſtratúſque ad D. Benedicti aram Chriſtianis piaculis ad arbitrium Ramvvoldi, cui ſe totum permiſerat,

rat, largisque lacrymis intempestivam ferociam aluit, vltima commeritum exempla se professus, & ipsa luce indignū: Ratisbonensem etiam Episcopum, cujus maledicentiâ in fraudem impulsus fuerat, cùm jam in procinctu esset, stans ad D. Emmerammi aram ea audire coegit, quæ illius impotentia meruerat, vetuitque omnino Divi Emmerammi alumnis negotium facessere; nî paruisset, Deo sibique pœnas daturum; tandémq; inter faustas acclamationes prospera lætáque apprecantium, *præcedente sancta & Crucifera Imperiali Lanceâ*, vt Arnolfus, cujus hæc tota narratio est, loquitur, iter cœptum in Italiam intendit. Quo tempore Ioanni XV. Rom. Pont. mortuo Bruno Othonis Sueviæ BOIARIǽq; Ducis Filius, Henrici Minoris frater successit, Gregorius Quintus appellatus: Otho autor fuit, paulò pòst ab eod. Pont. Imperator salutatus. Tum verò bellissima occasio visa, cùm duo summa Imperia alterum Sanctissimum, Augustissimū alterum penes eandem gentem esset, & divisum orbis Christiani regimen duo homi-

SEPTEMVIRVM ELECTORVM PRIMA INSTITVTIO.

homines Germani tenerent, prospiciendi patriæ, quomodo Imperatoria dignitas Germaniæ constabiliretur æternáq; redderetur. certissima ejus obtinendi spes affulgebat, si creandorum Cæsarum potestas ad certos Imperij Proceres eosdémque Germanos contraheretur. Ergo tum primùm mētio illata Electorum est, in quorū Collegio BOIARIÆ Principes jure, quo qui optimo & antiquissimo, jam inde à primâ ejus dignitatis origine censos fuisse, demonstratum ab alijs est, nósque, rebus ipsis eò ducentibus, honoris prærogativam adversariorum iniquitate appetitam suis possessoribus confirmabimus. Sequente anno Gotthardus Altahensi Monasterio, Henrico Principe annuente, præfectus est, expugnatâ tandem post biennium, quod tergiversando extraxerat, modestiâ. Sub idem tempus cùm S. Adelberti Pragensis Episcopi gloriosa mors Fidei causa apud Prussos obita frequentibus prodigijs inclaresceret, Otho Imp. adorandi tumuli causa religiosum in Poloniā iter suscepit, summis vtriúsque ordinis viris comitantibus. Ratisbonam diverteuti maxi-

Steindel & Vita.

Ditm. l. 4.

PRVELENSE & SEONENSE MONASTERIA. *Ex Gevvoldi edit. Metrop. Salub. f. 344.*

maximi honores à Gebhardo Episcopo habiti sunt; quem circa hæc ipsa tempora Monasterium Prüelense prope Ratisbonam erexisse, & D. Benedicti sodalibus incolendum dedisse comperio. Æmulatus pietatem est Aribo Comes arcémq; suam non procul Chimensi lacu sitam, Burgilum dictam, in ædē D. Lamberto sacram commutavit, Monasterio adjecto, quod Seon hodie dicimus; Sylvester Pontifex & Otho Imperator, Henrico flagitante, factum probarunt: Adelbertus familiam primus duxit, idémque anno primo supra millesimum cū Gotthardo Altahensi Abbate D. Ramvvoldi funus duxit, quod quidem viro illi splēdidissimum obtigit dignúmq; maximis virtutibus, quibus integrum seculum illustravit: obijt enim centenarius. Henrico Principi parum visum est exequias ire, nisi insuper vespillonis munere occupato, succollans sandapilæ, cadaver tumulo inferret; in subterraneam adeo fossam desiliens, ossa in vrna composuit: ea obseratâ, clavem exemptam pignoris loco abstulit, atque vt Arnolfi Comitis verbis vtar, *etiam in fascibus constitutus*

In edit. Gevvoldi per an. 999. vitiosè ponitur 1499. A. M I.

S. RAMWOLDI BEATA MORS ET ILLVSTRIA FACTA. *Arnolphus Vohburg.*

regni,

regni, eandem ſemper ſecum velut inſigne triumphi reſervavit, memorabili ad omnem poſteritatem pietatis exemplo, & ſeculi noſtri faſtum improbámq; in ſola virtute verecundiam in verum ruborem daturo. Auxit funebrem pompam etiam Gebhardus Epiſcopus, & veteres offenſiunculas vltimo pietatis officio ſinceríſque lacrymis deterſit. Tumulus deinceps Ramvvoldi velut cæleſtium beneficiorum promptuarium votis ægrorum nunquam irritis frequentatus eſt. Arnolfus his temporibus proximus ejus rei argumenta pluſcula cum fide publicavit: Nos ad tanti viri memoriam poſteris commendandam prodigium vnicum, quod vivo contigit, ſtrictim & velut in curſu libabimus. Pituita olim Ramvvoldi oculos ita inundaverat, vt vtrumque lumen penitus extingueret, cujus occaſum continuo biennio non modò patienter, ſed hilariter etiam tulit ſolas animi tenebras deprecatus; quãdiu enim Dei videndi copia ſupereſſet, negavit cœcum eſſe ſe, neque miſeratione dignum, quod contendere cum muſcis

ſcis non poſſet: illum verè miſerum eſſe, qui lucem & diem tantùm in capite circùmferat. Neq; triſtior illi vox vnquam excidit. Tandem circum aras reptanti ínque Crucis complexu obdormiſcenti viſus eſt Servator noſter è Cruce delapsꝰ faces duas luculentas in oculorum orbes impingere: id ſomni ludibrium non fuiſſe reddita è veſtigio lux comprobavit. Ramvvoldus, vt beneficij monumentum extaret, ſimulacra oculorum, *oculares circulos* Arnolfus appellat, è tholo, pietatis ſuæ Anathema ſuſpendit. Ejus mors cùm ex certiſſima nota ſepulchrali cippo inciſa, & Arnolfi teſtimonio in annum primum ſupra milleſimũ & X V. Kal. Iul. inciderit, adhuc rerum potiente Othone, errare eos manifeſtũ eſt, qui hunc Othoni annum fatalem annotarunt. Nimirum literarum raritas, quæ ſolæ lucem dare omni ævo poſſunt, has nobis tenebras offudit; quas poſtea nati diſcutere aggreſſi, divinandi audaciâ, qua egregiè vſos experimur, ſæpe intenderunt; id vel in hujus ſequentíſque anni Hiſtoria cernere promptum eſt, quam nos ex Tangmaro, qui res à D. Bern-

Bernvvardo Hildesheimensi Episcopo gestas scripsit reponemus; vbi priùs Ditmari, Sigeberti, quiq; hunc potissimùm secutus est, Sigonij narrationem, sed nostris verbis, reddiderimus. Hi igitur Othonem in Italiam ad Saracenos Campaniæ infestos compescendos transcendisse, tradidere; quibus insigni felicitate neque minore fortitudinis laude perdomitis, religione se, quam Romualdus sanctissimus vir, ob Crescentium contra datam fidem occisum, illi injecerat, se liberavit. Cassinate Monasterio primùm adito, cumulatáque regijs donis D. Benedicti arâ, nudis pedibus Garganum montem D. Michaelis tutelâ celebrem ascendit: quib. tam insuetis ævo nostro piaculis illum tamen Romualdus non absolvit, sed ad mutandam cilicio purpuram abdicandúmque Imperium non valde reluctantem invitavit; neque, quo minus tam arduum consilium exequeretur, aliud obstabat, quàm quòd Romanos iterum tumultuantes compescere, pacatámque successori relinquere provinciam gestiebat, multum dehortante Romualdo, & tristissima voce in- OTHONIS III. RES IN ITALIA GESTÆ.

auſpicatum iter interpellante, Ravēnam ampliùs non viſurum, ſi Romam iviſſet. Ivit tamen Otho, vrbémque bonis legibus formare aggreſſus pretium vtiliſſimæ operæ odium tulit. Conjuratum in illius perniciem eſt, Gregorio quodam factionis principe cruenta conſilia dictante. Concurſum ad arma publicè, & obſeſſus in Prætorio Otho à furentibus ad necem depoſcebatur, ijs, qui ad vim arcendam accurrerant, occiſis. Actum erat de ſalute Imperatoris, niſi Henricus BOIARIÆ Princeps cum Hugone Marchione Thuſciæ opem in tempore tuliſſet. His interpretib. de pace agi cœptum, remiſſǽque nonnihil cum ira excubiæ. dum vltro citróque, velut ad ferendas accipiendáſq; conditiones, Principes pacis arbitri cōmeant, Otho ſubducendi ſe occaſionem nactus vrbe cum Sylveſtro Pontifice profugit. Tentatum ſubito furore ſcelus, quia effectu caruit, ſerâ pœnitentiâ ipſimet auctores damnarunt; Romanum Pontificem, Romanum Imperatorem, ſancta omnibus terris nomina, majeſtatémque divinæ proximam, parentes generis humani in ſua vrbe

Ditmar. l. 4. Sigeb.

HENRICVS BOIVS OTHONEM VLTIMO PERICVLO LIBERAT.

vrbe de vita periclitatos. quale nomen nefasto illi & planè atro diei infamando execrandóque satis funestum & atrox futurum fuerit, quo hæc duo lumina inter suas manus occidissent? quam verò reliquam fortunam suam fore, si quidem par meritis contingat? infestos omnes mortales passuros se, quos meditato gemino paricidio vnâ operâ sibi inimicos ceperint. Talia fata malè sibi conscijs augur animus dictabat, facilem per se conjecturam adjuvante Othone, qui totus in apparatu sumendi de nefarijs latronibus supplicij multa passim implacabilis iræ argumenta edebat. Quicunq; salvam Remp. vellent, læsámque Imperij majestatem in capite suo agnoscerēt, ad vindicandam tam insignitam injuriam gravissimis edictionibus convocabantur; vt facilè animadverterent Romani, funestum in se fulmen procudi: expertis enim jam Othonianas manus, in multo mitiore ira, proclive erat gravitatem plagæ animo præmetiri, ad quam infligendam Imperator totius Germaniæ vires excitasset. Igitur etsi veniam neque mereri jam, neque sperare planè

poterant, Othonianos tamen, qui in vrbe remanserant, inviolatos dimittunt, qualemcunque gratiæ locum aucupantes, illísque si non patronis, at certè minus inimicis vsuri. Huc adducta Romanâ re, repentè tempestatem in illius excidium maturescentem potentior vis difflavit, ejus concitatore Othone submôto & ad tumulum raptato, fœmineaque, quod probrosissimum viris, manu. Ita enim à plerísque traditum est, vxorem Crescentij, qui perduellionis crimen capite luerat, formæ illecebrâ Othoni cõciliatã, & regni thoríq; cõsortiũ sperare ausam, postquã voto tã ambitioso exciderat, sive repudij sui, sive mariti vleiscẽdi studio ad fatales jã olim maximis Heroibus artes conversam, pestẽ mortémq; Othoni in manicis, amicitiæ specie, misisse; quarum etsi apud Ditmarum nulla mentio est, pustulas tamen idem è corpore protuberantes memorat, haud dubiè grassantis veneni indices; quo quanquam excedi se animadverteret, animum tamen, quin etiam vultum in potestate habuit, serenus semper & comis in amicos, fluxam eorum fidem eadem constan-

OTHONI EXITIVM PARATVM.

ſtantia diſſimulans, qua inteſtinæ peſtis tormenta. Coitiones enim palàm fiebant inter viros principes vtriuſque Ordinis, & de abrogando languenti Imperio, transferendóque in Henricum BOIVM, ſed eam conditionem generosè aſpernantem, conſultabatur; haud ignaro Othone, & inter meliores curas, ad hanc injuriam immoto. caſtis interim pervigilijs inter vota & lacrymas ductis, ſtans in procinctu adeundæ æternitatis, dum totus illi inhiat, corpori refocillãdo vix vnũ è ſeptenis diem indulgebat, donec IX. Kal. Febr. Paterni fatis ſuccubuit; laudatiſſimus Princeps, quique clementia & largitate omnes illius ævi mortales ſuperavit. Sed operæ pretium eſt, etiam Tangmarum oculatum teſtem, etſi diſcordi oratione, biennij geſta narrantem audire, qui Bernvvardum Hildeshaimenſem Antiſtitem comitatus prid. Non. Ianuar. an. M.I. Romam ingreſſus, menſémque cum dimidio illic moratus rebus omnibus interfuit. Lis Bernvvardum ſuper Gandershaimenſi cœnobio orta, cujus ſibi jus Willigiſus Moguntinus Antiſtes arrogabat, in vrbem traxerat;

HENRICVS OBLATVM OTHONE VIVO IMPERIVM REPVDIAT.

TANGMARI DE REBVS OTHONIS VLTIMIS NARRATIO.

rat; cúmque causæ suæ faventem haberet Henricum BOIVM ipsum quoq; Romæ tunc versantē, facilè impetravit, vt Sylvester Pontif. re in Episcoporum conventu probè perpensâ, Othone etiam & Henrico suffragantibus, sententiam pro Bernvvardo ferret. Ea ipsa tempestate Otho Tiburtes obsidione premebat, quam Sigonius in annum nonagesimū septimum promovit, causâ etiam additâ, quòd Cæsaris iram, Mazolino nobili illius Duce interfecto, incurrissent. Ea obsidio cùm spe lōgiùs traheretur, multique moræ impatientiâ & desperatione successus solvēdam suasissent, vnus omnino Bernvvardus ejus cum cura continuandæ & intendendæ auctor fuit, quædam rectiùs non tentari dictitans, quàm deseri; infame ducibus esse à proposito resilire, & cōsilia jam publicata serâ pœnitentiâ stultitiæ arguere. Ipse denique cum Sylvestro Pontif. Vrbem ingressus civibus deditionem persuasit; quam civitatis principes detracta veste nudi, strictos enses virgarúmq; fascem præferentes, ad Cæsaris pedes à Pontificibus adducti, sine vlla exceptione, neque vitam

adeò

adeò libertatémve, aut incolumitatem vrbis pacti, fecere. Ea res ad veniam gratiámque valuit; quòd tàm miserabilis ac supplex Legatio quantæcunque ferociæ satis magnum piaculum videretur. Iussi duntaxat sunt, damnatis armis, vrbem suam adversus Othonē fide tueri; id optimum illis munimentum fore. Sigonius imperatos obsides, & parte mœnium nudatam vrbem scripsit. Pax Tiburtina iterum Romana arma excitavit; prohibitus vrbis ingressu Otho; vltro citróq; commeandi facultas sublata; nonnulli etiam Othonianarum partium violati peremptíque, inutili furore neq; diuturno: Simul enim Cæsar notas vrbi vires ostentavit, pastúsque divino Epulo miles, Bernvvardo Signiferi vices obeunte, *& cum sancta hasta* (Tangmari verba sunt) *terribiliter fulminātē*, mœnibus successit, subitus pavor arma Romanis animósque ademit. Acclamatum vndique ab inermibus, in Cæsaris se potestate fore; qui sequenti statim die, conscensâ exedrâ, vnde conspici ab omnib. posset, luculenta oratione meditatum

Romanis paricidium exprobravit. Hoc enim potiſſimùm nomine ſceleratę molitionis vltimæque dementiæ invidiam exaggeravit. Nihilominus vt verè Patrem Patriæ factis ſe oſtenderet, duorum ſeditionis principum, quorum alteri Benilo nomẽ fuit, ſanguine, & reliquorum lacrymis iram extinxit. Atque hic Romanæ perfidiæ, quam alij in ſequentem annum reijciunt, exitus fuit. Et Tangmarus tum quidem cum Bernvvardo in Germaniam redijt: Sed cùm Gandershaimenſis lis Willigiſi pertinaciâ finem nullum reperiret, adulta æſtate Romam remiſſus, Othonem non procul Spoleto reperit, Epiſcoporúmq; concilio, quos Tudertum Sylveſter exciverat, Natalitijs Dei noſtri ferijs, Othone itidẽ præſente, interfuit, quo, III. Idus Ianuarij, in patriam reverſuro, tentari ſe febricula faſſus eſt, eáque quotidianis incrementis auctior illum X. Kal. Febr. (nonum alij annotarunt) vita expulit. Atque hæc Tangmari narratio eſt, quæ quòd à ſuperiore abiret longiùs, ſeorſim ponenda viſa eſt. Mortui cadaver milites ſuccollantes, vel, vt Glaber ſcripſit, equo impoſi-

OTHONIS MORS.

positum, in Germaniam tulere, non sine gladiatoriis ludis, quibus Italorum improbitas mœstum agmen per septẽ continuos dies carpentium, causam dedit. Veronæ demum condere ferrum licuit. BOICAM ingressis, Pollingæ Henricus Princeps obviam prodijt, amplexúsque vrnam, cùm modum nullum lacrymandi faceret, jam sopitos familiarium luct⁹ integravit. Confluxerant ad idem humanitatis officium BOICÆ Proceres sacri prophaníque, intérq; effusa omnium studia amicum certamen pietatis spectabatur; Henricus etiam sandapilam subijt, dignus vel hac modestia, qui Othoni in Imperio succederet, labantémque patriam humeris fulciret. Valuit certè tum pulcherrimi exempli vis, tum opportuna jactati vexatíque periculoso itinere exercitus recreatio, vt candidato Imperij multo paratiora studia essent. Neque enim dissimulanter jam illi fastigio imminebat, sed prehensabat insuper non suffragatores tantùm, sed illos etiam, ex quorum benevolentia incremẽtum famæ suæ sperare poterat, ambitione tantò minùs inverecunda, quòd nuper, cũ

Ditm. l. 4. Adelboldus, vel qui ejus nomine a Gretsero editus est in DD. Bambergensib.

HENRICI ADVERSUS OTHONEM MORTUUM PIETAS.

HENRICUS IMPERII CANDIDATUS.

Othonis pigere Principes cœpiſſet, omnium in ſe ora meminerat converſa, patuiſſéque ſibi jã tum viam ad Imperium, ſi proculcare fidem, ipſis hortatoribus, ſuſtinuiſſet, vocéſque purpuram vltro oſtentantium patris ſui poſtremis monitis antetuliſſet: redegerat etiam Auguſtalia inſignia in poteſtatem Henricus, extra ſacram Lanceam, quam Heribertus Colonienſis Antiſtes avexerat, integerrimus vir miniméque malè cogitans, qui patriæ publicíque boni amore, cùm id ſedulò cavendum ſibi exiſtimaret, ne paucorũ factione & audaciâ tumultuarius alicunde Regulus proſiliret, illam Imperij tutelam & primarium dec' collocare in tuto ſtatuit, donec voto vocéque eorum, ad quos pertineret, ſalutatus productúſque Imperator in ſolenni inauguratione illud inſigne, more majorũ, mortalibus immortalibúſque faventibus, capeſſeret. Innoxium optimi Præſulis factum invidiâ non caruit. Henricus calumniatorum aures circumſidentium iniquitate abreptus eò vſque eſt, vt Heribertum cuſtodibus ſepſerit, libertate abeundi non antè conceſſa, quã fra-

HENRICVS CVM HERIBERTO COLLISVS.

fratrem obſidem dediſſet, eum ipſum non niſi relatâ Lanceâ recepturus; etſi ne id quidem ad redintegrationem gratiæ ſatis valuit, donec reſides offenſiunculas major de cælo vis & manus abſterſit, vti ſuo loco ſumus dicturi: Inter has tricas Auguſtam Vindel. peruentum eſt, vbi Othonis exta duabus vrnis compoſita Henricus non procul à D. Vdalrici tumulo condidit, Manibúſque placandis inferias miſit, centum prædijs monaſterio contributis. Inde Aquisgranum verſus feralis pompa proceſſit, nondum defeſſa Henrici pietate, donec ab Henrico Moſellano perſuaſus miſſionem Othonianis ſtipatoribus dedit. Kunegundis frater hic fuit, quam Henricus noſter, vivo Othone, ſibi deſponderat, raro fœdere admirationémq; in omne ævum habituro; ita enim inter piè amantes cõvenerat, vt, illibato vtrinq; pudoris flore, etiam conceſſam Venerem thoro proſcriberent ſuppares Divis & mortalium vota gaudiáque generoſo contemptu ſupergreſſi; quo digniores viſi ſuperis ſunt, qui à domeſtico illo animorum cupiditatúmq; regno ad Imperium orbis

bis terrarum ascenderent; Cuius primordia, quando tempus ita monet, narrare nunc aggredior.

VI. *Ditmar. l. 4.* COMPETITORVM HENRICI AMBITIO.

Othone mortuo primi omnium Saxones privato consilio gentis suæ Comitia Frasæ Imperiali vrbe celebrarunt: primum in ijs locum Gisilerus Archiepiscopus Magdeburgicus, cum Episcopis illius autoritatem agnoscentibus tenuit; inter Principes Bernardus Dux & Lotharius, Gero & Eckhardus Thuringiæ Marchio eminebant; ij consulere in medium aggressi, erumpēte palàm Eckhardi ambitione, frustra fuerunt. Eorum hominum Eckhardus fuit, qui quantum animus caperet, cuperet etiam; ipsum proinde regnum spe complexus, consiliorum moram libertatémq; sententiarum velut scopulum cupiditatis suæ apertámque repulsam formidabat: Ea improbitate offensus Lotharius, seductis in partem procerum sanioribus, negat eo tempore locóque regni mentionem, nihil ad se sigillatim pertinentis, vllam faciendam admittendámque esse: quotam enim Germaniæ portionem Saxones esse? aut qua fiducia sperari autoritatem

præ-

prærogativæ præjudicijq; sui cæteros secuturos, penes quos jús suffragij esset? cùm secessionis factionísq; speciem habiturum potiùs id suum conventiculū sit, quàm justi Concilij pro Repub. advigilantis, si maximam rem privatim ausi, Imperatorem orbi obtrudere, & caput imponere tot populis meditentur; in quo vt cætera abunde sint, & paria tāto nomini, id tamen displiceat, quòd de illius virtute & felicitate soli Saxones judicârint. Rectè proinde atque ordine facturos, si causam integram ad Werlensia Comitia reijciant, ampliorem ex ea modestia laudem, quàm fructum ex intempestiva suffragatione laturi. Dicenti omnes præter Eckhardum assensi sunt; qui neque id quidem impetrare ab animo suo potuit, vt Lotharij intercessionem tacitus mussitaret, eoúsq; prorumpente indignatione, vt palàm quæreret, quibus causis impulsus currum Fortunæ suæ sufflaminaret? festivè reponente Lothario, cur ipse tribus tantùm rotis subnixus curriculum supremi honoris ingredi esset ausus? ambitionem illius imperitę aurigationis similitudine irridens.

Eodem

Eodem tempore Hermannus Sueviæ & Alsatiæ Dux non tam suopte ingenio, quàm promissis Procerum, quibuscum Othonis funus Aquisgranum duxerat, inflatus, eadem, qua Eckhardus, via ad Imperium grassabatur, gravior Henrico æmulus, & regni illius primordia civili sanguine cruentaturus. Henricum Babenbergæ subsistentem, Ditmari, cujus hæc omnis narratio est, Patruus monuit, rebus suis egregiè consulturum, si per idoneum hominem tractãdorúmq; animorum gnarum Procerum voluntates, qui Werlam confluerent, prætentaret; mandata etiam ad Sophiam & Adelhaidem Othonis III. Sorores daret, quibus, vtpote Werlæ tunc commorantib. locus ipse & præsens tractatio rerũ certiora subjectura consilia videbantur: neque defuturas ijs rationes, quib⁹ Hẽrico ad spes suas iter munirent. in tanto comitiorum æstu, fluctuantibus studio partium animis, à minimis momentis maximas rerum inclinationes pẽdere; mittere certè eas in ora hominum Henricũ & famæ commendare posse, cujus iniquitate aut silentio etiam maximæ sæpe vir-

virtutes oppressæ sint: id æmulos acutè intellexisse, qui pridem venales linguas ad invadendam lacerandámq; illius innocentiam conduxerint, quorum maledictis nisi obviam eatur, etiam falsò credita veri vicem obtentura. Persuasus his rationib. Henricus militarem virum Werlam amandat; cujus tam opportuna oratio fuit, vt vndiq; à circumfusa multitudine acclamatum sit, si vota publica audiantur, neminem præ Henrico imperaturum: sive enim virtutis ratio habeatur, primum vtique esse; sive sanguinis; ab Othonibus secundum. Ominosam vocem confestim exploratores ad Eckhardum detulere, omnes susurros popularis auræ captantem iratúmque tam infestis judicijs suæ cupiditati; quam vt qualicunque præjudicio sublevaret, invocatus in cōvivium regiâ magnificentiâ per Henrici neptes instructum irrupit, contemtóque designatorum arbitrio, summus assedit, saltem in mensa Modimperator futurus. Factum plenum ruris odia in Eckhardum multò acriùs inflammavit, quibus ad desperationem vsque exagitatus Werlâ se proripuit, fulcrum

HENRICVS PER LEGATVM IMPERIVM AMBIT.

rum ambitioni suæ apud Hermannum Ducem quæsiturus, impetu magis animi, quàm certa cogitatione aut consilio; quomodo enim apud flagrantissimũ cõpetitorem hospitiũ, nedum suffragium inveniret? præsertim cùm, quaquaiter intenderat, pro rege se palàm ferret, affectator nobilis præcipitij, &, si pereundum esset, ex alto casurus, memorabili ruina; quæ miserum Poledæ involuit Northemiorum Comitum insidijs occisum. insultatum etiam mortuo est, circumlatúmq; caput hostium oculos pavit benigna sannarum materia, fortunâ ei sepulchrum negante, cui ambitio coronam quæsierat. Henricus altero ex æmulis ad hunc modum prid. Kal. Maij sublato, BOIORVM Francorúmque Orientalium nobilissimis comitantibus, Wormatiã, ineunte Iunio, accessit; transito illic Rheno, Moguntiam inaugurationis regiæ causa profecturus. Et BOIORVM quidem Antistites omnes adfuere, Hartvvicus Salisburgo, Gotschalcus Frisingâ, Gebhardus Ratisbonâ, Christianus Batavis, Brixinâ sive Alboinus sive Adalbero. Moram properanti Herman-

ECKHARDVS HENRICI ÆMVLVS OCCISVS.

mannus attulit, adversâ Rheni ripâ multo milite insessâ: Henricus obijcere suos periculo metuens, conclamari vasa, reditu in BOICAM simulato, iussit; inde per nota diverticula Laurisheimium deflectens, eluso æmulo evitatisque incommodis, Moguntiam omnibus applaudentibus intravit, regnúmque maximis virtutibus debitum, Willigiso Moguntino Antistite inaugurante, VIII. Id. Iunij adijt. Inter publicas gratulationes Francorum maximè Mosellanorúmque proceres civitatem converterunt. parum antehac Henrico æqui nunc obsequijs illos quoque anteibant, quorum cōsensu victi ad officium redierant. Postulato deinde decretóque in Hermannum bello, Henricus cum milite populabundo Alemanniam pervasit, si fortè domesticis cladibus ferox animus detumesceret; sed ille patriâ lanienæ objectâ, Argentoratum Wicelino ejus vrbis Episcopo infestus adoritur, eâque, Reinhardi potissimùm perfidiâ, qui vrbi præsidio relictus fuerat, brevi potitus est. Victoriam fœdè partam multo majore suo, an suorum, quod credi maluit, scelere

HENRICVS CÆSAR SALVTATVR.

CONTRA HERMANNVM SVMPTA ARMA.

lere inquinavit: cùm, prophanis opibus direptis, adhuc sitiret avaritia, etiam aris improbus miles manus est admolitus, expilatáque D. Virginis æde, faces in-
Herman. ann. 1003. Dum. f. 54. tecta jactavit; superis, dum cessant mortales, suas injurias vlciscentibus, non alijs, quàm sacrilegorum armis, quæ in suos versa dominos, vtibilem Iustitiæ vindici operam commodarunt. Barbarum factum vltimaéque impietatis non probavit Hermannus, vlturus etiam, si scelus pauciorum fuisset: valuit ad veniam, quòd eâ dignus vix in toto exercitu reperiretur. vrbe tamen excessit mœrentis specie, monimentum infamiæ *suæ* aspicere non sustinens. Nihilominus quasi cum tali exercitu adhuc felix esse posset, deposcere sibi pugnam visus est; eámque cupiditatem Henrico Regi in Augia Acronij Lacus insula natalem D. Ioannis Baptistæ religiosè agenti fama nunciavit gratissima futura, nisi fefellisset. motis extemplo castris signa in aperta planitie explicavit, causæ magis, quàm virium fiducia. Sed diebus aliquammultis inutili mora consumptis, hostis non comparuit. Ingratum

tum id militibus otium fuit, vt quo nemo ditesceret. Circumduci se supplicantium ritu ad Divorum pulvinaria querebantur, frequentiores in templis quàm tentorijs, sacerdotúmque munere occupato, semper habere, quas celebrent, ferias: hostem interim Argentinensibus sacrilegijs onustum pietati suæ insultare, & spolia vndecunque parta circumferre in contemptum modestiæ suæ; cùm in vicinia Constantiam aspiciant, in quam Argentinensis calamitatis exemplum edi longè æquissimum sit. Id Lamberti causâ dictum, qui ejus vrbis Episcopus decessisse fide, & Hermanno studere creditus est: etsi id non tam voluntate faceret, quàm quòd in confinio Alemanniæ sitam vrbem, nisi tempori serviret, obnoxiam injuriæ videbat; quæ causa etiam Curiensem Episcopum Vdalricum impulerat, vt tutiora consilia honestis anteponeret, & animo tantùm apud Henricum esset, ijsdem necessitatis fluctibus ad Hermanni partes abreptus. Rex triste consilium abominatus negavit de Hermanni scelere in capite innoxio supplicium sumpturum; neque HENRICI MITE INGENIUM. adeò

adeò regendi artes à tyranno mutuaturum, cujus exemplis si delectetur, causam nullam esse, cur potiùs pro Henrico vota suscipiat Resp. quàm pro Hermanno: se quidem illi titulum sanguinarij, vrbium eversoris, violatoris sacrorum, adde etiam Dei hominúmq; contemptoris non invidere; sibi satis constare, Constantiēsibus multò meliorem mentem esse, quàm fortunam; quin etiam in apertis perfidiæ argumentis, illis reditum neque ad innocentiam, neque ad gratiam præclusurum; neque omnes hostium habiturum numero, qui id meruissent; arma certè in neminem capturum, nisi qui vinci clementiâ nolit; ferrum apud se vltimum fore remediorum. Ita Constantia servata est: quin etiam Alemannia militum avaritiæ subducta illic certè licere sibi quidvis arbitrantiū, & agere ferréque omnia, quæ oculos irritaverant. Verùm simul ac lamenta quiritantium, excidiúmque patriæ, & tempestatem fortunis suis superfusā deflentium regis aures penetrarunt, temperare rapinis miles jussus, retróque in Franconiam abductus Suevos ingenti metu libera-

beravit. Erat in comitatu regio Henricus Bertholdo & Ditmari Merseburgensis Præsulis amitâ Eila nomine natus, fidei in eam vsque diem incorruptæ, conciliati Henrico regni insignes fructus laturus, nisi præcerpere immaturos, intempestivâ cupiditate, maluisset. Henricum hunc Marchionem Austriæ pleriq; recentiores faciunt, neq; Bertholdi sed Leopoldi filium, lapsu nō ferendo, quē Ditmaro inspecto cavere promptū fuerat, nisi diligentiæ piguisset: apud illum enim vtriusque Henrici facta fatáque ita distincta sunt, vt propior opinanti sim, qui confundere eos ausus est, errorem suum non ignorasse, sed amasse. Nihilo magis etiam illis assentior, qui cū Schyrensi BOIORVM familiæ inserunt, & Arnulpho vulgò Malo pronepotem subijciunt, frivolis duntaxat conjecturis nixi, quibus hi tales omnes Genealogiarum hiatus explent, cum insigni historiæ & veritatis clade: nam, quod ab illis vnicè factum oportuit, Henrici, de quo agim⁹, avum nondum eruerunt, operæ pretium merituri, si pro Arnulphi Mali filio, cui hanc personam imponunt, testem op-

HENRICVS BERTH: F. BOIARIAM AMBIT.

Fabric. Orig. Sax. l. 2.

Gevvold. in Geneal. Princ. Boiar.

portunum rebúsque necessarijs instru-
ctum produxerint. Ditmarus, qui lucem
his tenebris dare poterat, Luitpaldi Mar-
chionis Orientalium Nepotem vocat,
qua voce cùm mirificè abutatur, infidū
etiam hoc est vnici ducis vestigium; eū-
dem enim etiam suum nepotem indige-
tat, cùm amitæ filius fuerit. In Franco-
nia sedem habuisse fortunarum, oppida
illius [a] Crusina, [b] Amartala, & Schvvein-
furtum indicio sunt, in quorum vltimo
etiam tumulatus est, vt in tempore di-
cemus. quid? quòd disertè à Ditmaro
Orientalium Francorum decus appella-
tur, quo elogio id saltem caverit, vt cum
Boii, si maximè famæ gentis interesset,
asserere sibi, sine injuria, non possint.
Hic ergo qualiscunque vir & vndecun-
que productus BOIARIÆ Ducatum à
Rege, antequā ex Alemannia movisset,
interpretibus vsus totius exercitus prin-
cipibus viris, postulavit; neque deerat
ratio; nam & illius merita in Regem in-
signia erant, & promissa vicissim Regis
luculenta; vt optimæ causæ patrocini-
um nemo defugeret. ipse adeò Rex Co-
mitis se causa omnia velle perstaréque
in

a *Hodie* Creußen. b *Adelb. Martala*, f. 101.

in ſententia palàm faſſus, id modò negabat, aut tempeſtivum, aut ejus omnino loci eſſe, mentionem de adeundo BOICÆ Principatu facere; quin neque in manu ſua quidem eſſe, vt maximè optet, voti compotē, extemporali tumultuarióque ſuffragio reddere: vetuſtiſſimum BOIORVM jus eſſe, non accipere, ſed eligere Principes; neque ita de ſe meritos, vt quos liberos acceperit, vſurpata tyrannide potiùs quàm poteſtate, impoſitóque in cervices Domino, in ſervitutem compingendos cenſeat. Pace Germaniæ reddita, & ſilentibus bellorum turbis, comitijs liberis, in BOICA ſe diem dicturum; ibi ſtudia ſua illius gloriæ non defutura. aliter nō poſſe ſe, cum innoxiæ gentis injuria, in vnum hominem eſſe liberalem. neque eſſe Comitis verecundiæ, vt ſuam amicitiam potentis populi odio putet emendam, & in vnicum ſi non impudens, imprudens certè votum famam regiam & libertatem BOICAM eſſe prodigenda. Sed neq; Comiti conſulturum ſe, ſi munere illū mactet fortaſſe per jugulum rediturо; invitis enim qui imperet, tot hoſtes habere,

quot cives; sævam esse bonitatem, in vno beneficio tot inimicitias propinare, &, quod vulgò dicitur, Amando occidere. Plenum humanitatis responsum iniquissimè tulit impotēs animus, æquè indignum rat°, suspendi spes suas, quàm præcidi. Nimirum ad Comitia & ludibria suffragiorum remitti se publicæ repulsæ causā, mussabat, & quasi non satis ad insaniam sit, à rege sperni, etiam toti genti os ad contumeliam præbendum; se quidem, si forti manu fideliq́ue operâ viam sibi ad dignitatem non aperuerit, prehensando ambiendóque, Principem nunquam futurum. Neque destitit ex illo die improba consilia coquere, sociósque circumspicere turbandę reipublicæ. nihilominus vultu quàm animo melior Regem ex Alemannia in Franconiā Thuringiámque abeuntem strenuè comitatus, simulatis officijs malè cogitata velavit. In Saxonia denique ex ingenti procerum numero, qui regis salutandi fideique eidem dandæ studio convenerant, cum Boleslao Poloniæ Duce in societatem consilij pertracto in caput regis conjurat; cùm quidem Boleslaus

HEZELO REPVLSÆ IMPATIENS REBELLAT.

paulò

paulò antè solenne Henrico sacramentum dixisset. Henricus à Saxonibus ad Lotharingos digressus Kunegundē conjugem Gruonæ obviam habuit, eámque D. Laurentij Natali Paderbornæ Reginam salutavit. Inquinavit festam diei lætitiam popularis seditio levi initio ad cruentam pugnam progressa. Boii è comitatu regio morem patriæ geniúmque secuti, pabulatum effusi vrbe, agricolarum opes, quà cuíque libitum, militari licentia populabantur, malè multatis, qui sua defendere & vim prohibere ausi fuerant: eorum clamoribus exciti proximi: gliscente deinde tumultu alijsque super alios affluentibus, hinc indigenarum, inde regia turba duorum propè exercituum speciem præbuere. Concursum est acriùs quàm pro causa, nec intra ignobilia funera stetit furor: *Engelberti, qui Henrico tum ab Epistolis fuit, (vulgus Cancellarium vocat) quíq; postea Frisingensem mitram induit, frater, nobilissimus juvenis, &, si tabulis Frisingensibus credimus, Mospurgensis Comes, inter primos cecidit, cujus casu velut novo classico excitati Boij, vltimis

Adelbold.

Kvnegvndis Regina salvtata.

Tvmvltvs militaris.

* *Adelb. malè Filbertum vocat.*

mis iris collectis ingenti ſtrage in cives ſunt debacchati, internecione eorum illuſtri ſanguini ſuóque dolori parentaturi, niſi furentes Regis imperium ab armis abſtraxiſſet. Ita cædibus modus factus, & in pernicioſi tumultus auctores lege animadverſum. Duisbergum ſubinde profecto Leodienſis & Cameracenſis Epiſcopi, & tandem etiam Heribertus Colonienſis regium honorem gratulati, populorum conſenſum ſuo etiam calculo approbarunt; etſi Colonienſis ejus facti gratiam morâ corrupit; veteres offenſiunculæ novâ benevolentiâ non imminutæ ſed exaggeratæ; ſera gratulatio parum ſeria viſa; ferè enim tardè velle nolentium eſt. his comitibus AquasGrani acceſſit; ibidémque Lotharingię proceres, MagnæMatrisNatalitijs, in Caroli M. ſede regia collocatum adorarunt. Soli ex Germanis Alemanni ad officium nondum redierant, Principis ſui cupiditatibus vel contacti vel obnoxij: quanquam illum infelicis telæ jam pœnitere cœperat, quam Superis adverſantibus eſſet orſus; cupiebátq; abrumpere, quando pertexendi ſpes jam nulla ſuper-

Dinsbergum Adelb.

HERMANNVS HENRICI ÆMVLVS AD OFFICIVM REDIT.

ſupererat; nam infelicium juvenum, ad quorum blanda mendacia vires ſuas expenderat, pridem pigebat. Igitur etiam poſt naufragium enatare quàm mergi ſatius ratus, Henrici clementiam experiri ſtatuit, cujus vires magno malo ſuo tentâſſet. Compertóque Kal. Octobris Regem Bruſellæ fore, deprecatoribus ſtipatus maximis viris, in reorum morem ſordidatus excalceatúsq; ad eius ſe pedes ſubmiſit, illiúsque deformitate ſpectaculi penè priusquam vocem mitteret, mite Henrici ingenium flexit. Levatum humo habere bonum animum juſſit, & in gratiam ſecum eadem fide redire, qua petenti veniam daret; quanquam eam è genibus ſuis exſculpere neceſſe non fuerit: quem delicti ſui pœniteat, apud ſe jam eſſe innocentem: proinde neque pro ſe quidquam, pro Superis id duntaxat poſcere, vt quo loco Argentinenſis Eccleſia ante ſumpta arma acceptámq; cladem fuerit, in eundem, ipſius operâ, reſtituatur: id facere ne gravaretur, omnis illi priſtinæ fortunæ apparatus tituliſque, ſine imminutione, memorabili clementiæ exemplo, redditi, quæ Hen-

Henrico tanto nobiliorem triumphum peperit, quanto minus habuit cruoris. BOICA tandem, rebus ex sententia alibi compositis, suum Principem regia dignitate auctum, nihil tamen immutato patris affectu, recepit; Ratisbonæ, ferijs Martinalibus Blademarium Bohemis Principem dedit, & amplissimis muneribus cultum plenúmque optimis præceptis in provinciam misit. Blademario huic Boleslai tyrannis ad Principatum viā aperuit: hic, patre cognomine mortuo, Principatum nactus, cùm avarè crudelitérque imperaret, metuerétque non immeritò, ne patria, morum ipsius tædio, alterutrum è fratribus præoptaret Principem, detestabili consilio vsus Iaromiro (id alteri ex ijs nomen) virilitatem ademit, Vdalrico thermarum vapore prope spiritum interclusit. vltima metuentes in BOICAM, hic semivir, ille semianimis elapsi in Henrici clientelam concesserunt; qui scelesto illo exauctorato, hunc, quem diximus, Blademariũ gubernaculis admovit. Scio alia omnia à rerum Bohemicarum Scriptorib⁹ narrari; eorum tamen fidem Annales vete-

HENRICVS BOHEMIS PRINCIPEM DAT.

res

res à summis viris, quódque caput est, æqualibus horum temporum conditi, planè elevant.

VII.

Ius deinde publicè dixit graviter & constanter, comis nihilominus amicis, quorum studia, inter illa gloriæ incrementa, gliscebant, Fortunam illius alijs, alijs virtutem adorantibus.

In Italia interim (huc enim, Germaniæ rebus simul sub aspectum datis, tempus nos vocat) turbarum nihilo minus, successus etiam iniquiores fuerunt. Langobardi, Othone mortuo, regiam dignitatem, velut spolium Germanorũ capitibus detractũ ad se raptantes, Harduino sive Hardvigo Dodonis F. Eporædiæ Marchioni nulla virtute insigni, sed vitijs tamen valido imposuerunt, consilio nullo, plausibili tamen furore, & in vulgus specioso; Germanica servitus depulsa à cervicibus Italiæ, transalpina imperia libertate mutata, reflorescens ad avita decora patria, rediviva Roma, & tantùm non Aureum seculum jactabantur à somniantibus, quæ ille ipse Hardvigus, cui hæc accinebantur, strenuè paulò pòst improbis factis pravóq; ingenio

HARDVIGVS IN ITALIA TYRANNIDEM OCCVPAT.

refu-

refutavit. Nam cùm malis artibus partum imperium multò pejoribus exerceret, potentiámq; , quam amore civium tueri debuerat, illorum opibus per injuriam ad se congestis stabiliret, impurissimum quemque & sui simillimum honoribus augeret, bonos viros vt hostes metueret, & consilia omnia detestaretur, quæ ad virtutem, aut certè peccandi verecundiam invitum deducerent ; non modò plebis, quæ Dominorum injurias prima sentit, animi ab eo aversi sunt, sed etiam summi vtriusq; ordinis viri, quos privatę spes personato regi emancipaverant, refodere Othones, & Germanica suspirare imperia cœperunt, mitiora sine dubio, neque inusta barbaræ crudelitatis notis, quibus impotens ille animus regni sui primordia funestavit. Ex quo genere illud est tristissimi exempli in Brixiensem Episcopum editum; qui cùm publicæ privatǽve rei quidpiã ab Hardiugo imperratum vellet, & verò jus suum ei jam probasset, parum regium ille ratus Oratori manus dare, argumenta pugnis diluit, ipsúmque coma prehensum humi allisit, eo vno facto, etsi cætera

SÆVUM EIUS ET IMPOTENS INGENIUM.

ra abessent, omnium mortalium odia meritus: tanto certè constantius ad abrogandum illi Imperium concursum esse, simillimum vero est. Primus Arnulfus Mediolanensis Archiepiscopus Episcoporum Abbatúmque Concilio Laude coacto vitio regem creatum palàm pronunciavit; illa quidem re potissimũ motus, quòd proculcato vetustissimo jure, nulláq; sui habita ratione, ad quem regis inauguratio ex D. Gregorij Pontif. decreto pertineret, furtivum diadema ex illis manibus accepisset, quæ dare regnum neque dignioribus possent. Igitur difficile nõ fuit, in tot præjudicijs damnatum, qui se regem nulla alia re, quàm immodicâ peccandi licentiâ, probasset, tristes sententias colligere, quibus de solio malè occupato deturbaretur; Henrico invicem concordib. suffragijs sublecto, quem nota virtus & concors Germaniæ vox Othonibus successorem dedisset. Ad illum igitur Legati decreti, literǽque publico nomine privatímque perscriptæ, vt fatiscentẽ sub injusto Domino Italiam Pater ipse & Rex sublevaret, afflictámq; vel sua vel vicariâ operâ eri-

Sigon. l. 8. de reg. ital.

HENRICVS ILLI OPPONITVR.

erigeret; ſatis enim ad ſalutem fore, ſi oculos indulgere laboranti fas non ſit, auxiliarem illius manum ſenſiſſe. Poſteriori voto Henricus ſatisfecit, & Othonem Carantanorum Ducem eundémq; Veronenſi Comitatui præfectum transgredi in Italiam juſſit; copiæ, vt ad clientes operámq; largè pollicitos eunti, exiles additæ, eóque hoſti impares: qui jacturam amicorum magnis exercitibus explens nullam muniendæ tyrannidis rationem adverſus ſuos exteróſque neglexerat, odij contemptor, dummodo metueretur. Ita Otho in minimè imparatum incidit; cùm ad Brentam amnem ſubſtitiſſet, vt Italicis copijs, quas Archiepiſcopus Ravennas, & Theobaldus Marchio ex pacto adducturi erant, ſuas conjungeret, Hardvigus id conſilium celeritate antevertit, expugnatíſq; clauſtris Veronenſibus & Epiſcopi præſidio dejecto, Italos à Germanis medius ipſe diſcluſit. In Tridentinam deinde planitiem digreſſus, noſtris præter ſpem non repertis, in Campaniam Veronenſem ſub finem anni militem reduxit, & Chriſtiana Natalitia in ignobili Caſtello celebra-

HENRICVS EXERCITVM IN ITALIAM MITTIT.

bravit. Noſtri circa montem, cui Vngaro nomen, errantes, cognito, niſi per fauces jam ab Hardvigo præoccupatas, iter nuſquam eſſe, quod vnum ſupererat, per legatos ab eo poſtulant, progrediendi ſive adeò regrediendi liberam ſibi poteſtatem faceret. Hardvigus Legatis hoſpitaliter magis in ſpeciem, quàm hoſtiliter acceptis, reſponſum in craſtinum differt velut ex amicorum ſententia dandum. Ipſe interim noctem inſomnem ducere, obire caſtra, ſuóſque manipulatim per tentoria ſparſos animare ad prælium; imò ad ſpolia legenda hoſtis etiam fugam pro beneficio à ſe poſtulantis: quingentos homines exangues metu, à frigore faméque jam debellatos, inter iniqua omnia deprehenſos fatum ſuũ opperiri, quale meritos ſeſe & juſtitiæ vindici debere vltima deſperatione agnoſcerent; Irent igitur, & pauculis latronibus in regnum ſuum Alpium objectu & fortium virorum pectoribus ſeptum irrepere auſis tumulos foderent; nam in quingentorum jugulis tot gladios non poſſe occupari. Vngarum montem poſthac cupiditatis Germani-

HARDVIGI CALLIDITAS.

cę vel limitem futurum vel ſepulchrum. Langobardi vt juſſi erant, prima luce armati ad tentorium Regis adfuerunt. legati apparatus in ſolētiâ moti, cùm haud vanè metuerent, noſtros peti, ex Hardvigo tã ſubiti procinctûs cauſam ſciſcitantur; à quo id duntaxat reſponſi acceptum eſt, rationem ſui conſilij hos ipſos cataphractos nuncios in Germanica caſtra eſſe laturos, daturóſque operam, ne à Legatis vel ipſa adeò famâ celeritate vincantur. Simul convelli ſigna, & procedere agmen juſſit, quindecim millium numerum implevere, quibus vtique quingenti neque ad lanienam neque ad prædam ſufficerent; quanquam neque hic noſtris conſtaret numerus, alijs pabulatum effuſis, alijs ad præſidia viarum ſubductis, &, quod hoſti opportuniſſimum fuit, omnium animis à ſenſu tam propinqui mali remotis; donec meridies ad Vngarum montem volitantia ſigna adverſariámque aciem detexit; Otho præter pulchram mortem vix quidquã ſibi ſuíſq; relictum conſpicatus, capere tamen militem arma juſſit, & pectus Langobardis obijcere, ſi nulla alia ſpe, at cer-

OTHO GERMANOS AD PVGNAM ANIMAT.

certè ad honestum vulnus, quo emittere animam Germano pudori non sit. quocunq; eventu prælientur, non tam gloriosum hosti futurum vicisse, quàm sibi, succubuisse: etiam cæsorum tumulos venerationem habituros, vt ad quos opprimendos toto Langobardorum exercitu opus fuerit; cui, vt omnia ad votum accidant, necesse sit ad tantillum numerum erubescere. At enim neque hoc, inquit, hosti demus, vt ferrum stringat ante nos; quin etiam locum pugnæ, &, si superis ita visum, sepulchri, capiamus priores: explicatáque, cum dicto, qualicunque acie, adversus Hardvigum processit; tantóque in eum impetu est invectus, vt mortem pavorémque aversum à suis agere in Langobardos videretur: eo certè perventum est, vt quindecim virorum millia de quingentis victoriam desperare inciperent, nisi vnus homo & viri & Ducis sui Othonis nomine indignus, Ratisbonensis Episcopi frater, fortunam fortibus faventem imbelli fuga Langobardis conciliasset; qui tum demum, cùm aliquot Germanorum, quos fugitivus ille secum abripuerat,

terga vidissent, reliquorum etiam vultui ferendo pares, vires suas, quas æstimare non poterant, numerare cœperunt, & tota mole connixi statione sua nostros dejecerunt: Avertisse illos, pro victoria fuit; ad concidendas reliquias animus non superfuit, captâ ex cæsis conjecturâ, quanto impendio paucula Germanorum funera constarent; quorum nemo inultus, aut aliter, quàm super hostium acervis gloriæ suæ est immortuus.

GERMANI FVGATI.

Dum hæc in Italia geruntur, Henricus ex BOICA Francofurtum digressus eo in loco Natales Christi ferias egit, legatis audiendis intentus. Anno sequenti, qui tertius supra millesimũ fuit, Mosellanos adijt, & in Theodonis villa totius Provinciæ Comitia egit, saluti libertatíque publicæ consulturus, quæ optima est regiarum cogitationum. Vsu edoctus, inter tumultuantium armorum strepitus, tam legum vocem, quàm civium querelas ægrè exaudiri, præbendas vtrisque aures censuit, legibus se tutorem, civibus patrem datum professus. Et explevit sanè vtriusque nominis numeros ita luculentè, vt respirante passim justitia,

A. MIII. *Adelbold.* HENRICVS IVS DICIT.

ſtitia, cives paulò antè miſeri de ſuorũ Principum ſuperbia triumpharent, & propter ærumnarum ſuarum vindicem prioribus annis ſub Hermanni & Theoderici Ducum duro & iniquo imperio exactis vltro ignoſcerent; cùm tandem exleges illos coactos in ordinem, æquato ſecum jure, aliena pati arbitria, & dictâ pro ſe laborioſè causâ, cenſuræ regiæ obnoxios, reos peragi viderẽt, nihil jam patrocinantibus magnarum dignitatum titulis, ſub quibus olim impune eorum malefacta latebant. Lætiſſimum illud fuit, quòd Henricus in poſterum etiam peccandi copiam Ducibus, & populo timendi cauſas ademturus, arcem Mulſbergenſem ſpoliarium civium & carcerem libertatis deijci juſſit & ſolo æquari. Recreata ditione Moſellana, Aquas Grani petijt ad Anniverſaria Iuſta Othoni III. perſolvenda; quo in itinere morbo velut ſtimulo pietatis ſuæ excitat⁹ Aquis Trajectum abijt D. Seruatij aliorúmque cælitum oſſa illic ſita æterno cultu aucturus, Myſtarum Collegio addito. Hîc demum lævus expeditionis Italicæ ſucceſſus percrebuit, immoto ad triſtem

nuncium animo vultúque Regis non minùs in vtraq; fortuna constãtis quàm Pij: cujus vt plura documenta extarẽt, Leodij dolores colicos, nativum malum & velut gentilitium eadem patientia exantlavit. Noviomagi sanctioris jejunij ferijs Blademarium, cui Boiohæmum regendum dederat, fato functum intelligit. Id Boleslaus tempus suum ratus Boleslaum Polonum, cognati sanguinis fiduciâ, vtpote Patris sui sorore natum fœdere sibi jungit, ejusque potissimùm viribus subnixus, non expectata Henrici voluntate, Principatum occupat; Breve gaudium fuit, & qualia esse omnia convenit, quæ sceleribus emuntur. Ille ipse quem rebus suis stabiliendis, raptæque per vim potentiæ columen adsciverat, vix erectum evertit. Polonus enim nimis à se simpliciter peccatum reputãs, quòd alienę glorię favisset potiùs, quàm suæ, errorem modestię insigni impudentia correxit; Bohemo, per simulationem amicitiæ, quæ tutissima ad fallendum & regia via est, non modò de gradu dignitatis, sed etiam vitæ spe dejecto. Patrando sceleri hospitalis mensa delecta, à qua securè

BOLESLAVS ITERVM BOHEMIAM OCCVPAT. *Adelbold. de reb. Gestis S. Henr.*

A PATRONO SVO EVERTITVR.

ſecurè accubantem abſtrahi orbaríque oculis juſſit non indignum ea calamitate, ſi alius auctor fuiſſet. Ita fratrum ſuorum carnifex ijſdem, quas exercuerat, petitus artibus perdito recuperatóque per ſcelus Imperio exutus, Iuſtitiæ vindici cœcus ſatisfecit. Polono difficile non fuit, largitionibus, & quibus longè ditior erat pollicitationibus, Pragam totúmque Boiohæmum in potestatem redigere. Sed neq; hîc ſtetit cupiditas; mox enim Mizavienſem etiam Marchiã, quæ Saxoniam à Polonia dividit, juris ſui, quale quidem prædonum eſt, facit. Henricus etſi luculenta erat injuria affectus, ingenio tamen ſuo vſus Boleſlai ferociam ſanare maluit, quàm exſcindere, miſsíſque ad eum legatis non tam res repetijt, quàm ad eaſdem firmandas cõſilium dictavit, monuítque, ſi eripere ſibi Boiohæmum laboret, humanitate ſecum, non violentia certaret; neq; enim paſſurum ſe, vt Provinciæ ſpolium fiant cupidorum, quas ſtipendium oporteat eſſe virtutum: ſi documenta modeſtiæ potiùs daret, quàm intempeſtivæ ambitionis, poſſe ipſum ſuo ore Principem

BOLESLAVS POLONVS BOHEMIAM INVADIT.

salutari citra invidiam; si per vim & injuriam grassari ad inconcessas opes & imperia perseveret, omnia illi exempla metuenda esse, quæ in cognato sanguine edidisset. nullum vnquam scelus adversus vindices suos satis munitum fuisse. Perstitit tamē in contumacia Boleslaus Hezelonis potissimùm furijs instinctus (ita enim Henricum Bertholdi Filium, cujus discessionem ab Henrico Rege suprà retulimus, in posterum appellabimus) quem æquè mala causa, & nihilo melior mens nuper, vti dictum est, eidē adjunxerant. Rex Paschalibus ferijs Teleburgi rite celebratis, Othonem è bello Italico reducem cum Ernesto Theobaldi Marchionis F. amplexus, vtrique pro navata reip. opera egregiè collaudato omnes honores habuit. Cum Redarijs etiam & Luiticijs perpetuis Saxonum hostibus in gratiam redijt, barbarie illorum, vti animorum tractandorum egregiè gnarus erat, beneficijs expugnatâ; quando ferè liberalis manus armatâ fortior est; neq; ad sedandos populares motus humanitate quidquā potentius Principes habent. Ea tamen, quantacunque in-

HEZELO POLONI AMBITIONEM ACCENDIT. *Hezelo & Henricus antiquus idem nomen.*

Ditm. l. 4. Adelbold.

ERNESTVS à FIDE DESCISCIT.

in Henrico foret, non itidem ad Erne-ſtum, quem fidei bello Italico probatæ pretium tuliſſe modò commemoravimus, in officio continendum valuit, quin mox turpis transfuga rebellibus ſe adjungeret, ſive liberalitas regia infra ſpem fuit, ſive levis animus & fallax ambitio temerarium juvenem eò impulere, vt quæſtuoſiorem ſibi militiam in caſtris perfidiæ promitteret; cùm ex Italica pugna prẹter honeſta vulnera nihil egregium poſſet oſtendere. Nihilominus Erneſti facto infamiam detraxit Bruno Hērici regis germanus frater idem auſus, neque conjuratis modò animos, ſed ipſi inſuper conjurationi dignitatem daturus. Iactabatur itaque paſſim Brunonis nomen, & Majeſtati regiæ regis frater oppoſitus; quaſi illius impietas omnibus ruborem poſſet abſtergere. In hoc publico flagitiorum æſtu Henricus in BOIARIAM abijt, Boleslao ad tempus omiſſo, totus in Hezelonis vindictam incumbens; collectóque ex BOIIS, Francis & Lotharingis exercitu, ineunte Auguſto, Franconiā ingreſſus, nullo rebellium turbam loco paſſus conſiſtere per

BRVNO REGIS FRATER REBELLIBVS ADIVNGITVR.

avia sylvarum palantes egit. Hatersburgi tamen cùm securiùs ageret, impedimẽta opésque regias Maganus Hezelonis cliens sine præsidio nactus diripuit, ingentémque prædam Amartalam avexit. Breve vanúmque gaudium vrbis è vestigio obsessæ dirutæq; excidio expiatum est: præda cum fœnore recepta; prædonibus vitæ gratia facta, ne severitati clementiæ mistura deesset. Auxiliariæ cohortes à Boleslao submissæ libertate multatæ exercituiq; regio addictæ sunt. Crusina proxima vim excepit, in quam Hezelo cum Gerberga vxore liberísque spes ferè reliquas abdiderat Bucconis fratris fidei commissas: ipse cum latrunculis suis factionísq; socijs vrbi circumfusus pabulatores regios excipere, incursiones facere, prædas agere, facili vbique & tuto receptu; donec regis jussu quadringentorum præsidio frumentatoribus addito consilium Hezelonis elusum est. Ergo spei irritus vallem vicinam perpetua sylvarum corona incinctam, neque nisi vno aditu eóque difficili apertam insidet, vbi cùm alterum tertiúmque diem rapto victitans inter-

BELLVM CONTRA HEZELONEM.

ambi-

ambigua consiliorum exegisset, receptaculum illud, rusticani hominis indicio, regijs proditum est: cùm eodem duce per viarum anfractus in medias se latebras taciti inobservatíque insinuassent, minimo minus abfuit, quin incautos & periculi securos oppressuri fuerint, nisi luculentam victoriã intempestivus clamor corrupisset: Gregarius miles, quẽ Hezelonis tentorium ante alios adverterat, Kyrieeleison, vsitatam illo ęvo militiæ tesseram ingeminans, sociósq; conclamans hostes ad fugam excitavit; solus Ernestus in potestatem venit, in eum atroces capitalésque sententiæ dictæ, velut vltima meritum; Willigisus tamen Moguntinus Antistes principem gratiæ locum apud Henricum obtinens morti illum, etsi non infamiæ subtraxit. Fugati cum dedecore Hezelonis nuncio Crusinæ vulgato, Bucco ad cõsilium retulit, placerétne vrbem, de qua tuenda frater suus desperasset, contra victorem exercitum defendi? vicit sententia melior: Vrbs Henrico dedita est; cives militésque inviolati cum suis quisq; sarcinis dimissi. Tectis, mandato regis, faces subjectæ,

HEZELONIS FVGA.

jectæ omnia hausturæ, nisi miles, jam sopitâ Henrici irâ, contra serpentem flammam pugnasset. Tristius Cranæ vrbis fatum fuit, in qua demoliēda Hezelo hosti manus tedásque commodavit, æquioribus oculis aspecturus incendium, quod ipse excitasset; cùmque jam nec quod tueretur, neque quod perderet superesset, ad Boleslaum Polonum Bohemiæ tunc incubantem cum Brunone & reliquis cōjurationis asseclis transfugit. Decreverat Henricus etiam Schvveinfurtum bustum facere; id enim Hezelo belli civilis fax meruisse videbatur, vt tota ej⁹ provincia in cineres subsideret. Cum his mandatis Henricus Wurciburgensis Antistes & Erchenbaldus Fuldensis Abbas vrbem ingressi, ab Eila Hezelonis Matre comiter accepti, ferali recitatâ sententiâ, eandem propè exanimarunt. Stupens primùm & defixa solo diu vocem in potestate non habuit, concitóque gradu templo se abdidit, id tantùm profata, quando patrios focos tueri misera anus non posset, at certè cum aris Divûm ardentibus cineres suos confusuram. Movit ætatis verecundia & dignitas

Schweinfvrtvm qvomodo servatvm.

gnitas Antiſtites, vt non modò æde ſacra temperarent, ſed mœnium ædiúmq; paucularum ruina ſatisfactum Cæſari crederent, cùm vrbs jàm neque timeri, neque hoſtes Reip. fovere, neq; regiam iram iterum mereri poſſet. Additum etiam hoc clementiæ, vt palàm promitterent, quandocunque rex annuiſſet, omnia ſe vrbi ornamenta munimentáque ſuo ſumptu reddituros. Henricus Hezelonem vltus Babenbergæ exercitum dimiſit: Saxones & Thuringos invicem ad ſigna vocatos in Milcienos ſibi moturo ad condictum præſtò eſſe juſſit; in cujus expeditionis apparatu, quod reliquũ anni fuit, effluxit.

Sequentem, quem alij quartum, nos quintum cũ Ditmaro numeramus, Henricus ab inſigni pietatis cura auſpicatus Giſelerum Magdeburgenſem Antiſtitem morti proximum per Legatos monuit, vt Merſeburgenſi Eccleſiæ, quã ſibi malo more ſubjecerat, res ſuas, jura priſtina, Pontificiúmque decus redderet: cunctanti luctantiq; cum verecundia vel cupiditate ſua, & ſpatium ad conſilium prenſandum poſcenti, inducias A. MV. HENRICVS MERSBVRGENSEM EPISCOPATVM RESTITVIT.

quas

quas ab Henrico impetraverat, mors abrupit intra biduum extincto. Ei Tagmo, annitente potissimùm rege suffectus, oraculi fidem à Wolfgango Ratisbonensi Episcopo dati eventu affirmavit, expleto commodùm decennio, quod honoribus illius certissimus vates definierat. Tagmo vt primùm mitram induit, pijs regis studijs, Merseburgensi Episcopatu in integrum restituendo, nulla re defuit, vindicatísq; postliminio possessionibus, agrísque vectigalibus, quos Gisilerus abalienarat & vicinis Episcopis objecerat, recuperatis, Wigbertum, bonis omnibus gratulantibus, solenni pompa, Pontificem inauguravit. Atque hæc Ditmari de Episcopatus Merseburgensis instauratione planissima est narratio, qui non modò æqualis illorum temporum rebus ipsis præsens interfuit, sed proximus post Wigbertum ad ejusdem Ecclesiæ clavum sedit, idoneus vtique rei domesticæ, & non auribus modò sed & oculis vsurpatæ testis; quo ægriùs reperturos fidem metuo, qui tantò pòst nati pulcherrimum ex se Henrici opus plausibilius redderituri, ingentibus illud prodigijs inflaverunt

Auctor Vitæ S. Henr. apud Sur. Canis. Gretserum.

verunt

verunt, quæ, eximio favore Cœlitũ, objecta Henrico, hanc illi de Episcopatu exornando mentem injecerint. Hæc enim illius, qui vitam D. Henrici vulgo notã scripsit, narratio est. cùm D. Adriani gladio, boni ominis causâ, accinctus, in Bohemos Polonósque iret, & castra haud procul à Merseburgensis Ecclesiæ ruderibus metatus esset, religione tactũ votum quàm sanctissimè concepisse, si D. Laurentius, in cujus tutela locus is fuerat, eo sibi bello volens propitiúsque adfuisset, ad vindicandas injurias ad illũ potissimùm pertinentes animum virésque dedisset, & se exercitúmque suum victoriæ compotem fecisset, se illius honori cultuíque augendo, ædem, quæ priori certare magnificentiâ possit, moliturum. Neque irritas preces fuisse: simul enim atque hostes sui copiam fecere, & vtrinque classicum insonuit, volitasse ante prima signa humana specie augustiores Heroas, neq; dubium Henrico relictum, eos tutelares Divos Laurentiũ, Adrianum, & Georgium fuisse, quos inter Fulminator Angelus formidinem & fugam cædémque ac cruorem præ se agere

EXAMINATA VVLGARIS NARRATIO: DE PRODIGIOSA HENRICI PVGNA.

gere visus sit; hostem inter iniqua omnia deprehensum, imparem cælitum iræ viribúsque, velut attonitum sideratúmq; fugâ vastitatéque latè facta triumphum cælo, victoriam Henrico reliquisse; eum subinde D. Laurentio votivam Ædem dedicasse, velut stipendium navatæ operæ, & incomparabilis victoriæ monumentum: cujus in Ditmaro vestigium nullum est, quod trahi ad hæc tempora possit. nam Othonis II. ævo, cujus indulgentia ad concerpendum partiendúmque Episcopatum Merseburgensem Giselerus abusus est, non eo inficias excitata Barbarorum arma, sacra *profanis* mixta, inflammatas aras, nullúmq; crudelitatis exemplum prætermissum. quo tempore Hauelbergensis, Brandeburgicus, Cicensis, Hamburgensis Episcopatus vltima passi sunt, etiam D. Laurentij Martyris Monasterio in vrbe Caluensi in solitudinem redacto; progressúsq; longiùs fuisset furor, nisi mortalibus metu torpescentibus, Pietati ruenti cælum manum porrexisset. Clara quippe luce & ardente cum maximè Hamburgensi Æde, Mistivoio Obotritorū Duce belli

Ditm. l. 3. f. 32.

im-

impij concitatore inſpectante, panda explicatáque manus delapſa cælo, & in medias immerſa flammas mox contracta in pugnum & aliquid efferenti ſimilis nubibus ſe condidit, Divorum cineres in tuto collocaſſe credita; quibus de cælo pugnantibus, Barbarorum copiæ ſacrilegio contactæ & ſucceſſu ſcelerum audaces, panico metu incuſſo, ad Tongeram flumen rejectæ; & triginta legiones (tot enim confluxerant in excidium religionis) noſtrorum gladijs ad lanienam datæ; quibus Divino Epulo paſtis bona cauſa & ille ipſe Cibus immortalitatis Diviq; Anteſignani ita animos viréſque exauxere, vt Barbaris penè internecione deletis, ex piorum numero, tres, non amplius, ſint deſiderati. Equidem nihil dubito, Ditmari narrationem cum priore contendentibus ſuſpicionē oborituram, Henrici Triumphum ex hujus victoriæ ſpolijs exornatum, cùm exemplis doceri pluribus poſſit, rudes ævi illius Barbari Scriptores ad hæc pia furta non erubuiſſe; quibus etſi hiſtoria illorum prodijt coloratior, poſteritati tamen fucus eſt factus. Scio à Tangmaro,

ro, qui D. Meinvverci res geſtas cum fide ſcripſit, Annum etiam decimum ſeptimum inſtaurati magnificéque donati Merſeburgenſis Epiſcopatus notâ inſigniri, in quem Henrici de Polonia, Bohemia, Moraviáque triumphos refert: ſed illi quoque, vti ſuo loco videbimus, tam plauſibiles non fuerunt, vt Divis extra ordinem pugnantibus eos referre acceptos fas ſit.

RES IN MILZIENIS GESTÆ.

Verùm nos à diverticulo in ſemitam redeamus. Rebus Merſeburgi ex ſententia compoſitis, verſæ in Milzienos curæ; Saxones & Thuringi eò immiſſi ſolitudinem facturi fuerant, niſi pertinaces iras aëris intemperies infregiſſet, nivibus effuſis, quæ mox ſolutæ in aquas non modò oppugnationem vrbium iniquam reddebant mœnia ſubituris, ſed omnem ferè armorum vſum eripiebant cum cælo cœnóque luctantibus, vt tum quidem neceſſariò cœptis fuerit deſiſtēdum; etſi BOIORVM maximè intererat, Boleslaum alieno bello diſtineri, qui, Hezelone concitatore, nullum modum faciebat eorum incurſandi fines, homines

nes fortunásque vexandi, tanto quidem impensiore cura majoréq; libidine, quò certiùs constabat BOIORVM incommoda ad Henricum pertinere. Verùm cùm ex ijs emolumenta omnia Boleslao accedere, sola invidia in se redundante, Hezelo animadverteret, non sustinuit diutius alienis calamitatibus solari suas, & ægrum animum sceleribus pascere; proinde cùm eorum non modò satias, sed pudor insuper & odium illum cepisset, permittere se Henrico statuit, quocunque eventu; veniam ita sperare ausus, vt tamen nullam se meritum agnosceret; à supplicijs adeò non abhorrens, vt diceret, satis sibi fore, post patriam, libertatem, fortunásque suo vitio perditas, dici Humanissimi Regis Captivum; palàm etiam apud Tagmonem Archiep: & Bernhardum Ducem, quibus conciliatoribus vsus est, professus, si factionis suæ socijs prædiolum, sibi autem carcerem & compedes impetrassent, existimaturum non tam sceleris se quàm voti damnatum. Ostentata igitur hac qualicunque spe, impetratóque commeatu,

HEZELO HENRICO SE SVAQVE DEDIT.

Merseburgi, omni supplicum squalore assumpto, Regi se stitit, infusóque lacrymis ore, nè tentato quidem causæ suæ patrocinio, accusatoris partes suscepit, & semet reum peregit; arcémq; Witgenstainianam, in quam custodiæ causâ deductus est, immoto vultu subijt, reditum illic si non ad Regis gratiam, certè ad innocentiam reperturus.

Henricus pacis Germanicæ turbatore oppresso, etiam Harduigo vmbratico Italiæ Regi imminens, decreta in eũ expeditione, in BOIARIAM contendit, & Ratisbonæ XII. Kal. April. qui dies D. Benedicto sacer est, apparatu regio insignis Henricum Mosellanum Kunegundis Vxoris suæ fratrem BOICÆ Gentis Ducem, inter publicos plausus, salutavit, datóq; in manum vexillo, seu vt Ditmarus loquitur, *Hastâ signiferâ*, eum ritè inauguravit. Ita BOICA, cùm amissis sui sanguinis Principibus, Francorum Imperia annis quinquaginta novem, Saxonum verò vno minus tolerasset, hoc iterum anno mutare Dominos jussa, post quatuor Henricos, quorum

HENRICVS MOSELLANVS PRINCIPATVM BOIARIÆ ADIT.

res

res hoc libro execut⁹ ſum, quintum eodem nomine, ſed Moſellanum gente ſive Lucemburgicum accepit, variâ etiam ipſum fortunâ, prout mores erant, quos ſuis in poſterum coloribus reddemus.



VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM

LIBER IX.

Breviarium rerum Gestarum.

HENRICO V. MOSELLANO KVNEGVNDIS FR. DVCE BOIARIÆ.

I. 

Enricus Cæsar, in procinctu expeditionis Italicæ, Brunonem Fr. in gratiam recipit. Hardvigo Tyranno profligato, Rex Italiæ coronatur, eodémq; die Italorum perfidiâ, vitæ discrimen adit. Bohemis, fugato incubatore, legitimum Principem imponit: Gottschalci Frising: Episcopi oratione permotus Hezelonem libertate donat. Boleslaum Polonum armis domitum

tum fœdere ſibi jungit. Flandro itidem victo amiſſa cum inſigni auctario reſtituit. Neoburgenſem Parthenonem erigit; Nunbergenſem inſtaurat, prodigijs, quibus B. Mazalini res innexæ ſunt, excitatus.

Babenbergam Epiſcopio auget. Gunthero Thuringo in ſanctioris vitæ propoſito fluctuanti animos ſufficit. Henricum BOIARIÆ *Principem ſeditioſis accedentem dignitate movet. B. Macarius Antiochenus in* BOICA *hoſpitium; Colomannus Hibernus æquè innocens in Auſtria furcam invenit: ex prodigijs agnitum Henricus Auſtriæ Marchio Templo infert: ejus gentis Origines. Res cum Polono, vario eventu, geſtæ.* II.

Henricus Auguſtalibus inſignibus exornatus Pilam auream Cluniacenſibus Monachis, Coronam Regiam D. Petro conſecrat. SS. Viris Odilone & Romualdo familiariſſimè vtitur com- III.

positurus ipse sese ad eorum exemplum, &, nisi Richardus Virdunensis obstitisset, purpuram cilicio mutaturus, quod Hardvigus, desperatione meliorum necessario fecit. Misecopacis turbatæ præmium vincula passus Henrici clementia restituitur. Ernestus Alemanniæ Dux memorabili fato defungitur.

IV. *Cum Boleslao, variante fortuna, bellatum. Misnam Mulierum animositate defensam Henricus pristino nitori restituit. Babenbergensis Episcopij pomæria profert. Popponem Austrium Trevirensi Mitra ornat, ejusq; industria ambitionis Mosellanicæ incendium extinguit. Affinibus ad officium bonamque mentem redeuntibus, Neptis Henrici cum Marito læsæ patientiæ divinæ rara supplicia persolvit. Henricus à Rudolpho Burgundione ad consortium regni vocatus adversarium VVilhelmum Regulum patitur; neque, insigni-*

gnibus tandem traditis, studia factiosorum quievere. Manubijs Saracenicis exhilaratus Mosellanos Fratres in gratiam recipit. Kunegundis morbum, nuncupato voto, pellit. Bello Polonico lætorum tristiúmq; vices alternant. B. Poppo Abbas Henricum à ludicro spectaculo abstrahit. Vera de Slavorum defectione narratio.

V. *Henrico Mosellano in* BOICAM *reducto, ambitiosa Brunonis Ep: lis, invitis superis, agitata. Henricus de Cælo monitus Heriberto Coloniensi reconciliatur. VVolbodonis Episcopi Leodiensis Candor; Kunegundæ Diessensis Pietas. Aribonis, Pilegrini & Gotthardi* BOIORVM *Pontificiæ sedes.*

VI. *Henricus Apuliam Græcis eripit: juratum Trojæ excidium infantiæ lacrymis condonat: in monte Gargano cælestibus gaudijs inundatur. In Caßinate D. Benedicti ope renum dolore libera-*

 tur.

tur. Hartvvicus Salsburgensis cælo recipitur. Babo *Abenspergius XXXII. filios Nobilitatis* BOICÆ *seminarium in Henrici fidem tutelámque tradit. Gotthardus Dæmones triumphat. Henrici cum Rege Galliæ humanissimus congressus; familiarissimus cum Meinvverco Episcopo usus.*

VII. *Henricus morti proximus Kunegundem Virginem amicis resignat, integritatem ejus olim ignibus periclitatus. Sanctitatem Henrici Dæmon insigni commento in dubium revocat. Conradus Salicus Henrici præjudicio an oraculo Cæsar destinatus honoris initia pulcherrimis virtutibus auspicatiora reddit. Kunegundis positâ purpurâ sacro flammeo caput obnubit: Bruno cælestis ostenti terrore perfusus sceleratas molitiones deserit. Burcardi VVormatiensis sanctitas. Conradi expeditio Italica & spectata in Ravennate tumultu Epponis*

BOII

BOII *virtus; VVelfone interim Augustanum & Frisingensem Episcopos vexante. Henrico Mosellano mortuo,* BOIARIÆ *Principatum Conradus Cæsar Henrico filio attribuit. Clementiæ & Iustitiæ Divinæ Exempla per* BOICAM *edita.*

GESTA SVNT HÆC ab Anno CHRISTI MV. vsq; ad MXXVII.



Hen-



Enricus Rex cùm BOICÆ Principem dedisset, non cōtentus regiæ Fortunæ pompam ostentâsse patrię, multò illustrius illi virtutis suę vestigium impressit, quæ si tumult⁹ minus habuit, at clariores certè, quàm inauguratio, plausus excitavit. Schongam BOICÆ vrbem Lyco adsitam subeunti Bruno frater pullatus, & infelicis perfidiæ pœnitentiam veris lacrymis professus ad pedes accidit, mœstóque silentio, majestatis læsæ, &c, in quo majus probrum agnoscebat, violatæ pietatis, se reum pergit. Facta consiliáq; sua damnanti neq; vox neque vultus constitit, admissi sceleris conscientiâ tam intuendi quàm appellandi Fratris fiduciam obruente. Nihilo expeditior Legatis ab Vngariæ rege Stephano & sorore Gisela honoris & tutelæ causa Brunoni additis, oratio; quòd neq; causa defendi eloquentiâ poterat, & priusquam Regũ suorum preces Henrico admovissent, ille jam sive amoris vi, sive ingenij facilitate expugnatus non modò manus, sed etiam osculum fratri dede-

HENRICVS BRVNONEM FR. IN GRATIAM RECIPIT. *Ditm. l. 6. Adelbold. vitiosè habet Omugam.*

dederat: útque largiùs se gaudium effundit, quàm dolor, ficcior veniam quærentis quàm dantis vultus fuit; reúmq; ex lacrymis æstimanti potuit Bruno innocens videri; certè Henricus talem eũ pronunciavit, nulláque perfidiæ exprobratione, sed ne mentione quidem perstrictum, sincerissimo amplexu, Adelboldi verba sunt, *sibi colligavit*. Factum pulcherrimi exempli tot laudatores habuit, quot arbitros; nec quisquam tam ferox fuit, qui hanc Henrici animo suo imperantis victoriam non militaribus triumphis anteferret: auspicium quidẽ pulchrius Italici belli, aut certius omen boni eventus, hoc victricis Clementiæ trophæo Schongæ erecto nemo desideravit; eóque fidentiùs per confragosa asperáque montium (quale ferè per Tirolim & Alpes Ræticas iter est) copiæ omnes tanta celeritate progressæ sunt, vt ad Palmarum festum Tridenti fuerint. Ibi dies vnus pietati quietíque datus; vnáq; cognitum, Hardvigum imminentis periculi metu, angustias fauciũ, quas incumbentes Athesi montes faciunt, præsidio occupasse; ipsum cum reliquo exer- HARDVIGI APPARATVS.

exercitu castra in Campis Veronensibus communivisse. Non visum Henrico Pylas tentare, quas Virtuti militum natura inaccessas, aut certè inexpugnabiles reddidisset. Sed cùm circumiri posse quantumvis longo & difficili anfractu illa claustra comperisset, ad Carantanos callium peritos Helingerum sacerdotem familiarem cum mandatis mittit, vt tumulos ab exigua hostium manu parum severâ custodiâ insessos caperent, saltúsque, per quos exercitum traducturus esset, tuerentur. Id â Carantanis præstitum obedienter. Cùm duas turmas fecissent, altera leviter armata, de nocte, silenti agmine, egressa, quà maximè aversum ab hoste iter erat, per prærupta in fastigium montis, cui claustra illa suberant, inobservata evasit. Reliqui sub lucis ortum ad munimẽta oppugnanda palàm profecti hostem loci fiducia ferocem & vecordiam lacessentium increpantem haud ægrè ad pugnam eliciunt; quæ simul ac cœpta est, coorti ex insidijs nostri etiam à tergo nihil tale metuentibus se ostendunt, & ingentem perculsis pavorem addunt. Fuga mox in omnes par-

PRIMVS CVM HOSTE CONGRESSVS.

partes facta irrita plerisque, quòd evadendum per invia & abrupta esset, & hac etiam instaret hostis; parata vtrinq; pernicies, miserabilior præcipitio periituris: pauculi à gladio & ruinis integri mortem bis evitatatam Brentæ amnis fluctibus hausti invenere. Rex successu exhilaratus convelli repentè signa jussit, &, quanquam non sine vexatione, easdem angustias, quas Carantani aperuere, incolumi exercitu superavit; captóque ad Brentam stativis loco, Christo Patienti plusquam Castrensi pietate parentavit; nefas esse dictitans, cruentū illud triduum humanis cædib. inquinare, quoque tempore divinæ iræ gladium Deus moriens condidisset, nolle ferro parcere. Triduo altero etiam Christi Triumphantis memoriæ dicato, edici totis castris per Comitem Palatinū jussit; qui signa quíve ordines deseruisset, qui acie excessisset, hostíq; tergum præbuisset, infamem ignaviam capite luiturum. Tum demum Brenta superato, per exploratores intelligit, hostem nusquã comparere. Hardvigi odium an Henrici amor, sive æquè potens metus, hostiles

HENRICI PIETAS.

les copias dissipârit, neque tunc sciri potuit. Regiarum precûm vi & rarissimi exempli pietate totis castris spectata, fractam tyranni ferociam & imminutos animos, veriùs puto. Gliscere subinde Italiæ erga Henricum studia, sua vrbes jactare obsequia, summi infimíque in eo colendo officijs certare. Verona prima vt Patriæ Patrem & felicitatis suæ auctorem gratulabunda accepit. Brixiam, Thietbaldo Marchione incorruptæ erga se fidei latus tegente, ingressus Ravennatem Antistitem obvium habuit. Bergomi etiam Mediolanensis Præsul comitatum auxit, idémque Ticini Henricum more majorum in D. Michaelis æde coronatum regem Italiæ renunciavit. Lætissimus in paucis dies fœdo exitu Fortunæ inconstantiam lugubri fabula affirmavit. Liberalior comessatio in vesperum vsque perducta cùm Italis mentem eripuisset, quod proximum fuit, labefecit & fidem. Initiū defectionis ab Hardvigi asseclis semina seditionis spargentibus factum. Ij Germanica Imperia ebriâ facundiâ perstringere, semiliberæ patriæ vices deflere, ejúsque vindicem suspirio repe-

ITALORVM ERGA HENRICVM STVDIA.

HENRICVS REX ITALIÆ CORONATVR.

TVMVLTVS PAPIENSIS

repetere cùm cœpiſſent, temulentorum animos ad ſperanda audendáque omnia inflaverunt. Nunquámne illum diem fore, qui Italiæ Coronam trans Alpes exulantem ſuo capiti reſtituat? adeóne effœtam eſſe inopémq; virtutum patriam, vt, quæ olim orbi tot Dominos dederit, gignere ſibi Regem non poſſit? At enim non defuiſſe neq; deeſſe dignos hoc nomine, niſi paucorum perfidia domeſticam virtutem peregrinæ ambitioni ſubſtraviſſet; quibus Corona Patriæ tam venalis fuerit, quàm fuit nuper fides; cùm, Hardvigo fœdè deſerto, palàm fecerint liberatorem ſibi libertatémque juxtà odio eſſe; ad cujus amorem ſi vel nunc evigilare vellent, vnam noctē extinguendæ ſuperbiæ Germanicæ ſatis fore. Id ſcilicet ebrijs factum pulcherrimum viſum; vulgatum per contubernia paricidiale conſilium, cùm vbique in æqualia ingenia incidiſſet, approbatum magno aſſenſu: oriri confeſtim clamores diſſoni, furioſiſſimus quiſque ſe ducem profiteri; volare paſſim ſaxa plura quàm tela, vtraque in incertum, niſi quod ex inconditis vocibus cognitum eſt, Regem

peti & Germanorum jugulum. Palatij portam quatere moliriq; conantes Heribertus Coloniensis Antistes ex editiore loco alloquutus rogaréque, Cur furerent? totam in se missilium procellam concitavit. Eo fugato, seditiosis furor, &, alijs super alios affluentibus, etiam vires crescere, Regis verò salus non procul ab vltimo periculo abesse; nam cùm ex Prætorianâ cohorte corporísq; stipatorib⁹ rari præsentes essent, ijdémq; multis adesse locis cogerentur, vim jam ęgrè sustinebant, socijs per hospitia dispersis, multis etiam extra vrbem manipulatim tendentibus. Henricus nihilominus fidei eodem die sibi datæ violatǽque præside & vltore Deo fretus, vel cum paucis in medios ire hostes ardebat, nisi Coloniensis Antistes ruentem admonuisset, parceret civium suorum tot animas trahere in casum, quorum nemo, si quid illi humanitus contigisset, superstes regi suo vivere vel optaret vel posset. Servaret se veris bellis; apud ebrios & furentes nec fortunæ ejus, nec fortitudini locum esse. Pro foribus interim pugna glíscebat; nostrorúmque operâ, qui clamo-

HERIBERTI COLON. PERICVLVM.

HENRICI MAGNANIMITAS.

moribus promiscuis multóq; magis regis periculo excitati frequentes confluxerant, fanatica turba à Regia submota est. Sed adversus apertã vim invictis insidiæ inevitabiles erant: patebant enim ad cœcos ictus teláque desuper impune incidentia, cùm hostem tecta & tenebræ absconderent. Ea injuria ne diuturnior foret, inflammatis mœnibus nox illustrata est, perfidiámque civium suorum ardens patria detexit & vindicavit. Eodem indicio milites, quorum juxta vrbem stativa erant, attracti, occupatis vi propugnaculis, incendium excidiúmq; strenuè propagarunt. sponte in vtrumq; incumbentes acriùs etiam Giselberti cædes stimulavit, qui quòd Kunegundæ frater esset, & illam maximè noctem illustribus factis nobilitasset, ingens sui apud omnes desiderium reliquit. Wolframus Langobardum impotentiùs sese inferentem, diffissa per medium galea, vulneréque in jugulum vsque continuato, Giselberto inferias misit. Alij nihilo minore audacia cùm densatis super capita scutis ferrata testudine restitantes disjecissent, strage latè edita, captivorum

Papia incensa.

Giselbertus Kunegund. Fr. occisus.

gregem in regiam abegerunt. Tandem etiam domus fessis nostris vulneratísq; pro receptu delecta flammam concepit. Sed quæ res extinctura ardorem pugnātium credita est, magis accendit: quòd nusquam vlli in posterum nisi in manu spes, & fortibus juxtà ignavísque ademptum suffugium esset. Certè nox cædibus non suffecit. albescente cælo, velut nihil actum esset, laniena redintegrata est, tanquam lucem poscerent fœdæ calamitatis exempla, & ad vrbis bustum parum fideliter spectata fuissent. Alemanni enim, qui rerum omnium ignari tum demum supervenerant, cùm perfracto muro aditum in vrbem vi moliti, viam etiā sibi ad suos ferro aperuissent, vt quisque occurrerat, incensæ ab eo regiæ pœnas exposcebant, & quidquid cladis acceptum vrbis facies tristia omnia conjectantibus suadebat, in fugientes pariter & congredi ausos vindicabant, socijs etiam, quorum relāguescere iræ cœperant, excitatis ad faces ferrúmque recipiendum. Ita connixi publico cives exegere: verùm cùm neque domibus abditi bellum ponerent, & victi tela spar-

ſpargerent in victores, noſtri invicem faces jaculati ægrè tandem popularem inſaniam incendijs extinxerunt. Miles temperare cædibus juſſus ad prædam diſcurrit, reliquijs, quæ igni ſuperfuere, ditandus. Henricus cladis vbique occurrentis aſpectu offenſus in D. Petri Auream Cellam vrbi vicinam migravit. Digreſſum Papienſes exciſâ vrbe direptísq; bonis modeſtiores ſecuti ſunt, veniam perfidiæ, quæ ſibi tanto ſtetiſſet, poſtulaturi, & ne quid additum vellet ad triſtiſſimæ noctis ſupplicia, quæ ſibi prope vltima fuerit: celeriùs pœnas ſe dediſſe, quàm ſceleris ſui magnitudinem poſſent agnoſcere, citiúsque crapulam luiſſe, quàm exhalaſſe: lenimentum tamen calamitatum ſuarum fore, ſi vnam non amplius noctem Regem habuerint inimicum, & adhuc fumantibus tectis, iram illius intelligant extinctam. Rex benignè appellatos illius noctis neque nimium meminiſſe, neque nimis citò obliviſci juſſit: Hæc eſſe perfidiæ præmia, quorum ſi ipſos pudeat pœnitcátque, meliora deinceps fidei erga ſe cultæ ſtipendia expectarent; ſibi optabilius eſſe

PAPIENSES DEFECTIONIS VENIAM EXORANT.

 bene-

beneficētiæ quàm calamitatum monumenta toto orbe ſtatuere, pluribúſque clementiæ quàm fortitudinis notis inclareſcere. Papienſium inſania flammâ ferróque ſanata hoc etiam cæteræ Italiæ profuit, vt occupare clementiam victoris, quàm periclitari vires mallet. Civitates nondum aditæ, legatis miſſis, in ejus ſe poteſtate futuras ſpoponderunt; Sacramentum in Ponte longo totus Langobardorum populus dixit; ipſe Mediolanum abijt profeſſus id Divi Ambroſij honori ſe dare, cujus divinam eloquentiam ipſis etiam Cæſaribus formidatam impreſſam illi vrbi meminerat. *Pentecoſtes* Ferijs * Chromi actis, exercitum per Montem Celerem in Alemanniam deportavit, eíque, Hermanno mortuo, filium cognominem Principem impoſuit, & Concilijs Turegi, (Tigurum hodie eſt) actis, ſecuritati publicæ, legibus contra latrocinia graſſatorúmq; licentiam latis, conſuluit.

LEGATIONES ITALICARVM CIVITATVM.

* *fort. Crema.*

RVINA CVRIÆ REGIÆ.

Argentinæ, D. Ioannis pervigilio, Curia, in qua Rex pro more jus dicebat, ſubitò corruit. periculum tamen intra metum ſtetit; nam ſacerdotis ruinâ affli-

cti

cti elisíq; mors pervicaciæ ejuſdem imputata, quòd mulierculæ piorum cœtu motæ familiaritate congreſſúque non abſtinuiſſet. Henricus periculo defunctus BOIOS, Francos, Saxonésque ſub ſigna vocavit, expeditione in Auguſtum menſem indictâ; fama conſultò vulgata, Poloniam peti, cùm Boiohæmum cogitaret. Aditus illuc virtute aperiendus fuit, diſiectis præſidijs, quæ montium faucibus Boleslaus impoſuerat. Erat in exercitu Henrici Iaromirus Boleslai cœci frater, expetitus olim popularium votis, ob famam clementiæ; quæ vna cauſa inviſum fratri reddidit ejúſque crudelitati emaſculandum objecit; ea calamitas etſi illi liberorum ſpem, non tamen amorem civium & nomen Patris Patrię ademit; magnæ proinde, adventu ejus cognito, animorum inclinationes factæ; prima confeſtim arx in illi⁹ fidem conceſſit, reliquis exemplum ſecuturis, niſi propter BOIOS, qui regijs ſe copijs nondum junxerant, neceſſariò Zatzæ fuiſſet ſubſiſtendum. Ea vrbs, etſi Polonico præſidio tenebatur, vltro tamen regi patuit; præſidiarij priùs muti-

EXPEDITIO BOHEMICA.

HENRICI IN HOSTES CLEMENTIA.

lati, aut præcipitio ferróve extincti; civibus ex promiscua cæde vel injuriarum solatium, vel jactandæ regi fidei argumentum quærentibus. Offendit mite Henrici ingenium ea carnificina, vetuítque superstites violari. Ibidem hærenti nunciatum, Boleslaum à Bohemis cæsum; quod etsi ex vano haustum, eóque mox redivivo refutatum est, indicium tamen gliscentium adversus illum odiorum fecit. Quibus erectus Iaromirus nihil dubitavit Pragam præcurrere, & popularium erga se studia experiri tam prolixè, quaqua iret, ad eum delata, vt oppressurus Boleslaum fuerit, nisi per proditores excitatus tempestivâ fugâ perniciem evitasset. Inde haud dubiè omnia ad Iaromirum respicere; Praga præsertim eum vt benignum sidus amplecti, votis omnia festóq; plausu impleri, maximè cùm privati habitum augustiore cultu mutasset, & paternæ fortunæ insignibus condecoratus, principatum, quẽ Tyranni ante illum duo sanguinarijs Imperijs infamaverant, à lætis mitibúsque exemplis auspicaretur, veniâ publicè datâ & jure comiter dicto, quod sub tyrannis

TYRANNO FVGATO IAROMIRVS BOHEMIS PRINCEPS DATVS.

nis silverat eviluerátque. Delectatus ea rerum facie Henricus mediúsque inter Iaromirum & Thieddagum Antistitem D. Georgij ædem ad gratulandam Deo incruentam victoriam ingressus Iaromiro imperium cõfirmavit, populíq; consensum ratum habuit. Natalitia Mariana ibidem agentem Gottschalcus Frisingensis Antistes inter sacra cõcionabundus eò perpulit, vt Hezeloni vinculorum gratiam faceret, quem in arce Witgenstainiana perduellionem eluere jussum suprà diximus. Orationis summa capita Ditmarus annotavit, quæ quia Episcopi nostratis sunt, & maximam ab Henrico rem impetrarunt, religio mihi sit, habere neglectui. Exorsus ab hominis Christiani officijs, cùm amandi timẽdique Numinis causas artésque & subinde Iura humanitatis, quæ nos paribus alligant, & Majoribus substernunt, luculentè explicasset, oratione ad Henricum versa, eum in sese jussit descendere, rationésque accepti & expensi inde à primis cunabulis inire cum Deo; qui post omnia benignioris fortunæ insignia illi purpurã injecerit, & Coronæ regiæ tot lau-

GOTTSCHALCI FRIS. EP. AD HENR. ORATIO.

reas congesserit, nunquam defatigatâ largitate; ea si emerita stipendia potiùs existimet, quàm gratuitas stipes æternæ benevolentiæ, non intelligere ipsum scilicet, Deum nihil homini debere; obligasse tamen sponte nomen suum, neq; refugere obnoxium dici mortalibus placabiles iras gerentibus, & pulcherrimã virtutem suam æmulaturis, quàm Ignoscendo maximè ostendit sempérque parata humanis erroribus clementiâ. Eius autem exercendæ nusquam majorem facultatem esse, quàm in maxima potentia, qua impunè læsà nihil habeat orbis mirabilius, nihil serenioribus oculis aspiciat Deus. Ederet igitur jucundissimum cœlo saluberrimúmque terris facinus, & Hezeloni, cui vitam eripere potuerit, donaret & libertatem; redderétq; non tam reum, quàm Clementiam suam publico, cujus amabilem nitorem carcer nonnihil obfuscaverit; cùm id proprium Iustitia theatrũ habeat ipsa quoq; Hezelonem manumissura, si id jubeat Henricus patiatúrque nobilem reum in servatoris sui gloriam vivere, pulchriùs illi hoc beneficio, quàm vinculis adstrictum.

ctum. Henricum verò tum demum fidenter propitium ſibi invocaturum Deum, ſi Clementiæ illum prior illuſtri exemplo admonuiſſet: rem ex compacto geri; iras ponentibus non poſſe Deum iraſci. In hunc modum peroranti Gottſchalco Henricus aſſenſus eſt & Hezeloni libertatem decrevit, datámque in eam rem fidem è bello redux exſolvit. Neque diutius in Boiohæmo moratus, Boiis in patriam remiſſis, cum Iaromiro in Milzienos profectus in Budiſſinæ vrbis oppugnatione proximè exitium fuit. Inſtantem operi hortantémq; cum maximè ſuos hoſtis è mœnibus agnovit, libratóque telo proximè tergo ejus inhærentem ſtravit, omnibus periculo Regis attonitis, neque ipſo dubitante dicere, ſuccedaneam pro ſe victimam cecidiſſe. Vrſit nihilominus cœpta, donec cives vitam pacti, deditione facta emiſſóque Polonico præſidio, in regis fidem conceſſerunt. Armis per hyemem quieſcentibus, mitiores Henricus curas reſumpſit, coactíſque Tremoniæ ſacrorum Antiſtitibus, multa ſuggeſſit cenſuram merita, & ad veteris ævi ſanctitatem revo-

Henricvs Hezeloni libertatem reddit.

Henricvs periculo proximvs.

SACRVM INTER PRINCIPES FOEDVS.

Albert Crātzius l. 4. Metrop. c. 4. & 7.

revocanda, vel novis legibus ſancienda. Memorabile imprimis eſt fœdus, quod Crantzius his Comitijs(etſi in tēpore aſſignando alucinatus eſt)inter vtriuſq; ordinis proceres initum ſcripſit; præcipuū caput de Iuſtis funebribus fuit ad fœderatorum Manes placandos, ſimul atque deceſſiſſe eorum quempiam ſuperſtites comperiſſent. Prophanis quidem certa æris ſumma imperata in egentes ſpargenda; Initiati divinam hoſtiam tricies litaturos ſe ſpoponderunt, exemplo etiam ad poſteros tranſmittendo. Arma deinde in Boleslaum reſumpta. Locus vbi copiæ luſtrarentur, Dobraluca *dictus*. eò Henricus BOIARIÆ Princeps & Iaromirus Bohæmus ſuæ vterq; gentis auxilia adduxit.

BELLVM POLONICVM.

Iter ingreſſis metatorum iniquitate inſigniter illuſum eſt: qui à ſuis finibus exercitum averſuri, per invia deviáque circumactum fractúmque animis & viribus in Niſſana Provincia hoſti oppoſuere. Is Croſnæ ſe tenebat ad Poberæ Oderǽq; confluentes, quorum tranſitu ſi noſtros prohibuiſſet, bellum ſedendo confecturus videbatur. Neque movebatur admodum molitionibus

nibus Regis, materiam navibus pontibúsque ſtruendis convehentis. Inſultanti irritis conſilijs repentè affertur, armis viríſque ripam obtineri. Sex Legiones erant, quas inobſervato in eam vſque diem vado tranſire ſub crepuſculum Henricus juſſerat. Incredibilis primùm res viſa; ludibrio oculorum vanâq; ſpecie falſos ſpeculatores Boleslao ridente, donec alijs ſuper alios eadem nunciantibus, ingens conſternatio orta. Ilicet conclamari vaſa, & ne tentatâ quidem pugnâ contra eos, qui calcare flumina & imperare aquis didiciſſent, latè fuga fieri; Boleslaus hortator & dux voce & exemplo præire, nullâ infamiæ curâ. Multi nihilominus in tentorijs oppreſſi, & ſi Luſatij adproperaſſent, dies ille non modò fuga, ſed inſigni inſuper cæde nobilitatus fuiſſet. Ejus lætitiæ vicem ſpolia explevere, quæ vt impedimentum fugæ in caſtris relicta, vel ſparſa per vias à victoribus legebantur, Henrico interim triumphale carmen Numini cantante; cui cùm victoriam omnem trãſcriberet, ne vti quidem eâ priùs voluit, quàm diem memoriæ & laureatæ morti Thebææ

BOLESLAVS FVGATVS.

Legio-

Legionis sacrũ in Meserizensi cœnobio omnibus pietatis officijs coluisset, militum avaritiâ lege coërcitâ, ne quis loci sanctitatem aut opes sacrilegio violatũ iret. Tum deniq; exercitu in hosticum inducto, quæ facere victor solet, fieri passus est: duobus passuum millibus Posnaniâ cùm abesset, cursum stitit, Boleslao pacem poscente; à qua nec nostri abhorrebant; cùm & pabulatores subinde ex insidijs carperentur, & commeatus quotidie angustior vix fami sufficeret. Pacis conditiones Tagmo Magdeburgius tulit; perbrevem Boleslai inquies ingeniũ fecit. Tempus interim Henrico datum bellũ Flandricum capessendi, quod nunc exequar. Flandris ea tempestate Balduinus cognomento Barbatus præerat, maximi animi Princeps, neque facilè majora Imperia respecturus; qui tumor illum denique cum Henrico collisit. Causa non vna proditur; vulgatior illa est: Othone Lotharingiæ Duce mortuo, quẽ Sigebertus anno supra Millesimũ quinto tumulat, Henricus, cujus ea res arbitrij erat, Godefridum Arduennæ Ducẽ eo Principatu auxit, præteritis fœminis, quæ

PAX RECONCILIATA.

BELLVM FLANDRICVM.

Iacob. Meyerus l. 2. Ann. Fland.

BELLI CAVSÆ.

quæ Caroli M. ſtirpe ſe jactantes illi ſpei imminebant. Irmengardis & Gerberga fuere; illa Alderto Namurcenſium Comiti, hæc Lantberto nupta, quem itidẽ anguſtiore Lovanienſis Comitis titulo limitibúſque Henricus circumſcripſit, parum probantibus Francis, propria, ita ferebant, ſui ſanguinis generiſq; decora aliò transferri. Balduinus potiſſimùm Flander vindicem ſe profeſſus, Scaldi trajecto, in Godefridi provinciã infeſtus irruit; ereptóque ei per vim Einhamo, Valentianis totóque Brachanto, intempeſtivâ audaciâ gloriæ ſibi aliquantillũ, plurimúmque invidiæ cum ingenti bello conflavit. Baldricus, qui Leodienſibus ſequenti anno Antiſtes eſt datus, Balduinum Henrici arma aliô faſtus genere in ſe concitaſſe tradidit. Simultas illi cum Arnulpho Valentianenſi Comite intercedebat, quæ tandem in bellum erupit, Arnulpho infelix, quòd ſupra cæteras clades etiam Valentianæ victo extortæ ſunt. Balduinus cauſam Henrico probare juſſus Imperium cõtempſit, manifeſto argumento, hoſtem ſe regem, quàm arbitrum malle. Ditmarus nullâ neque

Bald. l. 1. c. 11. ap. Ioan. Bacellinum l. 4. Ann. Gallo. Fland.

neque Godefridi, neque Arnulphi mentione, id vnum tradit, Henricum hoc anno Valentianis obsidium admovisse, lævo successu. Illi, an Balduino potiùs, Robertus Francus & Richardus Normānus auxilio venerint, Sigebertus dubium fecit, & vtroque versum à scriptoribus rapitur. Mihi Pauli Æmilij potior sit auctoritas eos in Henricum armantis, vt quos causa ad Balduinum necessariò traheret devotū nomini suo, bellúmq; hoc omne in Franciçæ spem gratiæ militantem; & sanè secus si sit, vltimū probrum fuerit, tres summos belli Duces, ínque ijs Reges duos vni Comiti *vrbíq;* pares non fuisse.

Fabric. l. 2. Orig. Saxon. Bucellin. l. cit. Paul. Æmil. in Robert. VVolf. Laz. Iac. Mayerus.

A. MVII. HENRICI IN PARTHEN: NEOBVRG: LIBERALITAS.

Proximi anni vere Henricus Ratisbonæ fuit, & nobili Parthenoni Neoburgi ad Danubium sito lautas possessiones attribuit. Locus hic initia sua an incrementa duntaxat Henrico debeat, in obscuro est, neque ex literis, quæ ejus nomine præscriptæ extant, alterutrum evincitur; auctoris nihilominus Titulum vulgò fert, sive verè debitum, sive munificentiæ magnitudine veterum luminibus obstruxit: Excitatam ab Hilario

rio quodam Pannonio Episcopo Henrici liberalitatem, Monasterij tabulæ loquuntur, ingentium prodigiorum, quibus illius viri comprobata sanctitas sit, testes; quas cùm alicubi manifestas vanitatis compererimus, aliáq; omnis Hilarij sepulta sit memoria, noluimus fumum vendere. Mausoleum ejus, ipséq; è saxo factus in media ferè æde visebantur, quàm diu illic impunè licuit esse innocentibus; donec perfidia superioris seculi pestis, religione proscriptâ, Henrici opes & hoc etiam monumentũ prophanavit. Quæ injuria æterna ne esset, immortali virtute laudatissimi Herois WOLFGANGI WILHELMI BOIARIÆ Principis factũ est, qui Henrici studia æmulus eod. loco augustissimum templũ molitus illud cum nobili domicilio in veteris Cœnobij ruinis extructo Societati Iesu A. M DC XVIII. attribuit, pietatémq; exulem in avitas sedes pulcherrimi facti dux & antesignanus revocavit. Neoburgensi Parthenoni etiã Nunbergensis instauratio jungenda vetustissimi sine dubio omniũ, quos BOICA habuit, quémque Rupertus Gentis Apostolus

Erendrudi nepti suæ formandum legib. sanctitatis tradidit, vti suo loco est demonstratum. Hunc incendio deformatum miseratus Henricus, quòd incunabula illic esse noverat virginalis pudicitiæ voto legibúsque firmatæ, deductásq; inde castorum cœtuum colonias complures, locum repurgatum pristinæ elegantiæ reddidit, vt nobilissima virtus, & Numini pariter Henricóque tam amata habitare ex dignitate sua posset.

Ex vita Erendrudis To. 6. Ant. Lect. H. Canisij.

HENRICVS D. ERENDRVDIS OPE MORBO LIBERATVS.

Operæ pretium fecero, si faces jam sponte ardenti Cæsaris Pietati divinitus admotas etiam posteris ostendam. Henricus gravi conflictatus morbo, damnatâ Medicorum inutili operâ, sanctius certiúsque amuletum, Cinerum D. Erendrudis perpauxillum ejus effossum tumulo conditúmq; anulo ex cervice suspendit; aureis vicissim calcaribus Sospitæ suæ relictis, quibus Vladnizense in Austria prædium redemptum est. Quo deinde tempore Monasterium ejusdem Divæ arsit, Henricus abluendi corporis causâ Thermas ingressus, amisso salutis suæ tutore anulo viam reduci morbo itémq; miraculo aperuit, quod ad suum

recur-

recurrenti asylum obvium paratúmque Erendrudis pietas fecit; flamma enim, splendore loci obfuscato, vim tamen non imminuit. Henricus momento levatus potentis medicinæ pretium liberaliter exoluit, regium opus, evitatis parietinis eâ magnificentiâ molitus, vt acceptum incendio beneficium veriùs, quàm injuriam videri posset. Henricus Hartvvico Salisburgensi Ædem dedicanti, & Erendrudem tumulo extrahenti adstitit magni prodigij testis in Mazalino D. Petri Abbate editi, qui ossium sacrorum cratem convellere partémque deripere ausus repente offusa oculis caligine manum vltricem cœcus sensit; etsi breve id supplicium citata pœnitudo fecit; scelus simul tenebrásque supplicis lacrymæ abluére; quibus etiam votum adjecerat abdicandæ, quam gerebat, dignitatis, quódque vitæ reliquum esset, inter recessus Caprarij montis exigendi. Favit pio decreto Numen, aspiravítque cœptis tam prolixè, vt illius nuper cœci sanctitas radios non vno duntaxat jugo, sed per omnem latè provinciam spargeret. Wiradis germana Mazalini soror,

B. MAZALINI RES.

NIMII RIGORIS INFELIX FRVCTVS.

Nunbergensis, quo de agimus, Cœnobij antistes cùm virtutibus cæteris abundaret, Mansuetudinis tamen, quæ omnium imperiorum condimentum est, oblita censuram morum adeò intenderat, vt non modo Matris nihil haberet, sed nomen etiam Dominæ ægrè tueretur. summo omnia jure agere, vnicum legibus custodem adhibere metum, quod officium amor pudórque multò rectiùs obeunt; errata exscindere, quàm curare libentiùs, ignoscere nemini, eámque primam ducere curarum, nequa peccatum vllum diu ferret impunè, serio in speciem consilio, sed tristibus exemplis damnato: Ipsum hoc frenum licentiæ multis calcar ad præcipitium fuit, ruptis scilicet nimio rigore, quæ temperamento Clementiæ flecti corrigíque poterant. Quo in numero illa quoque fuit, quæ cùm oblatum pudori suo vitium neque occulere jam, neque seris depellere lamentis posset, furtivam sobolem Orco devovit infensa Superis, quòd verecundiæ suę nullo prodigio consultum irent. Dæmones magno tumultu ad spem prędæ ruentes Mazalinus suas inter rupes

FVRTIVA SOBOLES DÆMONIBVS DEVOTA.

audijt

audijt & supremæ Majestatis nomine interposito, re vtcunque confecta, ad se redire jussit: neque licuit defugere imperantis auctoritatem. Regressi paulò pòst infelicem partum velut mancipium suum in triumpho traducunt. Mazalinus Deo Innocentiæ vindici de vi conquestus ereptũ pro potestate plagiarijs spolium rectà ad Parthenonem defert, & sorori Antistiti cum convitio ingerit, veluti fructum sævitiæ ejus: Hanc Animulam, inquit, rigor tuus Dæmoni conciliavit, cujus vultum puerpera tua minùs quàm supercilium tuum timet. quia inexorabilis es peccantibus, vota Stygi nuncupantur; illi sacerdotes tuæ sacrificant & quidem humana hostia & ex se genita: quid enim de cælo sibi spondeant, quibus nulla ab homine parata venia est! Non suscipio incestus patrocinium; sed neq, inhumanitatis tuæ, soror; nam, si verũ volumus, quod atrocissimũ in sacrilegæ scelere eminet, tuum est: inquinavit illa innocentiã vltimo probro, violavit datã Deo fidem, cõgregationis tuæ sanctitatem ad infamiam prostituit; sed tu in nihilo minore noxia; quæ cùm his tantis malis mederi posses, & nocen-

ITERVM EREPTA.

tem illam, & hunc innocentem insuper perdidisti. Sic castigatæ ferociam mitioris genij suavitate correxit. In suis denique montibus mortuum boves ad D. Erendrudis, vbi tumulum sibi vivens optârat, traxere, contemptis agrestium stimulis, qui D. Petri Cœnobio, quod olim rexerat, illatum cupiebant. Bellum deinde Gandavense (vt, vnde digressus sum, redeam) ab Henrico jã sponte sua ad abolendum dedecus concitato & accenso insuper querelis Erluini Cameracensis Episcopi à Balduino vexati, multò majore cura reparatum est. Adventantem Balduinus arcere Scaldi instituit littus latè instructis copijs prætexens; sed illius diligentiam Henricus totius exercit[9] flore, incautis hostib., transportato frustratus est. Ingenti ferocia in imparatos invectus, nullũ Flandris vim non sustinentibus, præterquam fugæ, consilium reliquit. Neque populationes Gandavum vsque propagatas prohibere quisquam est ausus; sua tamen Henrico pietas manum injecit, coegitque Gandavensi Abbatiæ parcere: Regis sui exemplum cùm quatuor gregarij milites

BELLVM GANDAVENSE RESVMPTVM.

Ditmar.

SACRILEGIVM VINDICATVM.

tes ad se non crederent pertinere, D. Levini sacellum, quod Holtæ est, expilare aggressi, repentè luminibus capti & diriora veriti, abripi se ocyus è conscio & vindice sceleris sui loco postularunt. Henricus, ne ira Superûm latiùs grassaretur, advolutus aræ pacem supplex popóscit, contactúmque sacrilegio exercitum amplissimis piaculis exsolvit. Arce tandem, quam Otho vrbi frenandæ olim excitaverat, expugnata, multisque Flandriæ Procerum, quorum salutem Balduinus negligere non potuit, in potestatem adductis, detumuit Flander, & Valentianis Regi remissis, imperata se facturum spopondit, majora modestiæ præmia cōsecutus, quàm sperare etiam felici bello potuisset. Henricus acrem bello virum, vt erat virtutis etiam in hoste æstimator, adjungere sibi beneficētia maluit, quàm irritabili indoli, vsurpato rigido victoriæ jure, pacem offerre, quæ iterum bellum pareret. Igitur omnia alia expectantib. Valentianas vrbem, quæ bellum accenderat, jure fiduciario tuendam dedit: quod argumento est, liberam fuisse, neque Arnulpho contributam. Attonitus

HENRICVS FLANDRO VICTO AMISSA RESTITVIT.

tam liberali Regis judicio Balduinus, damnatis armis, certare cum tam clementi victore officijs cœpit, tam ſtrenuè quidem, vt Henricus, quaſi munificentiam ſuam cliens fide ſuperaſſet, illi etiam in Walachras imperium conceſſerit, lætus ſe formidabili bello finem impoſuiſſe, qui victoris vota expleret, victi etiã ſpes excederet. Hic idem annus Brunoni Regis Fr. ad promiſſos à D. Wolfgango honores viam aperuit; cùm Sigefrido Auguſtano Præſule elato, Mitra illi impoſita eſt. Ne nihil triſtium eſſet, Giſelæ matris funus Ratisbonæ XII. Kal. Aug. ductum. Iuſta illi Henricus ſolviſſe nõ contentus, æternum pietatis monumẽtum, quod animo dudum complexus erat, ſibi Conjugíque Virgini, Optimis Parentibus, & Othoni denique, cujus regnum exceperat, Numen placaturus, ſtatuere hoc ipſo anno inſtitit.

BRVNO EP: AVGVSTANVS.
Chron. August. Fabr. in Orig. Sax.

Ex literis Fundat. Episcop. Bamb.

II.

HENRICVS BABENB: EPISCOPATVM INSTITVIT.

Delectabatur inprimis Babenberga Vrbe Othonis II. dono, quam ipſe vxori doti dixerat. Eam communi vtriuſq; voto pridem Deo dicatam, vt ornare ſede Pontificia & ſacris religionis domicilijs, ijs, quorum intererat, volentibus, poſ-

poſſet, ad III. Kal. Novemb. ſacrorum Præſulum Comitia Francofurtum coacta ſunt, quibus plenum pietatis conſilium haud ægrè probaturum ſe confidebat, ſi vnicum ijs ſcrupulũ exemiſſet ab Henrico Würceburgio injectũ, cui nova molitio fraudi futura videbatur, cùm ej9 fines carpendi minuendúmq; imperium neceſſariò eſſet, ſi attollere caput Babenberga cœpiſſet; apparebátq; volentem nihil vnquam de jure ſuo remiſſurum, niſi eam jacturam alio incremẽto dignitatis ſuæ Henricus expleſſet, impetratóque ſibi Metropolitæ auguſto nomine, novitium Epiſcopũ à ſe jura petere coëgiſſet. Eo voto & propè ſpe dejectus periclitandam ſibi Comitiorum aleã non putavit, ne Patrum ſuffragijs labefactatus Regiæ auctoritati ſuccumberet; Berengerum duntaxat ſacerdotem domeſticum cum poteſtate Legati eò miſit, qui autoritate abſentis interpoſita, rogationi adverſaretur, Patréſq; moneret, ne ex ſpolijs veteris Eccleſiæ ambitioſæ pietatis ſtatui trophæum paterentur, accuſandíq; ſui poſteris argumentum preberent, ſi inviolata in eam vſque diem

HENRIC. WVRCEB. EP: HENR: CÆS. ADVERSATVR.

tam liberali Regis judicio Balduinus, damnatis armis, certare cum tam clementi victore officijs cœpit, tam strenuè quidem, vt Henricus, quasi munificentiam suam cliens fide superasset, illi etiam in Walachras imperium concesserit, lætus se formidabili bello finem imposuisse, qui victoris vota expleret, victi etiā spes

BRVNO EP: AVGVSTANVS.

excederet. Hic idem annus Brunoni Regis Fr. ad promissos à D. Wolfgango honores viam aperuit; cùm Sigefrido Augustano Præsule elato, Mitra illi imposita est. Ne nihil tristium esset, Giselæ matris funus Ratisbonæ XII. Kal. Aug. ductum. Iusta illi Henricus solvisse nō contentus, æternum pietatis monumētum, quod animo dudum complexus erat, sibi Conjugique Virgini, Optimis Parentibus, & Othoni denique, cujus regnum exceperat, Numen placaturus, statuere hoc ipso anno instituit.

Chron. August. Fabr. in Orig. Sax.

Ex literis Fundat. Episcop. Bamb.

II.

HENRICVS BABENB: EPISCOPATVM INSTITVIT.

Delectabatur inprimis Babenberga Vrbe Othonis II. dono, quam ipse vxori doti dixerat. Eam communi vtriusq; voto pridem Deo dicatam, vt ornare sede Pontificia & sacris religionis domicilijs, ijs, quorum intererat, volentibus,

pos-

poſſet, ad III. Kal. Novemb. ſacrorum Præſulum Comitia Francofurtum coacta ſunt, quibus plenum pietatis conſilium haud ægrè probaturum ſe confidebat, ſi vnicum ijs ſcrupulũ exemiſſet ab Henrico Würceburgio injectũ, cui nova molitio fraudi futura videbatur, cùm ejꝰ fines carpendi minuendúmq; imperium neceſſariò eſſet, ſi attollere caput Babenberga cœpiſſet; apparebátq; volentem nihil vnquam de jure ſuo remiſſurum, niſi eam jacturam alio incremẽto dignitatis ſuæ Henricus expleſſet, impetratóque ſibi Metropolitæ auguſto nomine, novitium Epiſcopũ à ſe jura petere coëgiſſet. Eo voto & propè ſpe dejectus periclitandam ſibi Comitiorum aleã non putavit, ne Patrum ſuffragijs labefactatus Regiæ auctoritati ſuccumberet; Berengerum duntaxat ſacerdotem domeſticum cum poteſtate Legati eò miſit, qui autoritate abſentis interpoſita, rogationi adverſaretur, Patréſq; moneret, ne ex ſpolijs veteris Eccleſiæ ambitioſæ pietatis ſtatui trophæum paterentur, accuſandíq; ſui poſteris argumentum preberent, ſi inviolata in eam vſque diem

HENRIC. WVRCEB. EP: HENR: CÆS. ADVERSATVR.

sacrorum jura ab ijs proderentur, quos eorum non modò tutores, sed acerrimos esse vindices oportuisset. Henricus quò fortiorem sibi adversarium certiorémque intercessionem paratam nôrat, eo enixiùs suum Patribus studium commendandum putavit, neque erubuit id dignitatis Vir in Curia procumbere, & velut regni purpuræque oblitus supplicum ore habitúque genibus niti, inauditáque in eam vsq; diem modestia causæ suæ præludere. Vbi tandem à Willigiso Moguntino allevari se passus est, exquisitissimis verbis Patres obtestatus est, damnarent se voti sui, & quando posteritatis spem curámque pridem deposuisset, hæredis sibi è cælo adsciscendi facerent potestatem; neq; paterentur vnius hominis pertinaciâ spoliari se tanti boni felicitate; qui si jure niteretur, disceptari communem causam haud ægrè passurus fuerit, vtique apud tales judices, quibus diffidere nisi malè sibi conscius, aut apertè iniquus nõ possit; cùm satis constet, primum eum favorabilem sententiam dicturum fuisse, si suffragium illius Archiepiscopatu emere voluisset. Concilia-

HENRICI MODESTÆ PRECES.

ciliatis hac oratione Patrum animis, antequam sententiæ rogarentur, Berengerus, vti jussus erat, intercessit, & tabulis insuper jus Ecclesiæ Würceburgẽsis tueri institit; quibus cùm moveri nonnullos Henricus adverteret, abjectus iterum humi, judicum prensare genua manúsq; non antè destitit, quàm Tagmo primus à Willigiso ad sententiam ferendam excitatus jus fásque petere regem respondit. Prærogativæ auctoritatem etiam reliqui secuti idẽ omnes censuerunt. Qui vitam Henrici edidit, omissa controversiæ mentione, satisfactum ante comitia Würceburgio scripsit, magno agri modo eidem contributo, illius vicem futuro, quem Babenberga imperio complexura erat. Confectæ super ea re tabulæ Romam Alberico & Ludovico legatis ferendæ datæ; Ioannes XIX. Pontif. ratas habuit, & condendi Episcopatus, cũ amplissimis privilegijs, Henrico potestatem fecit. Literæ Pontificis secundo Francofordiensi Concilio lectæ triginta sex Episcoporum manu signatæ sunt, inter quos nostratium hæc nomina agnoscas; Hartvvigi Salisburgensis, Christiani Ba-

Vit. S. Henr. c. 10.

ni Batavensis, Gebhardi Ratisbonensis, Egiberti Frisingensis & Adelberonis Brixinensis: Egibertus sive Engelbertus Gottschalco successerat, cùm Henrico ab Epistolis, Willigisi ArchiCancellarij loco, fuisset, Adelbero D. Albuino vulgò successor datur, qui Pontificia sede Brixinam, sub Othone III. translatâ, ævum ad quadragesimum vsque quartum hujus seculi annum produxerit; quorum posteriùs apertè vanum esse, & Adelberonis Chirographo convincitur, & nos ad ea vsque tempora duos insuper Episcopos numerabimus, Herbardum & Hartvvicum. Neq; alterum multò certius; cùm Richpertus, qui S. Albuino mitram reliquit, ab Othone II. Brixinensis Episcopus, literis Brixinæ datis, appelletur, nullâ Sabionæ memoriâ. Henricus voti sui compos Basilicæ Pontificiæ Apostolorum Principes & D. Georgiũ Tutelares Patronos optavit; Procurationem ejus Eberhardo Cancellario suo permisit: Monasteria duo adjecit, Archangelo alterum, alterum ProtoMartyri sacrum; in quorum molitione etiam Genios atros à Kunegunde in Latomiam dam-

MOLITIONES PIETATIS HENRICI.
Hofman. in Annal. Bamb.
DÆMONES FABRI.

damnatos ſaxis cædendis opus feciſſe, quantumvis monſtro ſimile eſt, habet tamen auctores, & olim fidem reperit. Aſſervata etiam vſque ad ſervileGermaniæ bellum Cryſtallina lanx eſt, inter cimelia Montis Monachorum, quam argento gravem eadem Diva in publico deſtituerit, ſine cuſtode, vnde operas manupretium ex fide numeraſſe ſibimet fama fuit, caſtigatâ præſentibus exemplis avaritiâ, ſi vel vnius aſſis auctarium malo vngui adhæſiſſet. Ornamentis præſidijſq; quibus operis ſui æternitati conſuluit Henricus, etiam illud inſigni indulgentiâ adjeciſſe traditur, vt ſummi Imperij Proceres, quæ Cæſaribus adorandis honoraria impendunt obſequia, iiſdem Babenbergenſem Præſulem per Vicarios proſequerentur, ídque Auguſtalis prærogativæ quoddam velut inſtar eſſet; privilegium ſine dubio nullius exempli, quod poſteritas admirata *Filum Sericum D. Kunegundis* appellavit; ſed vrbi pro aheneo muro futurum, & pignus perpetuæ ſecuritatis. At nos pietati regiæ militarem in comitatum demus,

LANX S.KVNEGVNDIS ET FILVM SERICVM.

B.GVNTHERI RES GESTÆ.

Lamb. Schaffn. Arnold. in Vita S. Godehardi.

mus, quæ BOICÆ sub idem tempus miraculo esse cœpit & exemplo, quo Guntherus inter Thuringos summo loco natus domesticæ Fortunæ bonis, quæ cæteri mortales prima putant, generoso contemptu calcatis, virtutísque tyrocinio in Altahensi Monasterio posito, trajecto Danubio, vasto se nemore condidit, Antoniorum Macariorúmq; æmulus & sanctioris ævi imaginem orbi repræsentaturus. Auctor illi magnarum cogitationum Gotthardus Hersveldensis idémque Altahensis Abbas fuit, secúmque in BOICAM, ne patriæ illecebris relanguescerent primi impetus, abduxit; Româ deinde, quam ex voto salutarat, reversum auctoratúmque Deo sacræ militiæ leges artésque docuit; atque, vt sunt arduæ virtutum aggressiones, inter initia fluctuantem animo iterum erexit & in semitam revocavit: néve auctoritatem humilis hortatoris defugeret, ab Henrico impetravit, vt post exempla pulcherrima orbi prebita, Rex ipse militi pręcepta daret sanctitatis, & regiâ eloquentiâ traheret ad illud fastigium, quò ipse dudum pervenisset; vtiq; pudo-

S. HENRICVS GVNTHERVM CONFIRMAT.

pudori fore ratus jam cucullato, si delicatior esse suo Principe vellet, & de virtute desperaret, quã ille in purpura esset assecutus. Neq; sua Gotthardũ spes fefellit. Eas Gunthero faces rex admovit, quę ardorem animi per omnẽ vitam nunquã passæ sunt intepescere. Quo cùm Altaichium etiã ad æmulationem suorũ studiorum accẽdisset, illustrare transdanubianos insuper saltus cœpit, Rinichnachensi cœnobio illic condito, quod Henricus viri pietate delectat⁹ proximo anno largè ditavit, & amplis finibus circumscripsit. Tabulæ adhuc extant, quæ cùm * Bennonis Batavensis Episcopi nomen præferant, corrigendi annales sunt, qui Christianum duodecimo, imò decimo tertio adhuc superstitẽ faciunt, nisi annum Regij diplomatis mala fide transcriptum malumus credere. Scriptor Anonymus, cujus brevis de Gunthero lucubratio extat, cum à Stephano rege nõ modò virtutis sed etiam cognati sanguinis causa in pretio habitum scripsit: quem cùm honestissimis Legationibus tandem ad se pertraxisset, admotúmque mensæ ad pavonem invitaret, excu-

* *alijs Berengerus dicitur.*

To. 2. Ant. Lect. H. Canis.

PRODIGIOSVM CONVIVIVM.

excusasse scilicet Guntherum morem suum & severiores leges gulæ scriptas: rege non acquiescente, avem Guntheri precib. redivivam pennatámque è carptorum manibus avolasse, eò minore similitudine veri, quò propiùs ad monstra accedit; & cæteroqui etiam scriptor ille, quisquis est, vereor vt ætatem suam tueatur: Mihi quidem de Arnoldi scrinijs, qui D. Gotthardi vitam concinnavit, compilatis vehementer est suspectus, in quibus cùm hujus rei nihil sit, haud sanè ægrè patiar prodigiosum convivium fabulosis accenseri. Verùm nos ad Guntherum post XXXVII. annos revertemur. Hujus, quem suprà nominavi, Paschalibus, Henricus Ratisbonæ ex Slavorum & Iaromiri Bohemi Legatis de Boleslai recrudescente perfidia fit certior, se ipsos pecunia ab eo solicitatos fatebantur; neque, quamdiu cum eo bellum non sit, sibi fidelium sociorum munia explendi copiam fore. Quæ cùm ad consilium relata essent, plerisque digna bello visa sunt, quod calidiùs cœptum quàm gestum est. Indulgendo cunctandóque Duces Remp. perdidere.

BELLVM POLONICVM LÆVO SVCCESSV REPETITVM.

Hen-

Henricum, quo minùs expeditioni adesse præsens posset, Trevirenses motus distinebant, eodem tempore pravæ ambitionis flabris excitati. Adalbero Kunegundis Reginæ frater, Pontificatum ejus vrbis, nec loco illo nec honore dignus, prævalente gratia, occupaverat. id Henricus, qui virtutum rationem haberi primam vellet, ratum non habuit, Megingaudo suffecto, in quo decora agnosceret mitram poscentia eandémque ornatura. Adalbero pro indignissimo habuit in ordinem redigi, & tam fœdâ repulsâ notari à Rege affine; Hostem illum sui generis sororis nuper opes Babenbergam convexisse nunquam ad sanguinem suum redituras; cúmque in manu totius regni Episcopatus habeat, tam alieno à se animo esse, vt quemvis de plebe potiùs, quàm affines suos ijs censeat cohonestandos. Theodorico eum fratri Metensem cathedram invidere, &, si vota valeant, non minùs quàm se de Trevirensi solio detracturum. Theodoricum, quem nominavi ad Episcopium vi grassatum Sigebertus tradidit: Nam cùm Theodoricus Mosellanus filio impube-

Ditm. Herman. Histor. Lucemb. &c.

MOTVS TREVIRENSES AMBITIONE ADALBERONIS EXCITATI.

Sigeb. A. 1009.

Xx

puberi Metenses infulas destinasset, Theodericus hic, qui illius ætati Tutor admotus erat, puero vrbe ejecto, honorem sibimet vsurpavit. Eo ingenio cùm esset, haud ægrè exoratus à fratre est, vt repulsam illam armis susciperet vindicandam; tracti in partem etiam reliqui fratres Henricus BOIARIÆ Dux & Fridericus Comes, aliíque his vt sanguine, ita furore suppares. Cùm palatium in adversa vrbi ripa Mosellæ situm arcem belli legissent, ita se compararunt, vt non modo Megingaudo infesta omnia redderent, sed ne regij quidē apparatus famâ moverentur, obsidionem etiā tolerare ausi; cujus diuturnitate & incommodis cùm prope desperationem ventum esset, Henricus BOICÆ Dux vltimo obsessos periculo exemit, deditorúmq; libertati cavit. Intempestivam tamen operam vaframentúmque Principatûs BOICI jacturâ luit: cujus ipse sibi augur & vates fuisse credi possit; BOICA enim vltimùm digrediens sacramento proceres adegerat, quæcunque sua fortuna fuisset, neminem alium apud se cum imperio passuros. Proinde cùm Henricus Rex

HENRICVS BOIAR. DVX REBELLIBVS ACCEDIT.

HENRICVS BOIVS EXAVTHORATVR.

Rex anno ſequente Comitijs Ratisbonenſibus ejurare Boios datam rebelli Principi fidem juberet, religio oppoſita eſt; neque, niſi illâ exemptâ, in regis verba juratum. Ijs Comitijs Ditmarus interfuit, ille ipſe, cujus fideliſſimis lucubrationibus in hac rudis ævi caligine, veluti face vtimur; cui hanc BOICA de ſe optime merito vicem lubens reddiderit, vt ſummos in ea honores conſequeretur, quando hoc anno Neoburgi ad Danubiũ, Henrico rege præſente, Tagmone Magdeburgio & quinq; Epiſcopis inaugurantibus, Merſeburgenſis Pontifex ſalutatus eſt. A. MIX. *Ditmar. l. 6.*

Henricus ne quid, abſente ſe, exauctoratus Princeps turbarum in BOICA daret, omnes aditus ita ſepſit, vt illi neceſſariò à tentata irruptione fuerit deſiſtendum. Metas ergo fugienti ſimilis regreſſus cum Theodorico fratre viciniam omnem tumultibus miſcuit, clientibus regis præſertim gravis, vt reſumenda confeſtim inſequente anno arma fuerint, quibus vrbi propè excidium, agro vltima vaſtitas allata; multæ mortalium centuriæ famis impatientiâ voluntariũ HENRICI BOII GRASSATIONES. A. MX.

exilium patriæ antetulere. Slavorum impietas regi militantium nec suburbano cœnobio pepercit; quæ vna omnium luctuosissima clades Henrico visa, neq; expiata modò religioso animo, sed liberali etiam manu resarta est. Moderationis ejus etiam illud indicium fuit, quòd armis superior belli tamen plus quàm civilis quoquo modo finiendi studio, Metensi obsidione soluta, rebellibus, si jure secum agere vellent, diem ad dicendam causam Moguntiæ constituit: sed cùm nihilo felicior eorum oratio esset, quàm arma antea fuerant, irarum pleni conventu se proripuere, cùm infamiam extinguere non possent, etiam pudorem scelerum profligaturi. Itinera confestim, quæ pax in Comitijs sancita aperuisse videbatur, dispositis quaquaversum insidijs, infestarunt; in quas cùm Haimo Virdunensis Episcopus & Theodoricus Mosellanus cum insigni comitatu ignari juxtà securíque periculi incidissent, hostilia omnia passi sunt: comitum plerisque fœdè jugulatis, Theodoricus Dux graviter saucius in custodiam abreptus est; vt vitæ illi gratia fieret, non dignitati sed

HENRICVS BELLO VICTOR TAMEN AD IVS PROVOCAT HOSTES.

HAIMO VIRDVN. EP: BOIVS.

ſed ſanguini datum, quo nemo illis erat conjunctior. Haimo cum paucis inter tumultum elapſus fugâ lanienam evitavit; etſi Ditmarus, vti nunc legitur, illum cæſis adnumerat, non ſuo ſed librarij ejúſque qui ſcriptorem illum publicavit, errore. Eum enim ad vigeſimum vſque ſeptimum annum provixiſſe ex epigraphe tumuli manifeſtum eſt, manum inſuper noménq; illius literis longè poſt hæc tempora datis ſubſcriptum agnoſcimus. Porro illuſtris eſt hodiéq; Haimonis apud Virdunenſes fama, pietatis præſertim ſtudio, & eximio in religioſas familias amore parta, acceptúmque hoc BOICÆ decus referunt; Ea enim viro huic patria fuit, & magiſtra virtutum, quæ illum Divis æquarunt.

Ditmari Editio habet, Paucis effugientibus, cum Epiſcopo interfecti ſunt innumerabiles.

Reſcribẽdum, mutata interpunctione, Paucis effugientibus cum Epiſcopo, interfecti ſunt innumerabiles.

Henricum, priuſquam à Rheno longiùs abiret, Baſileam intervisiſſe comperio ſummíque templi fundamenta jeciſſe, quod octavo pòſt anno Adalbero Epiſcopus, V. Idus Octob. Henrico jam Auguſtalib. infulis exornato, cum conjuge, ſummis vtriuſque Ordinis viris præſentibus dedicavit, regiũ opus, quod Henrici magnificentiam etiam hodie oſten-

Franc. Guilliman. l. 4. Habſburg.

BASILICA BASILEENSIS HENRICI OPVS.

stendit, pietatem enim amisit. Exinde, quia à Polono iterum metus erat, & procerum factionibus respub. periclitabatur, in Saxoniã digressus litibus reliquis vel jure diremptis vel clementiâ temperatis, Boleslaum bello persequi statuit: Delectus ad id acerrimè habiti, sub initium veris anni vndecimi, miles ad signa convenire jussus. Id bellum rex morbo impeditus per legatos gessit, quos inter Meinvvercus fuit Paderbornensi mitra biennio ante exornatus, sæpius ex occasione nobis nominandus. Præter populationes memorabile nihil gestũ, quòd Boleslaus Glogoviæ munimentis inclusus nulla verborum contumelia damnorúmve acerbitate elici ad pugnam posset, imparem viribus se professus, cùm numero anteiret. Nostris ad oppugnanda mœnia animus vel apparatus defuit, contentis præda & illa parte gloriæ, qua sibi palàm concessum de virtute videbant; & Henrico satis fuit eodem penè tempore valetudinem & incolumem exercitum recepisse. Per autumnum è Saxonia digressus provincias, quæ ipsius præsentiam poscere visæ, lustravit. Natalem

Res cvm Boleslao Pol. gestæ. A. MXI.

talem Domini pro more Poledæ egit. Merseburgi, duodecimi anni initio, pacem cum Boleslao sanxit quinquennio duraturam, si tam longum otium pati ingenium illius turbulentum potuisset. Lebusiam interim jam inde ab Henrico I. desertam restituere aggressus, opus ita partitus est, vt intra decimum quartum diem vrbis formam & incolas acceperit. Sextus Maij dedicandæ Ædi Babenbergensi destinatus, vt idem dies Regi templóque natalis esset; Ab eo trigesimum quintum Regi fluxisse Ditmarus significat. Primæ inaugurationis partes honoris causa Ioanni Patriarchæ Aquileiensi datæ. Cisalpini Episcopi regiæ pietati gratificati magno numero adfuerunt: ad quorum judicium Hartvvicus Salisburgensis Antistes Gebhardum Ratisbonensem Episcopum adduxit exercitum sæpe antehac simultatibus & obnoxium inuidiæ, ob mores nostro, quàm illi rigido ævo accommodatiores. Accusatus ibidem à rege Theodoricus Metensis, quòd iniquâ criminatione conflare sibi apud Pontificem invidiam instituisset. condonata tamen & hæc super alias injuria est, A. MXII. *Lamb. Schaffn. Hoffman in Ann. Bamberg.* DEDICATIO BABENBERGENSIS. GEBHARD. RATISB: ACCVSATVS.

neque sustinuit quemquam humanissimus rex tristem à suo vultu discedere. V. Id. Iun. Tagmo Magdeburgius terris abijt, cùm annos VIII. menses IV. & dies septem *Columna Ecclesiæ*, quo eum nomine Ditmarus ex vero afficit, pietatem bonúmque publicum suffulsisset; cujus eò meminisse visum, quòd D. Wolfgangi olim alumnus morientis animam ore legere jussus, sanctitatem ejusdem vnà imbibit, famâ per omnem vitam integrâ, quæ etiam mortuum secuta est, intérque Divos indigetes collocavit, quibus immixtum cùm vidisse se nonnemo assevera ret, nulli dubium fuit vera dici, quòd viri innocentia pridem omnibus fidem fecisset immortalitatis. Sed lubet Tagmoni comitem ad superos jungere Macarium Antiochenum Patriarcham, annui hospitij causâ, quod viro huic honores suos fugienti & voluntaria exilia identidem mutanti BOICA lubens voléns que impertijt; sed virtutes, nisi quarum vestigia BOICÆ impressit, non visum exequi. quod res nostras propriè spectat, est ejusmodi. Adalbertus illum inter BOIOS potens & copiosus ædibus rece-

Sur. April. mense, Fasti Rom. Molan. Iac. Mayer. Ioan. Buzelin. &c.

S. MACARII ANTIOCH. BOIARIÆ HOSPITIS VITA & MORS.

receptum anno integro cum comitibus perhonorificè habuit coluítque velut cælo lapſum, & fortunarum ſuarum certiſſimam tutelam, quódque ſupra ſpem fuit, familiæ ſuæ columen. Avam enim conjugem ſuam jam depoſitam conclamatámque illius ope à mortis limine recepit, cùm ex aqua precibus & tactu Crucis, quæ penè tota ipſius ſupellex fuit, luſtrata tres non amplius guttas ori jam vltimum halãtis inſtillaſſet; ea ſparſione cùm morbum mortémq; extemplo pepuliſſet, major ille jam homine plenúſq; Deo videri, & fama per totam BOICAM ingenti eſſe. Vidiſſe virum, audiſſe loquentem de immortalibus bonis, contacta illius manibus & imbuta ſanctitate libare oſculo poſſe, in parte felicitatis habitum. Duo adeò Atrienſes ſervuli de Adelberti familia, mappulam, quæ ſacrificantis manus terſerat, ſublegere auſi ſunt, pio furto, ſi malus animus & ſordes abfuiſſent. Nam cùm haud vanè augurarentur, valiturum ad pellendos morbos ſpolium ſuum, nundinationem meditabantur quæſtuoſam ſine dubio, ſi beneficia Macarij linteo

ſuo impreſſa ægris vendidiſſent. Sed improbas ſpes Deus intercepit, avaritiámque febri caſtigavit, vt non modò de ſalute vendenda, ſed etiam tuenda deſperarent. erubuerunt tamen infamia mercimonij ſui conſilia divino viro explicare, donec admota cruce ſalutem illis bonámque mentem reddidit. Sed cùm ijdem ſoſpitatoris ſui virtutes publicarēt, fatigatus ingratis laudibus, quarum erat longè impatientiſſimus Macarius, alias virtutibus ſuis latebras quæſivit, fruſtra affectatâ nominis obſcuritate, cùm lucem diémque ſecum veheret, ſuíſque ſe radijs proderet. Gandavi demum, hoc anno, conſentientem vitæ nactus exitũ, memorabili fato functus eſt. Exorato enim Numine, vt publica lues in ſuo capite extingueretur, ſuccedanea devotáque pro tota Belgarum gente victima Chriſtum, cujus morte vivimus, piè æmulatus cecidit Aprili menſe, Patris Patriæ nomē veriùs quàm quiſquam mortalium ſortitus.

Iac. Mayerus 11. annum, Sigebertus 13. ſubijcit.

LEBVSIA HENR. VRBS VASTATA.

Interim dum Henricus Metis adſidet, Boleslaus Lebuſiam inter ſua adhuc initia laborantem, neque pro magnitudine

dine satis habitatam cultámque, cùm Albis eluvionibus impedita nostris itinera nosset, ex improviso aggressus, nullo negotio in potestatem adduxit; in incolas superbè consultum & inhumaniter; civitas subjecto igne ad pristinam vastitatem redijt, XIII. Kal. Sept. Impetum victoris latiùs grassaturi cohortes subitariæ ad primam tumultus famã imperio Reginæ coactæ & opportunus regis reditus stitere. Adventanti Iaromirus Bohemus sordidatus occurrit, Vdalrici fratris injurias, à quo proximis Paschalibus Principatu exactus fuerat, pronis, uti sperabat, regis aurib. infusurus. Aspernatus tamen supplicem est Henricus, quòd collectam editis fidei documentis dignationem haud pauciorib. crudelitatis exemplis extinxisset. Objectum illi sanguinarium Imperium in civium cæde exercitum; numerati etiam è BOICA nobilitate complures vita ab eo spoliati, suspecti sine dubio perfidiæ, & Boleslai clientelam privatis legationibus muneribúsque ambire convicti; id tamen tum quidem ad revincendum crimẽ leniendámq; invidiã regísq; in-

IAROMIRVS BOHEMVS PRINCIPATV & LIBERTATE EXVTVS.

indignationem nihil valuit; vtriusque magnitudine oppressus non spe modò recuperandæ dignitatis, sed libertate insuper excidit, Adelboldo Trajectensi Præsuli in custodiã datus; Vdalrico contra Merseburgum evocato summus honor habitus confirmatúmque in Bohemos imperium est, velut optimis artib. summo jure partum; quæ regis facilitas materiã sermonibus prębuit, alijs ipsum, alijs fortunam accusantibus & iniquas fratrum vices, quibus neque Iaromirus ea calamitatate, neque Vdalricus tanta benevolentia dignus est visus. Per ead. tempora Danubius ripas suas egressus nullius exempli in BOICA strages dedit; agris passim inundatis pecua ablata; involuti eodẽ impetu mortales permulti vnà in perniciem rapiebantur; secutæ denique villæ sunt, motæque elutis radicibus sylvæ eandem injuriam senserunt. Iratum terris Numen etiam impij crediderunt, metúsque fuit, ea eluvie majoribus malis prælusum; & patratum sanè tum scelus constat dignum, quod non vno tantum elemẽto vindicaretur. Colomannus Hiberniæ Regum sanguis avitam

DANVBII EXVNDATIO.

S. COLOMANNI SANCTA MORS.

tam propriámque gentis ſuæ pietatem æmulatus purpuram centone mutaverat, vt Deo, ad cujus cunas properabat, ſimilior iret, ejúsq; paupertatis veſtigia confidentiùs adoraret. Ea gratia cùm per BOICAM iter feciſſet, & Stokeraviam in BOIORVM finib. ſitam appuliſſet, ignoti habitus vultúſq; argumento pro exploratore captus quæſtioníque ſubjectus eſt. Cúmq; omni tormentorum diritate laceratus nullam aliam vocem mitteret, quàm exulem eſſe ſe neq; præter Chriſtum toto orbe quidquam vel amare vel quærere, fidem non fecit furentibus, actúſque in arborem hoc quoque Chriſti conſecutus eſt, vt innocens moreretur & pendulus. ſed triſti fato ſubſecuta prodigia infamiam detraxerunt. Infelix & jam olim arida arbor ſubitò refloreſcens læta fronde ſacrum caput inumbravit. Corpus ſolis cælíque injurijs expoſitum nec tabo fluxit, nec vlla mortem macula prodidit; ſanguis quinimo recens ex inciſi vulnere manans, & fruticans etiamnum pilus, protruſíq; vngues ſpeciem ſpirantis viventíſque præbuere; quib. argumentis convicti

Ditmar. l. 7. in fin.
VVolf. Laz. in Chorogr.
Sur. t. 5. &c.

PRODIGIA.

victi etiam illi innocentem cælitémque pronunciarunt, qui eum ad restim damnaverant. Neque dubitavit Henricus Limiti Orientali, quàm Austriam hodie dicimus, præfectus detractas ex arbore immortales exuvias Mellicensi cœnobio inferre, & vt Divum colere. Atq; hic Henricus ille Austriæ Marchio est, qui à plerisque, contra bonum & fas, cum Henrico Franciæ Orientalis Marchione, cujus insanos spiritus suprà depressimus, confusus, notam rebellis, quam nunquam meruit, tulit infami stigmate ab imperita scriptorũ turba injustus: qui cùm primus nobilissimæ familiæ Marchionum Austriæ, qui postea Duces salutati sunt, surculus fuerit, nihil ab instituto alienum fecero, si vltimas ejus origines exequar. Patre Leopoldo sive Luitpaldo natum inter omnes constat, quo vno discrimine, vt cætera congeminarent, ab Henrico seditioso internosci debuit, quem Ditmarus, Adelboldus, quique D. Meinvverci res explicavit, & Altahense Chronicon optimæ notæ, Bertholdi filiũ cõsensu tradunt. De ipsius Leopoldi Majoribus res intricatior est: ad

HENR. AVSTR. MARCH. AB INIVRIA VINDICATVS.

EIVS STEMMA.

Ex Historia quam Leopoldus V. Dux Austriæ scripsit.

Altahense Chron. ms.

ad Adelbertum Babenbergensem, quem Hattonis fraude ex arce sua ad gladium extractum, suprà docuimus; stemma Otho Frisingensis ejusdem familiæ illustre decus, magna similitudine veri refert, ordine non expresso, quem etiam nos frustra indagemus, quãdo neq; gloriæ gentis id admodum interest; cui Leopoldus, si vel nova ab eo inciperet, impertiri nobilitatis satis potuit; proinde neque Leopoldus Quintus eo nomine, qui Austriacas origines, laudabili in Principe studio, in membrana adhuc superstite explicavit, Leopoldo primo antiquiorem producit, eíque vt familiæ autori ejusdem ornamenta omnia imputat. Hic ergo Leopoldus cùm ephebus etiamnum Cæsari (quem Henricum Aucupem alij Annales faciunt) venanti olim & prædæ studio longiùs à comitibus abrepto vnus omnium latus tegeret, evenit, vt Cæsari telum in destinatam feram libranti, in illo ipso articulo arcus rumperetur, tristiore, quàm pro jacturà, infortunio; quod antequã detestari Cæsar posset, Leopoldus correxit, suo arcu, vt erat intentus armatúsque, in tempore sub-

Chron. ms. Biblioth. Cæsarea. Richard. Streinius. Tho. Haselbach.

LEOPOLDVS I. QVOMODO AVSTRIÆ MARCH. ADEPTVS.

subjecto; hunc cùm in feram feliciter laxasset, laudatâ officiosi juvenis solertiâ eidem pollicitus est, quæ prima provinciarum Rectore orbaretur, illius imperium navatæ operæ præmium illi se potissimùm concessurum: Anno nongentesimo vigesimo octavo, cùm Rudigerus de Pechlaria Orientali Limiti præfectus decessisset, magnísq; studijs pro se quisque Palatinorum niteretur, Leopoldus promissi Cæsarem commonefacit, isque extemplo competitoribus omnibus antelatum voti sui damnavit. Leopoldus Provinciam cum splendidissimo popularium clientúmq; comitatu ingressus res ibi maximas gessit, quas inter etiam Mellicensis arcis Hemoni cognomento Stillæ ereptæ in templum mutatio memoratur, cui illatum D. Colomannum diximus. Annum Leopoldi vltimum Ditmarus nonagesimum quartum nominat, cui recentiorum conjecturas par est cedere. Ævo suo fessum Provinciæ curas titulúmque Marchionis in Henricum filium rejecisse, ex literis intelligitur, quibus jam ante hunc annum datis Henrici nomen præscribitur: Mors illi acer-

LEOPOLDI I. MORS.

acerba indignáque tantis virtutibus obtigit. Apud Bervvardum Würceburgium Antistitem D. Chiliani ferias, quibus octavus ante Idus Iulias sacer est, religiosè agentem, &, Pervigilio in precibus ducto, liberali ludo vacantem Evergeri nuper ab Henrico Leopoldi nepote exoculati cliens, intento in hunc ipsum Patroni sui hostem præsentem arcu, exerrante sagitta, Leopoldum graviter icit, ex quo vulnere, *facta Confessione*, Ditmari verba repeto, *VI. Idus Iulij expiravit* bonorum omnium lacrymis defletus, quorum hic sensus & vox fuit, clarissimum ætatis suæ sidus extinctum, tumulatámque cum eo virtutem & prudentiam, quæ duo decora in viro illo eximia fuerint. Filios, præter Henricum, reliquit Popponem, quem paulò pòst Trevirensem Antistitem videbimus, & Ernestum, qui hoc ipso anno duodecimo, Hermanno conjugis suæ fratri, in Ducatu Alemanniæ, Henrico rege inaugurante, successit. cui ead. propè cum parente fata communémque tumulum sortito suo loco parentabimus. Sub finem anni

Ditm l.4. Chron. Quedlinburg.

Herman. Ditm.l.8.

Episcoporum comitia regis rogatu coacta sunt, Theodorico Metensi coërcendo; is, causâ cognitâ, tantisper ab aris amotus est, dum sacro ordini satisfecisset. Christianis Natalibus Benedictus VIII. summus Pontif. factione Gregorii æmuli prævalente, vrbe pulsus regem Poledæ * adijt, ejúsque fidei suam & Ecclesiæ in cõtraria discissæ studia causam gravi oratione commendavit: qua excitatus rex provisurum se recepit, ne quid Resp. Christiana detrimenti caperet, & primo quoque tempore in Italia futurum; eóq; Pontificem, Cruce potestatis insigni apud se pignoris loco relictâ, præmisit.

Ditmar. l. 6.

* *al. Palthi aut Palithi.*

A. MXIII. FOEDVS POLONICVM FLVXA FIDE.

Sequens annus novo regem inter & Polonum fœdere insignis fuit, quod vt sanctius conciperetur, Miseco filius primùm, tum etiam Boleslaus parens sacramentum præsentes dixerunt. Atque hic quidem neque clientis nomen obsequiúmque dedignatus regius anteambulo & armiger in publicum prodeuntis pompam augustiorem reddidit, memorabili comitate, nisi inconstantis animi hic sub larva modestiæ brevis ludus fuisset.

ſet. Bellum enim Ruſſis moturus hac illecebra Henrico fucum faciendum cenſuit, vt non modò de vindicandis totâmq; inſignibus injurijs cogitationem, abſente ſe, non ſuſciperet, ſed inſuper illius viribus Ruſſum debellaret. Vtriuſque voti compos factus, & inſignis victoriæ felicitate animo ſuperfusâ, perſonam Clientis poſuit, Hoſtis reſumpſit; cujus argumenta non obſcura mox prodidit. Nam non modò deducendi comitandíque in Italiam Regis partes dedignatus, ſed Pontifici inſuper queſtus eſt, non oblivione officij ſui, aut intermiſſione conſuetudinis, ſed Henrici inſidijs impeditũ eſſe curſum ſuæ pietatis, devotámque pecuniam ex regno ſuo, quod D. Petro vectigale ſit, nondum repræſentatam; quæ criminatio ſua vanitate ſpōte corruit, & Henricus ſuis morib⁹ & tacito virtutis cognitiſſimę patrocinio eſt abſolut⁹. Is cùm collabaſcentis in Fuldano Cœnob: diſciplinæ erigendę ſtudio Brantoni Abbati è Lauriſhamenſi Popponem ſuffeciſſet, & Comitijs Grondæ habitis, regni ſtatum in tuto collocaſſet, XI. Kal. Octob. è Saxonia per Sueviam

Ditmarus Bronhigum appellat. fort. Gröund. Vita S. Meinvverci ſcriptor.

Boicámque, Italiam eſt ingreſſus, nemine palàm obſiſtere auſo; etſi Boleslaus nihil non ageret, quo inimica omnia Henrico redderet; eodémque Hardvigus omnes curas conferret, tam irrito quàm improbo vterque conatu. Igitur prælia, quæ Sigonius accumulat, non agnoſcimus Ditmari autoritate moti, qui Hardvigum memorat rebus ſuis fortunǽque diffidentem caſtelli munimentis tenuiſſe ſeſe, miſsíſque ad Henricum legatis, ceſſurum vſurpati regni nomine, & ſe ſuáque dediturum promiſiſſe, anguſto Comitis titulo contentum, ſi Comitatus ſibi invicem illius beneficio aſſignaretur; Quæ cōditio ex amicorum ſententia nihilominus ſit repudiata.

HARDVIGVS DETVMESCIT.

III. A. MXIV. HENRICVS IMPERATOR SALVTATVR.

Rex Natali Domini Papiæ acto, VI. Kal. Mart. Romam eſt ingreſſus, & à duodecim-viris Senatorij Ordinis virgam manu præferentibus, quorum ſeni barbam promiſerant, ſeni raſerant, cum Kunegunde ad Divi Petri deductus, antequam limen contingeret, ſacramento Pontificis adactus Eccleſiæ nunquam, dum vita ſuppeteret, ſe defuturum, neq; à Romani Pontificis fide deſciturum juravit,

ravit, móxque ritè inunctus Augustalia insignia cum conjuge more majorum accepit; quibus Pontifex Pilam auream adjecit gemmarum velùti Zonis quadrifariam segmentatam, ex quarum vmbilico Crux itidem aurea emergeret. Eam Henricus manu prehensam curiosiùs contemplatus, agnoscere se, dixit, Pontificis in nobili dono munificentiam, juxta solertiámque, eo pomo curam sibi orbis terrarum commendantis, cujus cùm Atlantes esse reges debeant, pessimè sine dubio cùm eodem agi, si in impares humeros dextrámque tanta moles incumbat: ejus imagine aureâ admoneri se publicæ spei, & votorum seculum aureum suspirantium, à quo nimium quantum ferrea ætas, in tanta gladiorum bellorúmque licentia, distet. Neq; gemmas, quibus inoculata Pila fulgeat, si regiarum virtutum symbola sint, valde sibi abblandiri, cùm tacitè ijs coargui animi sui inopiam sentiat nihil similium decorum in se agnoscentis: proinde neque dignam quidem manum suam tam ambitioso symbolo credere; ijs multò rectiùs convenire, qui orbem omnem

PILA AVREA INSIGNE IMPERII.

Glaber. l. 1. Hist. c. vlt. error tamen illic in annorum numero.

verè habuerint pro pila, ejúsque viscatis muneribus excussis, fastum religioso pede conculcent veri vnicíque reges, qui sibi animóque imperent soliDeo obnoxij, minimè erubescenda servitute. Simul cum dicto Cluniacensibus Monachis, quibus Odilo ea tempestate præerat, insigne illud ferri jussit, vel, quòd alij tradiderunt, incognitus ipse & dignitatem veste dissimulans illi loco nobile anathema dicavit. Petrus Damianus aliíque etiam Coronæ meminere, quam Odilo postmodum, prævalente fame, conflaverit, cùm reliqua pauperum subsidia liberalitas consumpsisset. Coronā priorem (eam interpretor, quæ olim Germaniæ Regi salutato imposita est) Apostolorum Principis honori, ad ejus aram è tholo suspendit, eo facto professus honores mutuò dari non dono, & ad Deum cum fide remittendos, etiam antequam repetantur. Magnus cæteroqui Henrico cum Odilone vsus; comitem eum in Itinere Romano habuisse comperio & in mensa convivā; Papiæ Christi Nascentis Ferijs vnà epulatis mappam rari operis fur sublegit, venalémque exposuit

Henr. Pilam avream Clvniaco destinat. *In vita S. Odilonis apud Sur. To. I.*

Henrici cvm S. Odilone vsvs. *Scriptor Vitæ S. Meinvverci, Vita S. Henrici c. 26.*

posuit publico foro tertiùm, emptorem nunquam nactus, cùm quanti eam indicasset, nemo præstinaret. Non tamen antè resipuit, quàm manibus pedibúsq; captus prodere furtum, quàm perdere animam maluit. Aliàs cùm Cluniacum, Odilonis amore, Henricus divertisset, phialam crystallinam, Alexandrini operis, exoticis plenam lautitijs eidem de mensa per Albericum & Landulphum transmiserat; ea deinde inter curiosas circumlata manus, infelici casu, illisa solo dissilijt, tristium lacrymarum causa, quòd eam regi esse in delicijs constabat, metuebatúrq; contracturum frontem, intellecta jacturâ; id Odilo antevertendum ratus, suarum vi precum integratam Imperatori remisit, tum demum inter gemmas numerandã & dignam Cæsare. Eadem ornamenta animi, quæ in Odilone amaverat Henricus, etiam Romualdi sanctissimi ea tẽpestate viri amplectendi colloquendíq; ei cupiditatem injecerunt, quorum vtrumque cum pro magno munere ab eo impetrasset, tantùm ex illo congressu cepit gaudij, vt vel purpuram cum pannosi hominis pau-

HENRICI CVM S. ROMVALDO CONGRESSVS.

P. Dam. in. V. S. Romualdi.

per-

pertate permutaturus fuerit, si rationes boni publici id permisissent; dicere certè non dubitavit, Optimè habitaturam animam suam, si illi immigrare in Romualdi corpus liceret; meliore vtique voto, quàm Alexandri Magni fuit Diogenem se futurum dictitantis, nisi esset Alexander. Romualdus cupidissimas audiendi veri nactus aures, gravi oratione summa regij muneris capita Henrico commendavit; si Felicem se esse, Pium dici Patrémque Patriæ vellet, Ecclesiæ jura libertatémque primâ æternáq; curâ tueretur; Leges & ipse conderet, conditásque olim sciret, æquo in omnes imperio; ne, velut aranearum telæ muscas tantùm illaqueant, & fortiora transmittunt, pateretur meliore conditione potentes esse quàm innocentes; si his quidem fraudi sua virtus & humilitas noxæ sit; tantóque injuriæ videantur opportuniores, quantò minus eâ sunt digni; illis contrà vires pro jure sint, causáq; ex fortuna æstimetur; quasi scelera vlla possent auro tegi & malefactis infamiam opulentia detraheret; cùm tantò conspectius crimen sit, quantò nobilior est auctor:

ROMVALDI ORACVLA PRINCIPIBVS DATA.

ctor; & qui peccat in purpura, ſimplici piaculo exſolvi non poſſit, cùm nefas non tantùm fecerit, ſed docuerit etiam, traxerítq; exemplo eadem auſuros, vtiq; ſi abſit vindex, & improbam audaciam pro ſupplicio emolumenta ſequantur. Rex liberam cordatámque orationem montis Amiati Monaſterio illi contributo remuneravit. Palatini cæteri ſuo regíſque judicio Romualdum æſtimantes, & quaqua iret vt divinum hominem, ſubmiſſo capite venerati, pelliti ſagi, quod illi pro veſte fuit, villos piâ violentiâ carpebant, felicéſque habiti, qui *talis* viri filum pilúmve poſſent oſtendere. Hunc cum D. Romualdo congreſſum Baronius in vltimam Henrici expeditionem Italicam rejecit; nobis in re inexplorata, & quia ordinis haud multum intererat, argumenti ſimilitudo, vt cognata inter ſe narratione non ſejungeremus, perſuaſit. Nunc ad res Romanas, quæque inaugurationem ſecuta ſunt, revertimur. Habuit & hæc ſuas vices, neque ſine tumultu & ſanguine tota peragi potuit. Octavo poſt eam die in Tiberino Ponte acris Germanos inter

ROMANORVM GERMANORVMQVE CONFLICTVS.

Ditmar. l. 7.

700 *Italósque coorta rixa est*, cui cùm fi-*nem cædes, quæ utrinque* multæ factæ, *imponere non possent*, modum nox sta-*tuit. Hugo, Hezelo*, & Ezelinus Germa-*ni, tumultus* auctores capti in Germani-*am, custodiæ* causâ, sunt deportati, quã *corum unus* fugâ evitavit. Fratri Impe-*ratoris* Arnulpho, eodem adnitente, Ra-*vennas* Ecclesia auctoritate Pontificis *reddita*; Adelbertus, qui mitram Arnul-*phi* involaverat, ne inglorius viveret, re-*gere* Aricinos est jussus: Româ tandem digressus Imperator Pascha Papiæ egit; quem diem nonnulli perperam coronatione ejus insigniunt. Bobium Theodelindæ BOIÆ opus Episcopatu auxit, quod Ditmarus *Tertium devoti operis ornamentum* nominat. Longiores in Italia moras etsi res posceret, lues iniquo Germanis corporibus Italiæ cælo contracta non permisit. Lætum id Hardvigo jam saturo modestiæ, cujus auctor & custos metus fuerat & præsentia potentioris; quo trans montes submoto furorem & arma resumpsit, primóque impetu Vercellas cepit, Leone Episcopo ægrè inter tumultum elapso; inde in-flam-

ARNVLPH: HENR: FR. ARCHIEP. RAVENNAS.

Sigeb. Fabric.

Vita S. Meinvverci.

HARDVIGVS TVMVLTVATVR.

flammæ morem ſerpere, proxima quæq; corripere, infeſtus ire omnibus, quos datæ Henrico fidei non pœnituiſſet. Extant Henrici literæ hoc anno ſcriptæ teſtes cladium Petro Novarienſi Epiſcopo illatarum, quem fame ſitique confectũ, elapſúmque in avios ſaltus Hardvigus inſatiabili odio ſecutus, etiam glaciales montes & inhoſpita ſaxa nudis pedibus perreptantem per emiſſarios ſuos veſtigavit; donec laſſata crudelitas hominis nanciſcendi ſpem abjecit. Tum verò ira in agrum Novarienſem effuſa certaménque cum rerum natura ſuſceptum: nam & vineta cæſa, & arboribus, detracto cortice, vita adempta, aliáque barbari furoris veſtigia vbivis impreſſa; quæ cùm abolere Henrici humanitas omnia non poſſet, terminos provinciæ extendit, multíſque acceſſionibus vetera illius Eccleſiæ jura amplificavit. Verùm Hardvigum Deus vltra annum hunc nõ paſſus eſt furere. Mediolanenſis Archiepiſcopus curâ ſuſceptâ Reipub. factione illius felicibus armis inſigniter fractâ, tyrannum eò adduxit, vt vltro furtivas rapti honoris exuvias poneret, Monachúm-

Apud Baron. An. 1014.

HARDVIGI RERVM EXITVS.

Boicámque, Italiam est ingressus, nemine palàm obsistere auso; etsi Boleslaus nihil non ageret, quo inimica omnia Henrico redderet; eodémque Hardvigus omnes curas conferret, tam irrito quàm improbo vterque conatu. Igitur prælia, quæ Sigonius accumulat, non agnoscimus Ditmari autoritate moti, qui Hardvigum memorat rebus suis fortunæque diffidentem castelli munimentis tenuisse sese, misśisque ad Henricum legatis, cessurum vsurpati regni nomine, & se suáque dediturum promisisse, angusto Comitis titulo contentum, si Comitatus sibi invicem illius beneficio assignaretur; Quæ cõditio ex amicorum sententia nihilominus sit repudiata.

HARDVIGVS DETVMESCIT.

III. Rex Natali Domini Papiæ acto, VI. Kal. Mart. Romam est ingressus, & à duodecim-viris Senatorij Ordinis virgam manu præferentibus, quorum seni barbam promiserant, seni raserant, cum Kunegunde ad Divi Petri deductus, antequam limen contingeret, sacramento Pontificis adactus Ecclesiæ nunquam, dum vita suppeteret, se defuturum, neq; à Romani Pontificis fide desciturum iuravit,

A. MXIV. HENRICVS IMPERATOR SALVTATVR.

ravit, móxque ritè inunctus Augustalia insignia cum conjuge more majorum accepit; quibus Pontifex Pilam auream adjecit gemmarum veluti Zonis quadrifariam segmentatam, ex quarum umbilico Crux itidem aurea emergeret. Eam Henricus manu prehensam curiosiùs contemplatus, agnoscere se, dixit, Pontificis in nobili dono munificentiam juxta solertiámque, eo pomo curam sibi orbis terrarum commendantis, cujus cùm Atlantes esse reges debeant, pessimè sine dubio cum eodem agi, si in impares humeros dextrámque tanta moles incumbat: ejus imagine aureâ admoneri se publicæ spei, & votorum seculum aureum suspirantium, à quo nimium quantum ferrea ætas, in tanta gladiorum bellorúmque licentia, distet. Neq; gemmas, quibus inoculata Pila fulgeat, si regiarum virtutum symbola sint, valde sibi abblandiri, cùm tacitè ijs coargui animi sui inopiam sentiat nihil similium decorum in se agnoscentis: proinde neque dignam quidem manum suam tam ambitioso symbolo credere; ijs multò rectiùs convenire, qui orbem omnem

Pila aurea insigne Imperii.

Glaber. l. 1. Hist. c. ult. error tamen illic in annorum numero.

verè habuerint pro pila, ejúsque viscatis muneribus excussis, fastum religioso pede conculcent veri vnicíque reges, qui sibi animóque imperent soli Deo obnoxij, minimè erubescenda servitute. Simul cum dicto Cluniacensibus Monachis, quibus Odilo ea tempestate præerat, insigne illud ferri jussit, vel, quòd alij tradiderunt, incognitus ipse & dignitatem veste dissimulans illi loco nobile anathema dicavit. Petrus Damianus aliíque etiam Coronæ meminere, quam Odilo postmodum, prævalente fame, conflaverit, cùm reliqua pauperum subsidia liberalitas consumpsisset. Coronã priorem (eam interpretor, quæ olim Germaniæ Regi salutato imposita est) Apostolorum Principis honori, ad ejus aram è tholo suspendit, eo facto professus honores mutuò dari non dono, & ad Deum cum fide remittendos, etiam antequam repetantur. Magnus cæteroqui Henrico cum Odilone vsus; comitem eum in Itinere Romano habuisse comperio & in mensa convivã; Papiæ Christi Nascentis Ferijs vnà epulatis mappam rari operis fur sublegit, venalémque exposuit

HENR. PILAM AVREAM CLVNIACO DESTINAT. *In vita S. Odilonis apud Sur. To. I.*

HENRICI CVM S. ODILONE VSVS. *Scriptor Vitæ S. Meinvverc. Vita S. Henrici c. 26.*

poſuit publico foro tertiùm, emptorem nunquam nactus, cùm quanti eam indicaſſet, nemo præſtinaret. Non tamen antè reſipuit, quàm manibus pedibúſq; captus prodere furtum, quàm perdere animam maluit. Aliàs cùm Cluniacum, Odilonis amore, Henricus divertiſſet, phialam cryſtallinam, Alexandrini operis, exoticis plenam lautitijs eidem de menſa per Albericum & Landulphum transmiſerat; ea deinde inter curioſas circumlata manus, infelici caſu, illiſa ſolo diſſilijt, triſtium lacrymarum cauſa, quòd eam regi eſſe in delicijs conſtabat, metuebatúrq; contracturum frontem, intellecta jacturâ; id Odilo antevertendum ratus, ſuarum vi precum integram Imperatori remiſit, tum demum inter gemmas numerandã & dignam Cæſare. Eadem ornamenta animi, quæ in Odilone amaverat Henricus, etiam Romualdi ſanctiſſimi ea tẽpeſtate viri amplectendi colloquendíq; ei cupiditatem injecerunt, quorum vtrumque cum pro magno munere ab eo impetraſſet, tantùm ex illo congreſſu cepit gaudij, vt vel purpuram cum pannoſi hominis pauper-

Henrici cum S. Romualdo Congressus.
P. Dam. in. V. S. Romualdi.

pertate permutaturus fuerit, si rationes boni publici id permisissent; dicere certè non dubitavit, Optimè habitaturam animam suam, si illi immigrare in Romualdi corpus liceret; meliore vtique voto, quàm Alexandri Magni fuit Diogenem se futurum dictitantis, nisi esset Alexander. Romualdus cupidissimas audiendi veri nactus aures, gravi oratione summa regij muneris capita Henrico commendavit; si Felicem se esse, Pium dici Patrémque Patriæ vellet, Ecclesiæ jura libertatémque primâ æternáq; curâ tueretur; Leges & ipse conderet, conditásque olim sciret, æquo in omnes imperio; ne, velut aranearum telæ muscas tantùm illaqueant, & fortiora transmittunt, pateretur meliore conditione potentes esse quàm innocentes; si his quidem fraudi sua virtus & humilitas noxæ sit, tantóque injuriæ videantur opportuniores, quantò minus eâ sunt digni; illis contrà vires pro jure sint, causáq; ex fortuna æstimetur; quasi scelera vlla possent auro tegi & malefactis infamiam opulentia detraheret; cùm tantò conspectius crimen sit, quantò nobilior est au-ctor:

ROMVALDI ORACVLA PRINCIPIBVS DATA.

ctor; & qui peccat in purpura, ſimplici piaculo exſolvi non poſſit, cùm nefas non tantùm fecerit, ſed docuerit etiam, traxerítq; exemplo eadem auſuros, vtiq; ſi abſit vindex, & improbam audaciam pro ſupplicio emolumenta ſequantur. Rex liberam cordatámque orationem montis Amiati Monaſterio illi contributo remuneravit. Palatini cæteri ſuo regiſque judicio Romualdum æſtimantes, & quaqua iret vt divinum hominem, ſubmiſſo capite venerati, pelliti ſagi, quod illi pro veſte fuit, villos piâ violentiâ carpebant, felicéſque habiti, qui talis viri filum pilúmve poſſent oſtendere. Hunc cum D. Romualdo congreſſum Baronius in vltimam Henrici expeditionem Italicam rejecit; nobis in re inexplorata, & quia ordinis haud multum intererat, argumenti ſimilitudo, vt cognata inter ſe narratione non ſejungeremus, perſuaſit. Nunc ad res Romanas, quæque inaugurationem ſecuta ſunt, revertimur. Habuit & hæc ſuas vices, neque ſine tumultu & ſanguine tota peragi potuit. Octavo poſt eam die in Tiberino Ponte acris Germanos inter Ita-

ROMANORVM GERMANORVMQVE CONFLICTVS.

Ditmar. l. 7.

Italósque coorta rixa est, cui cùm finem cædes, quæ vtrinque multæ factæ, imponere non possent, modum nox statuit. Hugo, Hezelo, & Ezelinus Germani, tumultus auctores capti in Germaniam, custodiæ causâ, sunt deportati, quã eorum vnus fugâ evitavit. Fratri Imperatoris Arnulpho, eodem adnitente, Ravennas Ecclesia auctoritate Pontificis reddita; Adelbertus, qui mitram Arnulphi involaverat, ne inglorius viveret, regere Aricinos est jussus: Româ tandem digressus Imperator Pascha Papiæ egit; quem diem nonnulli perperam coronatione ejus insigniunt. Bobium Theodelindæ BOIÆ opus Episcopatu auxit, quod Ditmarus *Tertium devoti operis ornamentum* nominat. Longiores in Italia moras etsi res posceret, lues iniquo Germanis corporibus Italiæ cælo contracta non permisit. Lætum id Hardvigo jam saturo modestiæ, cujus auctor & custos metus fuerat & præsentia potentioris; quo trans montes submoto furorem & arma resumpsit, primóque impetu Vercellas cepit, Leone Episcopo ægrè inter tumultum elapso; inde in-

flam-

ARNULPH: HENR: FR. ARCHIEP. RAVENNAS.

Sigon. Fabric.

Vita S. Meinvverci.

HARDVIGUS TUMULTUATUR.

flammæ morem ſerpere, proxima quæq; corripere, infeſtus ire omnibus, quos datæ Henrico fidei non pœnituiſſet. Extant Henrici literæ hoc anno ſcriptæ teſtes cladium Petro Novarienſi Epiſcopo illatarum, quem ſame ſitíque confectũ, elapſúmque in avios ſaltus Hardvigus inſatiabili odio ſecutus, etiam glaciales montes & inhoſpita ſaxa nudis pedibus perreptantem per emiſſarios ſuos veſtigavit; donec laſſata crudelitas hominis nanciſcendi ſpem abjecit. Tum verò ira in agrum Novarienſem effuſa certaménque cum rerum natura ſuſceptum: nam & vineta cæſa, & arboribus, detracto cortice, vita adempta, aliáque barbari furoris veſtigia vbivis impreſſa; quæ cùm abolere Henrici humanitas omnia non poſſet, terminos provinciæ extendit, multíſque acceſſionibus vetera illius Eccleſiæ jura amplificavit. Verùm Hardvigum Deus vltra annum hunc nõ paſſus eſt furere. Mediolanenſis Archiepiſcopus curâ ſuſceptâ Reipub. factione illius felicibus armis inſigniter fractâ, tyrannum eò adduxit, vt vltro furtivas rapti honoris exuvias poneret, Monachúm-

Apud Baron. An. 1014.

HARDVIGI RERVM EXITVS.

Carol. Sigon. de regn. Ital.

chúmque indutus, & pro purpurato cucullatus in Fructeriense cœnobium Agri Taurinatium sese abderet, felicior futurus aut laudabilior certè; si in hunc quietis portum, rebus integris, ingressus, non naufragio ejectus fuisset: cùm ferè misera virtus sit, ad quam necessitate venitur; & fucata innocentia, quæ nocendi instrumenta, non votum perdidit.

HENRICVS IMPERIVM MVTARE RELIGIONE STATVIT.

Magnū Chro. Belgicum.

Quò mirabilius Henrici consilium est, quem florentissimâ re publica privatáq; priùs fortunæ suę satias cepit, quàm subire pœnitentia posset; certè divortium cum illa meditatus est, scripto ad id libello verbísque conceptis; quæ ad Richardum Virdunensem Abbatem detulit, vt, eo auspice, Deo se totum traderet, ejurato imperio, descendere paratus de summo gloriæ fastigio; & in D. Vitoni cœnobio latebras quærere jam inviso splendori. Verùm Richardus secum reputans subduci hanc columnam orbis terrarum sine ruina, aut certè concussione Reip. non posse, negavit ejus temporis id consilium esse: rectiùs facturum si personam ageret, quam ipsi Deus imposuisset; posse etiam sub purpura gerere Mo-

Monachi animum, majestatem cum modestia conjungere, & orbi simul sibique jus dicere, quod denique verè sit domi forísque esse Imperatorem. Destitit cœpto Henricus, Religionémque, quam veste non potuit, moribus est professus. Nunc in viam revertimur. Rex cùm Poledæ Natalem Dei nostri coluisset, initio anni decimi quinti Mersburgi conventus egit, déque Boleslai perfidia ad proceres retulit; neque tamen, pro innata ingenio clementia, asperius quidquam decrevit, quàm vt ad officiũ revocaretur. Legatus ad illum Hermannus Marchio Misniæ ivit gener Boleslai, affinitatis, quàm Reip. studiosior: post Pascha à Socero reversus Legationem eadem, qua objuerat, fide explicavit; nihilo vtiliorem operam navaturus in Kunegundæ fratribus ad bonam mentem reducendis, nisi sociorum, quibus comes additus fuerat, consensu victus, aut territus autoritate necessariò seipso melior fuisset. Ita rebelles in conspectum Cæsaris adducti nudi pedes cæteróque habitu deformes iterum veniam pertinaciæ suæ impetrarunt. Sbignæo Boleslai

A. mxv.

Mosellani Fratres Henrico reconciliati.

lai Legato ad id ſpectaculū admiſſo publicè reſponſa data, quæ tamen ad Boleslai aures non venerunt, Legati improbitate orationem aliam ex arbitrio concinnantis, peſſimo more, neq; vnquam ſine pernicie Principum à Palatinis foricibus vſurpato. Boleslaus quidem à pacis cogitationibus, quæ coalitura videbatur, confeſtim reſilijt, & Miſeconem F. ad ſolicitandum Vdalrici Bohemi animum concitandúmque adverſus Imperatorem in Bohemiam miſit; ſed Bohemo fides conſtitit; abominatúſque conſilium cùm inceptu tum etiam exitu fœdum, malum conſultorem, fortiſſimo quoq; comitum ejus occiſo, in vincula conjecit: quem tamen vtcunque de ſe meritum Henricus repetijt, libertatique & Patri reſtituit, nullo alio operæ pretio, quàm vt etiam hoc documentum daret, cum talibus ingenijs armis rectiùs quàm benevolentia certari. Nam nec Pater, recepto filio, nec filius redditus Patri ſummum beneficium aliter quàm ſummo odio compenſarunt mox in bellum erupturo. Ad Henricum Immaleshuſij cum Meinwerco Pa-

MISECO MALI CONSILII POENAS LVIT.

RVSTICVS CÆSARIS MONITOR. *Ditmar. l. 7.*

co Paderbornio Pentecoſtes ferijs pietati litantem homo agreſtis & bubſequa nulla re præterquam corporis proceritate notabilis admitti expetijt, afferre ſe dictitans, quæ neſcire ipſum, aut alium quemquam reſcire nefas eſſet: oracula columbâ interprete ad ſe delata cælo, cùm terram aratro proſcinderet. Ea Henricus in aures potiùs quàm pectus admiſſa nec refutavit, nec credidit, propior tamen aſpernanti; quo nomine Ditmari cenſuram non effugit, vt monitoris impatientior. Cauſa qualiſcunq; & vndecunque nata ad Aquiſgranenſem Conventum ampliata, in eóque vates arator adeſſe juſſus. Alemannia interim Erneſtum Ducem Luipaldi Auſtrij filiū memorabili morte amiſit. Adalbero cū Comes telo in ferā emiſſo ſtravit; quod cùm funeſtum ſibi agnoſceret, familiares primùm obteſtatus eſt, errorē hunc Fortunæ non Adalberoni imputarent: hunc ſe abſolvere, illam non accuſare. Imperatâ ſe morte naturæ, atq; vtinam etiam Deo ſatisfacturum; cujus placandi cùm ratio propior nulla ſuppetat, in eo rerum articulo & ſacerdotis inopia depre-

ERNESTI ALEM. DVCIS TRISTIS SED PIA MORS.

prehenso; etsi criminum suorum judice carendum sit, testes tamen & conscios, quotquot adessent, se non refugere; vtique ad veniam valiturum, si se reum coram omnibus peregisset. Inter singultus deinde & lacrymas suas suorúmque, explicatis noxis animi, vltimísque ad vxorem mandatis editis, plenus spe beatæ immortalitatis decessit prid. Kal. Iunij. Tumulari juxta patrem voluit, quem Würceburgi haud absimili lethi genere extinctum suprà commemoravimus. Henricus Goslariæ VIII. Kal. Iulij Ernestum filium in Patris jura dignitatémque succedere jussit, non Bertholdum Zäringium, vti inscitè Fabricius scripsit; quem ego certum habeo maluisse fabulas quàm verum tradere, quando etiam Luitpaldum Ernesti avum facit, & quidem Ditmaro, si superis placet, teste, qui tamen Patrem disertè nominavit, vt in eo legendo necesse sit illum oculos amisisse, ita fœdè identidem extra optimi Ducis vestigia saltat; quod semel indicasse satius visum, quàm perpetua rixâ scriptionem contaminare.

IV. Interim ex delectibus miles convenerat

nerat in Polonicam expeditionem descriptus, quæ vt Divis volentibus & propitijs susciperetur, Henricus Magdeburgi ad D. Mauritij votis conceptis VIII. Idus Iulij iter ad Albim intendit. In Lusatiorum finibus cum præsidiarijs Cinnensib. erumpere ausis feliciter pugnatum est. Missi deinde ad Misceconem Boleslai Filium Crosnæ adsidentem, qui datæ fidei admonitum ad deditionem invitarent; ille patris auctoritatem excusans conditionem respuit; pacis nihilominus amore simulato, ejus amplectendæ Patri se autorem fore professus est, trahendi magis temporis causâ quàm quòd pax ipsi volenti esset. Igitur Henricus Oderam transgressus IV. Non. Aug. cum Miscecone conflixit, & sexcentorum strage edita, præda potitus tres duntaxat de suis desideravit. Boleslaus à filio copijs Bernardi Saxonis Oderæ ripam prætexentibus exclusus est; quarum impetum cùm ferre non posset, digressus in interiora Provinciæ, agrum ijs populandum reliquit. BOII partim Vdalrico Bohemo contributi, partim Henrici Austrij signa secuti, vtrobique rem præ-

EXPEDITIO POLONICA.

clarè gesserunt; Vdalricus Busina vrbe expugnata incensáque suos prædâ ditavit. Austrius gravem spolijs Boleslai militem è Moravis potissimùm collectum assecutus, octingentis nec minus ferro concisis, impedimentis omnibus potitus est. Henricus ambiguus quo loco sociorum res essent, irritare paucitate suorum nec hostem quamvis victum, neque fortunam eousque propitiam ausus pedem retulit, locorúmq; ignoratione magnis exercitum difficultatibus implicavit. Haud obscurum id Boleslao; remensúsque regi acceptam cladem fuisset, nisi instratis repentè paludibus viam sibi virtute celeritatéque nostri aperuissent. Vltimum tamen agmen cùm hostem ex insidijs irruentem semel iterúmque pari fortitudine excepisset rejecissétque, tertia incursione labefactatis animis solutísque metu ordinibus ad injuriam patuit; ducenti cæsi sunt, nonnulli capti, quæ vtraque jactura victoriæ prioris integritatem delibavit. Parte altera Miseco Albi cum septẽ Legionibus transito Misnam vrbem tentavit; cives munimentis diffisi in arcem sere-

HENRICVS NONNIHIL CLADIS ACCIPIT.

MISNA À MVLIERIBVS DEFENSA.

ſe receperunt; quæ ipſa quoq; cùm duobus locis flammam concepiſſet, propè ad deſperationem vẽtum eſt, actúmq; fuerat, niſi virorum deficientium munia fœminæ occupaſſent: quæ cùm in ſubeuntes ſaxa ſpargerent, ignémque mulſo, in aquarum inopia, ſopirent, fremẽti hoſti ſpem victoriæ eripuere; & tunc quidem rejectus eſt; ne ſequenti die fortunam iterum laceſſeret, fluvij incremẽta obſtitere. Conſtantiæ muliebris etiam ad poſteros fama porrecta, habitúſque hic Matronis honos eſt, vt circa Natalitia Matiana cultæ exornatǽque, agmen ducente Conſulis, penes quem faſces eſſent, vxore, templa obirent ſupplicabũdæ, votáque pro incolumitate vrbis à ſuo olim ſexu defenſæ nuncuparent; donec nuper antiqui moris, quòd pietatem oleret, degeneres nepotes pœnituit. Henricus, vt navatæ operæ pretium eſſet, non paſſus Heroidum patriam cinetibus ſepeliri, pulchriorem è buſto ſuo eduxit. Præfecti fabris Epiſcopi tres, intérque hos Ditmarus, quo referente hæc didicimus: ijs opus vrgentibus, quatuordecim non amplius dierum ſpatio tota,

HENR. MISNAM INSTAVRAT.

ad vnguem, sic ille loquitur, *perducta est ædificatio*; hostilis injuriæ notæ expunctæ, quam accepisse tanti fuit, vt locum faceret illustriori fortunæ. Imperator interim propiora occidenti interuisens Episcopatus Babenbergensis angustias extendit, cùm ripa Pegnesi provinciam Eistetensem circumscripsisset: qua in re ne adversarium Episcopum pateretur, Megingaudo, priore anno, mortuo Gundacarum suffecerat Babenbergensis Ecclesiæ Æditimum obscurum hominem & in re tenui natum, vt inspe-rati honoris illecebrâ obnoxium sibi redderet, traherétque in sua vota velut addictum emptúmque. Nihilominus vbi ad rem ventum est, satis ostendit Gundacarus libertatē se non vendidisse, magísque quis esset meminisse, quàm qualis olim fuerat, vt Henricus paulò commotior pristinæ fortunæ admonitum rogarit, satísne nosset eum, qui Æditimo mitram imposuisset? eáque voce hominem elinguârit. Constantior sine dubio in tuendo jure suo Megingaudus fuit, non modò limites moveri non pas-sus,

BABENBERGENSIS EP: INCREMENTA.

Ex Libro Pōtificali Eystett.

MEGINGAVD. & GVNDACARVS EPISC: EISTET.

Hasenrietanus Anonymus.

ſus, ſed ſolennium etiam obſequiorum detrectator, quæ pro illius ævi more Epiſcopis imperabantur. Fuit cùm regij metatores commeatum ab eo Henrico Ratisbonam proficiſcenti totíquePalatino populo in cœnam rectam ſuffectum, quòd olim *Plenum ſervitium* appellabant, poſcerent; ille abominatus apparatum eſcarium, cuius ingẽtes ſtrues promus-condus in menſam deſcribebat, vocem tamen tenuit, donec vini non dolia ſed plauſtra idem ille exactor nominavit. Tum denique victâ patientiâ, Quin tu potius cum rege tuo piari te jubes, qui ſanus ſi foret, prodire ſcilicet euſque ſumptu me vellet, donec conturbandum ſit? Apage mihi hos cõvivas, qui ægrè ſobrios ventres paſco, & in Pontificatu eſurio. Doliolum vini, Epiſcopi Auguſtani donum, tota mea vindemia eſt; id ad aram Deo libamus cætera abſtemij: inverecundia eſt, hinc vel pocillum poſcere; impietas, dare. Tandem deferveſcente ira, pannos melioris notæ & fili Henrico muneri miſit; ea eſſe ſua lautia teſtatus; lautitias Eyſtadij non quærendas. Id nos quantumvis

ANTIQVA SIMPLICITAS & PAVPERTAS.

minutulum, quia tamen insignem habet veteris parsimoniæ tenuitatísq; notam, non pepercimus prodere, etsi fortasse seculo nostro convitium facit. Partus Virginei pervigilio alter Megingaudus Trevirensis Antistes decessit Confluentiæ, quæ illi æmulorum odijs exercito pro suffugio fuit. Illius morte Adalberonis ambitio revixit in pristinas clades adultura, nî suffocata sub initia fuisset, Poppone inaugurato, qui adversæ factionis potentiam non sustinere modò, sed elidere etiam vnus posse videbatur. Atque hic est Poppo ille Luitpaldi Austrij filius, Ernesti inter venandum occisi, itémque Henrici, qui Patri in provincia successit, frater; cujus virtuti Cæsar tantum tribuit, vt Adalberoni palàm de eo affirmarit, Indomito domitorem se reperisse. Neq; fefellit spem Poppo, totúmq; factionis improbæ regnum excidit, arce Adalberonis, cui Berencastello nomē fuit, diruta, & altero etiam nequiore Sifitræ nido, quem Adelbertus quidam cum latronum globo insederat, ad vastitatem redacto. Quæ cùm Henrici auspicijs & subsidiaria ope patrata

Herman. Ditmar. Vita S. Meinvverci.

POPPO AVSTRIVS EP: TREV: ÆMVLOS EVERTIT.

Io. Bertelius in hist. Luxemb. Popponem Ratisbonensem vocat.

trata haud dubiè sint, nihil ab re fecero, si castelli Trevirensis, quod olim Cruci Triumphanti sacrum Adelbertus latrocinijs infamaverat, insigni astu expugnati narrationem adjecero. Iam pridem illud improbissimorum hominum latibulum Popponi oculos exurebat, vt spoliarium suarum opum, & quotidianarũ receptaculum prædarum: furtivo sacrorum proventuum fundorúmque succo ali saginaríque illam pestem publicam impune, id verò pudendum esse probrũ. Quæ cùm sæpe nequidquam fremeret, palámque esset, magno æstimaturum, si quis illam Lernã purgasset, Sickho quidam egregiè fortis factísque suis nobilis operam in id suam pollicitus, sub ipsam arcis portam progressus craterem vini levandæ siti pincernam poposcit, præbitúmq; cùm avidè siccasset, nunciari Adelberto jussit, curaturum se, vt cui viro beneficium dedisset, in paucis diebus experiretur. Cados deinde triginta comparat, singulísque virum præsidentem, armis animísq; instructum abscondit; alios septuaginta bajulorum vicem functuros, & fraudis velandæ causâ ad eorũ

CASTELLI TREVIR. EXPVGNATIO.

STRATAGEMA.

morem cultos adijcit, quorum humeris insidiæ tegetibus instratæ in arcem importarentur. Excubitori quærenti, quid sibi tam longus clitellariorum hominũ ordo vellet? Honorarium Adelberto vinum ferri, respondit; Sickonẽ eo fidem promissi sui exsoluturum: Craterem sitienti propinatũ has amphoras implesse. haud gravatè intromissus ad pedes Adelberti commendantis inauditam hospitalitatem fatale munus deonerat: induvijs momento, vti convenerat, detractis, armati prosiliunt, & tyrannum primùm, deinde vt quisque proximus vino inhiabat, sternunt, jugulant, totísque ædibus, Sickhone duce, bajulísque, qui & ipsi abdita lagenis arma corripuerant, eadem vi grassantibus, lanienam propagant, mimúmque doctè compositum, nullo suo periculo, internecione latronum absolvũt, intérq; inconditos plausus, partam dolis dolijsque victoriam & cruenta Bacchanalia Popponi renunciant mirè læto, & milites suos, qui è ligneis cadis velut equo Troiano effusi priscis Heroibus paria fecissent, in cælum laudibus ferente; diúque nihil frequentius
in-

in ore hominum Sickhonis lagenulis fuit, quæ Sicariorum sitim vino, quale meruerant, extinxissent. Adalbero factionis suæ propugnaculis exclusus, si quid recenti scriptori credimus, execratus consilia, quibus famam fortunásq; prodegerat, quietem publicam pietatémq; optima humani generis bona violarat, in sese descendit; illata Religioni damna sponte assumptis piaculis & luculentis largitionibus redemit, quódque superfuit ævi, in D. Paulini æde, cujus præfecturam gerebat, exegit innocenter, honoratior longè quàm cùm honores per arma & ignes quæreret. Neque Henrici fratris BOIORVM quondam Principis vllum ex hoc tempore factum extat pœnitendum, vt Poppo nihil dubitarit veteres honores spondere in via regia modestiæ perseveraturo. Eadem ferè tempestate, qua, fratribus Kunegundæ ad officium bonámq; mentem redeuntibus, serenari Augusta Domus, absterso cognati sanguinis probro, visa est, multò fœdior labes in proximas Henrici necessitudines incumbens plenam sanctitatis aulam novæ infamiæ incendio afflavit.

Io. Bertel. in hist. Luxemb.

HENRICVS BOIVS AD OFFICIVM REDIT.

Ex vita S. Meinvverci.

IMPROBORVM CONIVGVM FOEDVS EXITVS.

Athela Meinvverci Episcopi Paderbornij Mater, neptis Cæsaris, Imedo marito orbata in Baldrici Comitis amorem incideràt, eòque vt potiretur, necato filio Theodorico, vacuam scelestis nuptijs domum fecerat, nihil exinde pensi habitura, cùm pudorem in summo scelere, quin etiam metum, potentiæ fiduciâ, perdidisset. Certè biennium execrabilis mulier in paricidio triumphavit, donec eã Meinvvercus filius ad Cæsaris cognati tribunal Tremoniam pertraxit, nihil veritus facti invidiam, cùm accusari impietatis in matrem carnificem aliter non posset, nisi ei patrocinaretur; à quo tam longè abfuit, vt, mitioribus sententijs dici cœptis, detestatus sit iniquam clementiam, quæ jure & legibus agere in violatricem humani omnis divinique juris cunctaretur; an enim commiserationi locum esse adversus illam, quam nec filij misertum sit, cujus cædem & sanguinem, vt scilicet sanctissimè nuberet, ad latronem maritum pro dote attulerit? Nihilominus victus Iudicum consensu Cæsaris Avunculi arbitrio causam permisit; is factâ nepti vitæ

MEINWERCVS EP. MATREM IN IVS RAPIT.

gra-

gratiâ, amplissimi eam patrimonij parte multavit. Sed infanda mulier paricidij veniam licentiam interpretata crudelitatis, paulò pòst Wigmannum Comitem pacis bellíque artibus clarissimum virũ patriæq; non tantùm decus sed tutelam etiam, veneno propinato, quod ipsa tẽperaverat, de medio sustulit, seculi sui Medea dicenda, nisi cum Ditmaro secũdam Herodiadem appellare malumus. Secutas ex latrocinio clades vrbísque Vpplunæ vastitatem nihil attinet hoc loco commemorare; vltima tamen fata, quæ, devoto diris capite, vxor pessima & pessimus maritus excepere, Tragicis funestiora casibus operæ sit prodidisse. Baldricus longa felicitate ebrius, cùm terras sceleribus fatigasset, insultare etiam cælo ausus negavit, Deum, vt omnes vires & iras colligeret, fortunę suę facere injuriam posse; famem egestatémq; sibi, nisi exarescente Rheno, in quem tum ex Radrichemia arce despiciebat, aut sylvis perpetua sterilitate damnatis, timenda non esse. Expertus est tamen, & vtriusq; miseriæ nobile exemplum fuit. Nam cùm duos Imperatoris legatos, jam assueta

IMPIETATIS PRÆMIA.

fueta cędib. manu, ex insidijs peremisset, proscriptus & exul de felicitatis suæ fastigio non descendit, sed ruit, momentóque ex ditissimo pauperrimus, ad alienas fores, donec per famem & ærumnas licuit, vixit. vxor vt illustriùs inter publica ludibria periret, digressa Coloniam ex Æde principe & Tuiciensi Cœnobio cognatus Cæsarib. sanguis sportulam petijt impetravítque. & fortunæ fortasse inter tam duras illius vices & imperia satisfecit; Deo implacato decessisse, id argumento fuit, quòd cadavere ad D. Petri ædem tumulato, iratum vrbi cælum sine vllis solibus tam pertinaci intemperie incubuit, vt imminere exitiũ videretur, donec exhumatâ eâ, quæ turbasse naturam credita est, & in Rhenum tractâ, sol quidem & dies terris redditi; sed flumine invicem præter solitum inflato aquis, propè major metus fuit, quàm inter cæli minas. Sic Furia illa omnibus jactata Elementis in pestem publicam nata mortuáque ne id quidem impetravit, vt extinctæ quisquam bene precaretur.

A. MXVI. Imperator, vt in viam revertar, Ramali-

malibus Anni decimi ſexti Würceburgi actis, Chriſti mortui & redivivi memoriæ Babenbergæ litavit. Argentinæ deinde cum Rudolpho Burgundione Avunculo materno congreſſus eſt. Rudolphus magnis curis impar & odio populi, aut quia meruerat, Ignavi cognomento aſperſus, nomen tantùm regium & inſignia ferebat, cùm penes proceres Imperij vigor & in ipſum regem imperium eſſet; ſub quo jam dudũ ingemiſcens coronam & ſemiliberum regnum veluti jugum excutere meditabatur, traderéq; Henrico; non modò vt mortuo præter ipſum nemo ſuccederet, ſed vt veluti conſors & collega æquali ſecum jure imperaret, neque magnarum rerum quidquam ratum eſſet, niſi communibus auſpicijs ſuſceptum. Henricus juris vſurpandi causâ, in vacuam apud Burgundiones Pontificiam ſedem Epiſcopum immiſit, quem Wilhelmus procerũ longè improbiſſimus inde deturbare ſatis non habuit, ſed fugientis etiam latebras, canum ope, ſcrutatus, potitus haud dubiè præda eſſet, niſi pietatis ſenſus, quo venator caruit, belluas ſubijſſet. Crucis enim

HENRICVS BVRGVNDIÆ IMPERIVM ADIT. *Ditmar.*

EPISCOPVS MIRACVLO SERVATVS.

enim vim, quam Episcopus vestigijs impresserat, reveritæ, violare asylum, quod Crux & innocentia sacrum religiosúmque fecerant, non sustinuerunt, domino suo mitiores. ejus audacia ab his initijs vsq; ad Cæsaris contemptum excrevit. Henricum Basileam petentem passim vrbibus exclusit manifestus contumaciæ, cujus tamen vindicandæ tum copia non fuit penè inermi; nam voluntariorum subsidia, quæ manipulatim confluebant, vrēdis hostium agris, ingratam Henrico operam navarunt nunquam sine gemitu ad hęc cladium exęmpla oculos retorquenti. Proinde vt lætiora alia in Alsatia suæ præsentiæ monumenta relinqueret, Argentorati labefactatas Divorum ædes restituit, & Wernhero Episcopo autor fuit illi⁹ templi fundamenta jaciendi, quod hodie inter orbis miracula aspicitur: decimus demū annus, vt inde molem æstimes, fabris centum opus facientibus, substructionem solo tenus eductam cœpit ostendere. Henricus exiguo operæ pretio inter Burgundiones per æstatem versatus magnas rei bene contra Boleslaum gerendæ occasiones

WILHELMI BVRGVNDI CONTVMACIA.

HENRICVS AVCTOR SVMMÆ ARGENT. ÆDIS CONDENDÆ.

Ditm.

nes

nes amisit: quem satis constat prioris anni cladibus commitigatum multo minores, quàm antehac, animos gessisse, neque, si Cæsaris signa vidisset, præsidia occupatis antea vrbibus deducere, imperatáque facere dubitaturum fuisse. Solata vtcunque eam jacturam est victoriæ Italicæ de Saracenis partæ fama, vnà cum spolijs ad Cæsarem allata. Lunam civitatem Saraceni in potestatem adduxerant; quod ne diuturnum ijs gaudium esset, Benedicti Pontificis vigilantiâ cautum est, omnes, qui salvam Remp. vellent ad arma vocantis, classe etiam instructa, vt fugam hostibus mari intercluderet; quæ quidem præter regem impuræ gentis cum pauculis in celocem elapsum nulli patuit. Reliqui cùm pugnæ aut obsidionis necessitatem sibi subeundam animadverterent, honestius consilium secuti prioréfque fortunam tentare ausi, tridui eruptionibus magna nostros clade affecerunt; tamdiu enim neque vultui barbarorum ferendo pares terga impune cædenda præbuerunt, infami ignavia; quam cùm vltimus pudor, & illapsus animis de cælo vigor excussissent,

Victi in Italia Saraceni.

sent, tanto in victores ardore sunt invecti, vt ferrum tum demum conditū fuerit, cùm nemo superesset, qui gloriari posset Italos se fugientes vidisse. Regina adeò viva in potestatem adducta securi percussa est. Victoriæ magnitudinem spolia adæquarunt. ex quibus regium diadema gemmis distinctum pontifex sibi vindicavit. manubiæ Imperatori submissæ mille non minus libris æstimatæ. Saracenus & suorum clade & morte cōjugis nunciata irâ doloréq; amens saccum castanea nuce fartum Pontifici afferri denunciaríque jussit; Acciperet omen sequentis anni, qui Italiæ tantundem hostium sit patiturus. Pontifex cùm peram milio implesset, eund. cavillum Saraceno remensus est; promptiùs cum milij quàm militum numerum initurum, qui castaneis obviam sint ituri, siquando in Italiam se essent infusuræ.
A. MXVII. Hæc anni sequentis, qui decimus septimus fuit, initio, Alstedæ in publico procerum conventu recitata magno omnes gaudio affecerunt. Illic Boleslai causa iterum inter primas agitata; cúmq; honestissima legatione evocatus ad colloquium,

quium, copiam sui non faceret, Hostis Reip. judicatus est. Dum copiæ coguntur Henricus obire provincias & jus dicere instituit. Aquisgrani Theodoricum Metensem Antistitem ejúsque fratrem Henricum BOICÆ olim Principem, oblitteratâ veterum injuriarum memoriâ, in pristinam dignationem recepit; quod vt factum ex animi sententia testaretur, Henricum ad Boleslaum legatum ire jussit. Kunegundis interim Capungi morbo tentata, simul atque votum cœnobij condendi rite nuncupavit, levari se sensit; cujus tam tempestivæ opis gratâ memoriâ impulsam credi fas est, vt hoc potissimùm loco, Henrico mortuo, viva se conderet, vbi mortis periculum evitârat. Inter hæc maturuit bellum; cujus primos impet⁹, magno malo suo, BOII exceperunt. Moravi signa Boleslai secuti cladis priore anno acceptæ vlciscendæ studio, silentio BOIIS circumfusi nec opinantes incautósque oppressere. Ea fama moras abscidit, Cæsarémq; convellere signa coëgit. Albim cum Saxonum copijs auxiliisque Bohemorum & Luititiorum transgresso Henricus Bo-

MOSELLANI FFR. IN GRATIAM RECEPTI.

KVNEG. MORBVS.

BELLVM POLONICVM.

BOII OPPRESSI.

IVS nuper ad Boleslaum missus cum responsis dubijs, quæ neq; legati Polonici satis explicabant, supervenit. Cæsar nihilo quàm antea certior, relegere viam, &, omissis ambagibus, pacem aut bellum referre jussit, perfunctúmque hac altera cura Kunegundi sorori remisit. Dum irritis legationib. tempus extrahitur, Misteco Boleslai Filius, irruptione in Boiohemum cum decem legionib. factâ, biduo provinciam turbinis more pervasit opportunã injuriæ, quòd Vdalricus dux flore exercitûs inde abducto tenuibus eam præsidijs firmasset; prædæ captivorúmque corporum magna vis abacta; id ne Poloni impune ferrent, à Cæsarianis mutuum factum, & Glogoviam vsque vagis omnia populationibus fœdata. Eam vrbem V. Idus Aug. Cæsar attigit, provisis jã antea insidijs, in quas Boleslaus nostros prolectabat. Duodecim deinde Legiones de exercitu deductas Nemitzium Silesiæ vrbem præmisit, ad præsidium intercipiendum, quod civibus adventare ferebatur. id consilium nox & effusi imbres frustrati sunt; pauculis effugatis, maxima pars vrbe re-

BOHEMIA VASTATA.

cepta eſt. Eam Cæſar triduo pòſt coronâ cinxit inacceſſam redditur⁹, niſi perfidia auxilijs oſtium aperuiſſet. Converſa ergo ad oppugnationem curâ, omnis generis machinas comportavit mœnibúſque admovit; quarum vim incredibilis hoſtium induſtria, diſpoſitis quaquaverſum tormentis, excitatis raptim propugnaculis, vel eluſit, vel retudit. Lutitijs ſeparatim tendentibus & à Chriſto adhuc alienis pro mœnib. Crux objecta eſt, ſive vt ſcutum impiorum telis impenetrabile, ſive catapultæ vicem obitura, & formidinem pavorémque in eoſdem ejaculatura. Menſem propè in obſidione triverat Henricus continuo opere totam vrbem complexus & victoriæ jam certus, cùm injectus ab oppidanis ignis in cinerem omnia ludibriúmq; vertit. Ita prioribus accifis, vltimæ ſpes tentatæ admotæque ſcalæ vrbi. Primi in murum evadere Bohemi conati ſunt; deinde Lutitij idem auſi, lævo ſucceſſu; vtriq; virtute civium dejecti cœpto deſiſtere Cæſarem coëgere tanto jam minus obluctantem, quòd graſſante per caſtra lue, exercitus numero animíſque

NEMITZII OPPVGNATIO IRRITA.

imminutus non modò de victoria, sed etiã vita desperare cœperat, vt in Boiohæmo amica provincia necessariò fuerit recreandus. Boiohæmum Moravi, dum Cæsar Nemitzio adsidet, clanculum ingressi, capta primo assultu vrbe, ingenti præda locupletati fuerant: Sed regressos Henricus Austrius è vestigio assecutus magna clade multavit. Mille cæsis, reliquis fugatis, excusśáq; de manibus præda, captivos omnes in libertatẽ asseruit. Nihilomagis fortuna Polonis in Belgorniensi obsidione favit; vis & ars omnis civium constantiæ patientiǽque succubuere. Ita variantibus vtrinque casibus, inter haud dissimiles vices ęquorũ iniquorúmque, tantundem ferè cladis datum acceptúmque est. Polonus quia victus non est, pro victore se tulit, discessúque Cæsaris omnia sibi prona ratus, turmam peditum sexcentorum aut amplius in Boiohæmum immisit, quib. pro præda malum datum est; pauculi elapsi infelicis audaciæ tristes successus domum renunciarunt.

Hunc finem habuit expeditio præsentis anni à scriptore vitę D. Meinvverci su-

ci supra verum inflata, dum Poloniæ, Moraviæ, Bohemiǽque servitutem impositam affirmat, manifestus vanitatis; cùm neq; Bohemia jugum meruerit integrâ in Cæsarem fide; nec duæ reliquæ, vti vidimus, ad illud accipiendum edomitæ fuerint. Ditmarus sanè, quem fallere nihil potuit, triumphos non loquitur lacrymanti propior; Cæsarjanis victoriæ laudem ita indulget, vt tamē propiùs periculo fuisse victores quàm victos palàm fateatur; denique nec Boleslai legatio de permutandis captivis integrandáque gratiâ, voluntate aut necessitate parendi, sed imminente à Russis novi metu belli extorta est, cùm duos pro vno habere hostes nollet, simúlque à tergo & fronte peti. Nihilominus hoc præcipuè anno Cæsaris in Merseburgensem Ecclesiam liberalitas enituit, aureâ arâ ibidem dicatâ & possessionibus pluribus adjectis, tam largè quidem, vt tunc demum pristinum recepisse decus & squalorem abstersisse visa sit; cui beneficentiæ vt vicem rependeret simplex posteritas, eund. annum prodigijs victoriísque implevit, quæ vni omnium Dit-

HENR. MERSEBVRG. EPISCOPATVM DITAT.

maro ejus ſedis tum Epiſcopo premendæ non fuiſſent, niſi vera quàm blanda ſcribere maluiſſet.

HENRICO MOSELLANO BOIARIÆ REDDITA.

Decembri menſe Cæſar Babenbergæ Henricum Kunegundæ fratrem perduellionis ergo BOIARIÆ Principatu dudum dejectum in integrum reſtituit. Ductum pariter Henrici Marchionis Orientalium Francorum funus eſt, quem Hezelonem (quod idem eſt) cum Adelboldo nobis appellare viſum, ne tot inter ſe cognomines identidem miſcendo perplexabilem ſcriptionē redderemus: quæ ipſa res, vti ſuprà monuimus, fœdiſſimo errori anſam præbuit, vt Henrico Marchioni Auſtrio alieniſſima ab ejus fide perſona inijceretur, quódque hic Hezelo nomen meruerat, ipſe ferret ab indocta ſcriptorum turba impoſitum, quib. novitia commenta monumentis vetuſtatis anteferre pudor non eſt. Porrò Hezeloni decimoquarto Kal. Octob, extincto tres Epiſcopi parentarunt; tumulum Schvveinfurti pro foribus Ædis ſacræ accepit: ita moriens juſſerat, vltimi imperij modeſtiâ veterem ambitionem expiaturus, vel certè damnaturus. Cæſar

HEZELONIS SEDITIOSI MORS.

fato

fato acerrimi quōdam hostis adeò non insultavit, vt ingemuerit etiam, irâ omni pridem, vivente adhuc illo, sepultâ.

A. MXVIII. *Ditm.* Annum octavum decimum Henricus Francofurti à repetito cum Boleslao fœdere auspicatus est, etsi palàm esset, nulla illius pacta ætatem tulisse, & pacis semina hyeme jacta, per æstatem sæpius in bellum & ferream messem maturuisse; quæ levitas cùm vindicanda potiùs quàm alenda videretur, passus est tamen Henricus Budissinæ de pace agi pulchrius ratus parcendo imperium quàm vincendo augere. III. Kal. Febr. fœdus ictum est, conditionibus tempori magis quàm æquitati attemperatis. Profuit tamen Henrico summum jus clementiâ mollijsse. Paulò pòst ad eum Martio mense Moguntiæ agentem Rodulphus Burgundio regni sui insignia vltro amandavit, eidémque privignos & Conjugem cum regni optimatibus sacramentum dicere jussit; credíque potuit hac tam insigni honorum accessione opúmque incremento moderationem Henrici lenitatémque compensatam. Subsecuta inde Neomagensia Co-

NOVVM CVM BOLESLAO FOEDVS.

INSIGNIA BVRGVNDIÆ AD HENRICVM DELATA.

mitia sunt, magnâ vtriusque ordinis frequentiâ celebrata. Inter insignes sanctitate viros etiam Poppo Stabulensis Abbas præsens adfuit, cui cum Henrico tam familiaris vsus, vt libertatis in eo admonendo jus sibi nemo fidentiùs vsurparet. Fortè evenerat, vt solennibus ludis quidam melle largiter toto corpore delibutus, vrsis, quibus haud alia gratior est illecebra, objectus gratas populo ferias faceret. Assederat etiam Cæsar in orchestra, pasci & ipse melleo ferarum prandio, neque minus avidè viro expositito oculis inhærere, quàm vrsi linguis, visus. Poppo nimis serium ludum neque pio Cæsare sed Neronibus dignum abominatus negavit tam prodigè homini homine abutendũ esse, propinandúmq; nobilissimum Dei opus bestijs, quæ, cùm mel delinxerint, fortasse sanguinem sint bibituræ: Totam hanc Circensium ludorum immanitatem & bestiariorum pugnas à Christiana mansuetudine abhorrere; & veterem Romam, cùm oculos hac crudelitate imbueret, non pietatem modo, sed etiam humanitatem exuisse. Descendit

S. POPPO HENRICVM à SPECTACVLO AVOCAT.

altè

altè in Henrici pectus Popponis oratio, damnatáque infamis histrioniæ lasciviâ, mores suos resumpsit. Agitatam Neomagensi conventu Obotritorum & Warorum causam comperio; qui, vt exleges viverent, Deo Cæsaríque datam fidem, duplicato scelere, exuerunt. Bernardi Ducis crudelibus imperijs & inexplebili avaritia irritatos jugum excussisse, Mistivoio & Mizzudrago antesignanis, Helmoldus, quique illum secuti sunt, tradidere, miserabilis incendij, quo humana divináque jura apud illas gentes conflagrarunt, initia ab hac scintilla repetentes. Mistivoio Bernardus Dux, ostentato neptis suæ conjugio, spem affinitatis fecerat, si fortibus factis ea se non indignum demonstrasset. Ex quo tempore Slavus honestissimæ cōditioni imminens, per ardua omnia approbare Saxoni indolem; ituro in Italiam, cum splendidissimo mille popularium equitatu latus cingere; cum semper locum, in quo plurimum laboris esset & metus, sibi deposcere; periculis cupidè caput objectare, nihílque subterfugere, vnde proximum iter ad gloriam pateret, cui

OBOTRITORVM DEFECTIO. Dit.

Helm. l. 1. Chr. slav. c. 16. & seq. Kranz. in VVandal. & Metrop. &c.

per honestissima vulnera & suum ipse sanguinem prodigè, & millenariam cohortem penè omnem impendit. Sed cùm redux sponsam tam carò tantísque jacturis emptam reposceret, Theodoricus, cui divisum in Slavos cum Bernardo imperium fuit, negavit tam nobilem sanguinem sibíq; cognatum caninis nuptijs esse fœdandum. Slavus infandæ vocis acerbitate sauciatus repulsæ ignominiam cum vniversæ gentis probro cõjunctam per totam provinciam concionabundus distulit, faciléque impetravit, ne Slavi inulti paterentur hominum se numero eijci, sed ostenderent contumeliæ autoribus canes ab ijs excitatos esse, quorum neque latratum neq; morsum sint laturi. Opportunè eodem tempore Bernardus hujus conjurationis fax Saxoniæ Ecclesijs, & vt quisque vel fidissimus Cæsari vel avaritiæ ej⁹ infensus fuerat, jam diu fatigatis, odia in Imperatorem & arma verterat; quæ simul atque moveri Slavi senserunt, coorti etiã ipsi, ejurato Christo, omnia Religionis monumenta flamma ferróque exciderunt, sacrísque addictos homines miserrimè excar-

Dicti acerbitate bellum conflatum.

excarnificatos neci dederunt. Hæc quidem Helmoldi narratio est, ex Adamo Bremẽse, quem compilavit, ita concinnata, vt ab auctore suo inquinatam multò corruptiorem reddiderit; dum quæ rebus temporibúsq; discretissima sunt, temerè colligata proijcit longè quam Adamus implicatior, qui dimidiato seculo temporibus his posterior historiam hanc ferè omnem non ex tabularum fide, sed Suenonis Regis Daniæ ore exceptam publicavit, vt mirum non sit in annorum ratione subinde alucinatum, quos aliunde ordinare posterorum diligentiæ fuerat. Nam quæ de Mistivoij Obotritorum Ducis infami contra pietatem bello, vt hoc demum tempore gesta, referũtur, certum ex Ditmaro est, ad Othonis secundi Imperium pertinere; cui nos vt oculato testi plus fidei habemus, quàm auritis decem, ejúsq; narrationem priore libro adduximus, ad alteram fabulam convellendam, quæ Slavis etiam Merseburgensis Ecclesiæ vastitatem impingit. At verò recentior hæc clades Luitirijs auctoribus propagata, neminem magis quàm Mistizlaum (quẽ nos

CENSVRA HELMOLDI & ADAM BREMENSIS.

VERA DE OBOTRITORVM REBELLIONE NARRATIO. *Ditm. l. 7.*

Quo modo qui Ditmaro Misico dicitur, ab alijs Miecislaus vocatur.

nos ipsum Mistivoium suspicamur) afflixit, qui quòd vltimæ in Polonos expeditioni non interfuisset, pro desertore habitus barbaræ gentis in se iram concitavit. primos impetus cùm Zuarinæ vrbis munimentis ægrè aliquandiu sustinuisset, fuga tandem elapsus patrijs bonis excidit. Tum denique aris subjectæ faces, explosáque pietate, excitata ab inferis superstitio, Waris & Obotritis strenuè adnitentibus, atque ad libertatem insana cupidine expetitam, hanc, per sacra proculcata & contemptum Numinis, flamma ferróque viam aperientibus. Ea ergo rebellio an ad Bernardum aliquà pertineat, è Ditmaro erui non potest: vti ne id quidem, an Bernardus Hermanni Bilingij F. quem Bennonem nominant, decimo Henrici anno obierit; id enim si verum est, mirari subit, Ditmaro ignobiliora etiam funera deflenti id præter morem excidisse; cùm indictum vel eo nomine præterire non posset, aut deberet certè, quòd Hermanni Filium nunquam alio quàm Bernardi nomine indigetavit, qui si filio cognomini eo, quo fertur, anno imperium reliquit, illusit sanè po-

nè posteritati, si Patris Filijque tam res quàm nomina confudit. Sed vtcunque se res habeat, id tantùm ex Ditmaro discas, cum Gerone Magdeburgio Bernardo simultates intercessisse; vt etiam in Vnvvanum Bremēsem incurrisse, quod Adamus tradidit, credi non difficillimè possit, injurijs tam manifestis, vt eas Cęsar ad se putaverit pertinere; cujus viribus cùm anno sequēti opprimendus esset, Meinvvercus Paderbornius Bernardo autor fuit, vt Cęsaris clementiā mallet experiri; adductúmq; ad arcem Schalckenburgiam eidem reconciliavit. Sed nos hujus anni reliqua exequamur. Cæsar rebus Germaniæ compositis, in Burgundiam novorum clientū animos tentaturus, collecto Basileæ exercitu, proficiscitur; sed res docuit facta dictis promissísque non suppetere, neque populum in regis esse potestate. rari judicium illius secuti regium nomen Cæsari confirmarunt; plures imperia Francica, aut indigenas regulos, aut chariorem his omnibus libertatem respicere visi, vt non ea modo expeditio, sed quæ postea etiam impendio quàm fructu majore susceptæ

Vita S. Meinvverci. Adam l.2.

RES BVRGVNDICÆ.

ceptæ

Ditm. in fine Vvipo de V. Conr. Salici.

ceptæ ſunt, ſtabiliendo Germanis Cæſaribus juri, finiendá'q; pertinaci liti non ſuffecerint.

V.

HENRICVS MOSELL. IN PRINCIPATVM REDVCTVS.

Kunegunda interim in Capungenſem Parthenonem, quem ex voto erectum diximus, coloniam velatarum Virginum deduxit, indéque in BOICAM digreſſa Fratrem ſuum Henricum Reipub. gubernaculis poſtliminio admovit. Iuvat reſtituti Patriæ Principis initia nobilitare illuſtri ad memoriam facto, quod Arnoltus Comes nulla alia temporis nota inſignivit, quàm Henrico Duce ejúſq; ſorore Kunegunda jus dicentibus Ratisbonæ accidiſſe, vt huc reijci ſine injuria poſſit. id eſt ejuſmodi; Iuditha Henrici Cæſaris Brunoníſque Epiſcopi avia amplum prędium Eitcihoſium ad Divi Emmerammi aram dicaverat, ea conditione adjecta, vt ſimulac Divo illi ejúſque Myſtis ereptum eſſet, ad ſuos hęredes rediret. Ei Bruno Epiſcopus oculum adjecerat, contendebátque jure ad ſe pertinere, eo maximè argumento, quòd Gebhardo Epiſcopo Regınoburgenſi in D. Emmerammi bona involante, ex voto aviæ innexa violata illius cupiditate

l. 2. de S. Emmerammo.

BRVNONIS HENRICI FR. AVARITIA DIVINITVS CASTIGATA.

In edit. Caniſ. Enterhof vocatur.

vide-

videretur. Disceptata primùm Oetingę lis est, emptis auro Iudicum sententijs, Otpoldi pręsertim, qui vnus omnium ea tempestate in foro regnabat peritissim' dicendi artifex & in quantumvis mala causa triumphaturus; qui tamen tum maximè, cùm in omnes se partes verteret, velut excors & infans nullum non modò colorem, sed ne fucum quidem reperit, quem allineret improbę fallacię, Divo Emmerammo venalem rabulæ eloquentiam obstupefaciente. Bruno eo judicio labefactatus perfricuit tamen frontem & tribunalis fidem accusare maluit quàm suam; abruptásq; spes Ratisbonam ad Conventum Palatinum, vt Arnolphus loquitur, quē Henricus Dux & Kunegunda coegerant, traxit, doctioribus technis has jam alteras D. Emmerammi opibus insidias structurus tam meditatè compositas, vt victoriam illi omnium subselliorum præjudicia pollicerentur. Vindices arbitrósque causæ postulanti, quot qualésque vellet, dati, circumforaneâ omnes facundiâ pravóq; ingenio facti ad illam litem; cum his vbi caput consiliáque contulit, instructos arma-

D. EMMERAM. SVAS OPES PRODIGIOSE TVETVR.

Ditm. in fine Vripo de V. Conr. Salici.

ceptæ sunt, ſtabiliendo Germanis Cæſaribus juri, finiendæq; pertinaci liti non ſuffecerint.

V.

HENRICVS MOSELL. IN PRINCIPATVM REDVCTVS.

Kunegunda interim in Capungenſem Parthenonem, quem ex voto erectum diximus, coloniam velatarum Virginum deduxit, indéque in BOICAM digreſſa Fratrem ſuum Henricum Reipub. gubernaculis poſtliminio admovit. Iuvat reſtituti Patriæ Principis initia nobilitare illuſtri ad memoriam facto, quod ArnolfusComes nulla alia temporis nota inſignivit, quàm Henrico Duce ejúſq; ſorore Kunegunda jus dicentibus Ratisbonæ accidiſſe, vt huc reijci ſine injuria poſſit. id eſt ejuſmodi; Iuditha Henrici Cæſaris Brunoníſque Epiſcopi avia amplum prędium Eitei hoſium ad Divi Emmerammi aram dicaverat, ea conditione adjecta, vt ſimulac Divo illi ejúſque Myſtis ereptum eſſet, ad ſuos hęredes rediret. Ei Bruno Epiſcopus oculum adjecerat, contendebátque jure ad ſe pertinere, eo maximè argumento, quòd Gebhardo Epiſcopo Reginoburgenſi in D. Emmerammi bona involante, lex voto aviæ innexa violata illius cupiditate vide-

l. 2. de S. Emmerammo.

BRVNONIS HENRICI FR. AVARITIA DIVINITVS CASTIGATA.

In edit. Caniſ. Enterhof vocatur.

videretur. Disceptata primùm Oetingę lis est, emptis auro Iudicum sententijs, Otpoldi pręsertim, qui vnus omnium ea tempestate in foro regnabat peritissim⁹ dicendi artifex & in quantumvis mala causa triumphaturus; qui tamen tum maximè, cùm in omnes se partes verteret, velut excors & infans nullum non modò colorem, sed ne fucum quidem reperit, quem allineret improbę fallacię, Divo Emmerammo venalem rabulæ eloquentiam obstupefaciente. Bruno eo judicio labefactatus perfricuit tamen frontem & tribunalis fidem accusare maluit quàm suam; abruptásq; spes Ratisbonam ad Conventum Palatinum, vt Arnolphus loquitur, quē Henricus Dux & Kunegunda coegerant, traxit, doctioribus technis has jam alteras D. Emmerammi opibus insidias structurus tam meditatè compositas, vt victoriam illi omnium subselliorum præjudicia pollicerentur. Vindices arbitrósque causæ postulanti, quot qualésque vellet, dati, circumforaneâ omnes facundiâ pravóq; ingenio facti ad illam litem; cum his vbi caput consiliáque contulit, instructos arma-

D. EMMERAM. SVAS OPES PRODIGIOSE TVETVR.

armatósq; dolis in curiam remisit, quos promendi tempus cùm esset, non memoria modò eos, sed etiam mens destituit: neque dubium cuiquam fuit, divinitus refrigeratos tam fœdè excidisse. Prædium ergo Emmerammo assertum cum plausu, qui brevi cũ inusitati miraculi fama per totam vrbem diffusus est. Eberhardus præsertim Comes mutis causidicis insultavit, quòd, cùm præter malam linguam nihil haberent, eam quoq; perdidissent. Nihilo minore Bruno infamia conflagravit; quæ cùm illi somnum eriperet, summo manè D. Emmerammi ædem ingressus, nudis pedibus aras obiens donis omnes cumulavit, patronúmq; salutans iniquam litem ejuravit. Eod. propè tempore, quo Henricus Dux BOICAM recepit, Henricus alter Marchio Austriæ *fortis Armatus*, vti à Ditmaro appellatur, VIII. Kal. Iunij fatis concessit, fidelissimus in paucis Cæsari, etsi, quod sæpe questus sum, ea illi laus, scriptorum iniquitate, erepta est. Filius illi Albertus in eadem dignitate successit. Cæsar è Burgundia reversus Comitijs in Suevia actis secundo Rheno dela-

MORS HENRICI AVSTRII.

Sigeb.

delapſus Godefridum Lotharingiæ Ducem, quem Theoderico oppoſuerat, è Friſiorum carcere, promiſſa ijs facti impunitate, eduxit, eidémque haud multò pòſt fatis functo Gothelonem fratrem ſubrogavit. Deficit pariter cum hoc anno Ditmari Merſeburgenſis Epiſcopi Chronicon vnicus hujus ævi theſaurus; quem vel Henrici Cæſaris causâ, cujus ſedecim actos in regno annos ſummâ fide complectitur, jam olim par fuerat erui è tenebris, ne tam diu optimi fortiſſimíque Principis res vnà ſepultæ delitęſcerent; nam quota earum pars in Commentarijs de Vita illius editis apparet? qui ſterilitate ſua & rerum juxtà temporúmque ignoratione, feramus ſi non illuſtrant, niſi obſcurant etiam pulcherrimum hoc BOICÆ ſidus; quod vtinam ſpectare Ditmaro vſque ad occaſum, vltimóſque ejus radios colligere licuiſſet, nihil eſſet, cur Adelboldum, vel quemcunque alium ſcriptorem deſideraremus.

Annus Decimus Nonus non Henrico modò ſed toti Germaniæ lætiſſimus illuxit, quo communem orbis Chriſtiani A. MXIX. BENEDICTVS VIII. GERMANIAM VISIT.

ni Parentem Benedictum VIII. Pontif. aspicere venerariq; præsentem concessum est. Cæsar enim in Babenbergensem Episcopatum divina humanáq; ornamenta omnia congerendi avidus, id tanquam eximium votis omnib. exambijt, vt eo, cujus summum in terris imperium esset, hospite & auspice sacrorũ gloriari apud posteros posset. Pontifex Cæsari morem gessit, Alpibúsque transcẽsis, Martio mense, triduo ante Paschales Ferias, Babenbergam non sine triumphi specie ingressus est, sacrum carmen alternantibus, qui in quaternos per intervalla distincti choros præsentem in eo Deũ venerati sunt. Sacrificanti duodecim Episcopi, D. Stephani Ædem dedicanti septuaginta duo operam navarunt, quos inter facilè præcipui fuere Patriarcha Aquileiensis & Archiepiscopus Ravennas Cæsaris frater. Episcopatum Henricus Romano Pontifici obnoxium & vectigalem esse, & in annos singulos equum generosum phaleratũ colore albo cum centenis argenti Marcis eidem pendere jussit. Id argentum mitti desitum est, cum Henricus Conradi F. Bene-

Errat auctor Vitæ S. Henrici, qui Pontif. adventum in Aprilem rejicit, Sigeb. vt apparet secutus, qui proximo anno, quo Pascha in April. incidit Pontif Bambergam ingressum scripsit.

Beneventanum Episcopium pro Bambergensi Leoni IX. attribuisset.

Invitatus per eadem tempora Cæsar in Italiam est ad Apuliam & Calabriā Græcorum tyrannide liberandā. auctoritati Pontificis, quæ sola Henricum impulsura fuerat, haud leve momentum Melus quidam Apuliæ Procerum fortissimus idémq; fidei erga Cæsarem incorruptæ addidit, qui tertiùm feliciter cum Græcis acie congressus, quarto prælio fusus fugatúsq; in Germaniam ad opem Cæsaris implorandam venit: Sed tum quidem, rebus domesticis ejus præsentia egentibus, Italia necessariò omittenda fuit. Erant in armis eo tempore Conradi duo patrueles, quorum alter post Hēricum imperavit, Adalberoni Duci Carantanorum infensi, incertum qua causa, nisi quòd Conradus minor, parente cognomine mortuo, judicio Cæsaris eo ducatu exclusus spei suæ interversorem iniquis jam diu aspexisse oculis credi, etiam tacentib. literis, potest; Iuvenis ipse ferox &patrueli olim litem etiam de Imperio moturus. Castra signáq; non procul Vlma collata sunt. Adalbero fortissimis

Leo Ost. Chron. Cass. l. 2. c. 38.

ADALBERO CARANTANUS BELLO FUGATUS.

Herman. Cont. Guillman. Habsp. l. 4.

ſimis Ducibus impar victoriam ijs fugiens conceſſit. Parte alia Burgundionibus, ſpretâ Rudolphi Regis ignaviâ, tumultuantibus Henricus Wernherum Argentinenſem Epiſcopum objecit; qui cum turbatoribus prælio propè Genevam congreſſus pacati regni regíſq; ſervati laudem tulit: Henricus Othonem Comitem innuptis nuptijs Irmengardi devinctum, & ſæpe jam ab illa nequidquam divertere juſſum bello perſequi ſtatuit, non minus pudicitiæ quàm æquitatis tutelã pertinere ad Cæſares ratus. Arcem ergo Hamerſtainiam quam Otho latrociniorum juxta amorúmque ſuorum latibulum legerat, obſidet, Moguntino potiſſimùm Antiſtiti gratificatus, qui, ob inceſtum thori commerciũ infamia ignominiáque notatum, Othonem in ſe ſuáq; omnia concitaverat. Ea obſidione Comiti deditio extorta eſt adverſus vim egregiè inſtructo, ſi diſſimulari ferríque fames diutius potuiſſet. Invitaverat Heribertum Colonienſem Epiſcopum Cæſar in caſtra eo ipſo tempore cum febri conflictantem; quæ illi detrectandi officij cauſa fuit. Id Cæſar ſupra

BVRGVNDIA PACATA.

Dit. l. vlt. Vitæ SS. Heriberti & Meinvverci.

ARX HAMERSTAINIA HENR. DEDITA.

CAVSA SIMVLTATIS INTER HEN: & HERIBERTVM COL.

præ æquum bonúmq; impotenter tulit opinatus morbum obtentui sumptum; fastu nō febri flagrantem imperata contemnere. simul malè ductæ cicatrices veterum offensarum in antiquum vulnus eruperunt, strenuè vnguem in vlcere infigentibus invidis, quorum flabris Henricus (hîc quidem moris sui nominísque immemor) Coloniam vsque agi impellíq; se passus est, quasi de morbo coràm cogniturus. Sed imminentem immerito capiti procellam prima nox discussit; neque passus est Deus sanctissimos viros aliter quàm in amplexum concurrere. Sopitum Cæsarem cælestis Orator augusta oris specie monuit, aut Hostem Deū aut Amicum Heribertum capiendum. hunc enim à Deo in oculis ferri, neque nisi per ejus pupillam peti posse: caveret proinde ejus asyli sanctitatem violare, quo nemo nisi innocens absconditur; duri oris esse debere, qui maledicto eum ausit lacessere, quem totū cælum amet. Henricus certus id somni ludibrium nō esse, inconsultas iras ab Heriberto in se vertit, susceptámque cum Superis litem detestatus incredibili est mœrore affe-

HENRICVS DIVINITVS CASTIGATVR.

ctus, quòd tam diu ea in re à Deo dissen-
HENRICUS HERIBERTO SATISFACIT.
sisset, atque vt primùm alloquendi Heriberti copia facta est, in Procerum conspectu, eorúmque maximè, quorū fraude ea simultas orta fuerat, amplexus hominem lacrymísque inundans, Hoc primum, inquit, Heriberte, neque Rex, neque Cæsar, sed qualis accusante cælo & Deo judice sum, impius à te peto tibíq; obnoxius, ne, quod scelus meum tuáq; innocentia tibi in me imperium dederunt, exercere rigidissimo, quo vti potes, jure velis; nam si exempla in me, quæ merui, edes, nuquam tibi vili hac anima satisfecero. Odisse te potui, infamavi virtutes tuas, & malignis sermonib. tua sancta violavi, vnâ eadémque operâ in te & Divos omnes injurius, cùm charum illis probatúmque damnare ausus sum, & furore meo Dei tribunal evertere, amplius etiam sæviturus, nisi cæli patientiam prius rupissem, quàm tuam. Illud, silente te, mihi manum injicit & huc obtorto collo rapit causam apud te sine Patrono dicturum. quanquam quid est, quo me tuear, aut purgem tibi? Nisi fortasse faciles criminantibus aures, conje-

cturæ

ćturæ ſtolidæ, præcipites ſuſpiciones, fallaciſſima odiorum irritamenta patrocinari temeritati meæ poſſunt; cùm hoc ipſum iniquiſſimum fuerit, citò me alijs de te, & mihi etiam irato credidiſſe. Habes ergo confitentem reum; cui ſi potes ignoſcere, nego illuſtriora vnquam documenta Deo dediſſe te innocentiæ, & nunc demum meritum, quem cælum contra Reges tueatur; adverſum me quidem illa advocatione tibi deinceps opus non eſt, contra quam ſi nitar, non moneri inde dignus ſum, ſed fulminari. Plura parantem Heribertus inhibuit, & inauditi exempli modeſtiam lacrymis (vocem enim admiratio oppreſſerat) commendavit. Henrici tamen animo ne ſic quidem ſatisfaćtum eſt. Proxima noćte præſulem inter preces pervigilantem iterum aggreſſus, detraćtam ſibi purpuram, quaſi Cæſarem vnà exuiſſet, illius pedibus ſubſtravit, eoſdémque etiam ipſe amplexus non ante dimiſit, quàm Heribertus velut pro imperio habere bonum animum juſſit, tali ſupplici neq; mortalium neque immortalium quemquam poſſe iraſci; & ſe quidem poſt tam

HENRICI MODESTIA:

nobilem Cæsaris de se ipso triumphum, nihil humana morari, cúmque videre in terris paria non possit, abitionem scilicet parare, non sine tacito mentis præsagio, mutuum illum congressum vltimū fore: ea vaticinatio Henrici mœrorem & talis viri desiderium vnicè auxit: parentavítque XVII. Apr. defuncto munificentiâ regiâ, præsertim cùm ex mirifico ostento quod Eberhardo Bambergensi Episcopo objectum est, intellexisset, illa auctaria pietatis & posthuma piacula ab Heriberto exposci.

Idem Episcopus Ruperto Tuitiensi Eppo dicitur.

WOLBODONIS EPISC: LEODIENSIS VIRTVTES.

Annalibus Flandricis traditum reperio, Wolbodonem Leodiensium Episcopum virum antiquis moribus magnáque virtutis famâ, inter Henricum Heribertúmque pacificatoris sibi munus vsurpasse; ejus tamen apud Rupertum Tuitiensem, cujus hæc omnis narratio est, non extat memoria. Charum illum cæteroqui Henrico sua in egentes pietas fecit, quos nemo illo prolixiùs fovit. Offenderat olim apud Henricum, reditúmque sibi ad ejus gratiā munire auro cogitabat; quod cùm collegisset, dubitare cœpit, satisne consentaneè suis moribus acturus esset, si ha-

Ferreol. ex Lud. Bresini Chron. ms.

ARS GRATIÆ HVMANÆ AVCVPANDÆ.

ſi hamo aureo in humani ſpem favoris piſcaretur, cujus jactura innocenti minor ſit impendio: cælum certè placari multo viliùs & Numen propitiari ſine Numo poſſe. Chriſtum pauperem paſcere, non fiſcum ſaginare, majorémque centonum, quàm purpuræ rationem habere, id demum eſſe Pontificium. Quæ ratio virum impulit, vt neglecto gratiæ, qua apud Cæſarem exciderat, aucupio, pecuniam illam omnem in egentes prodigeret; factum adeò non improbante Henrico, vt æſtimata ex eo Wolbodonis virtute, tanto flagrantiore eum benevolentia complexus ſit, quanto generoſiùs eam viſus eſt contempſiſſe. ídque argumentum habuiſſe exiſtimo eos, qui Wolbodonem Henrico à ſacris largitionibus fuiſſe ſtipéſque regias diſpenſaſſe affirmarunt.

Paſcha Henricus Babenbergæ, ibidémq; Procerum Conventus egit, quibus etiam Engelbertus Friſingenſis interfuit, is qui hoc ipſo anno Monaſticam diſciplinam in Ædem D. Stephani Weihenſtephanium dictam introduxit, Myſtis loci ejus incolis ad D. Viti translatis. MONAST. WEIHENSTEPHANIVM.

Favit pio operi Henricus, eíque ſtabiliendo partem Inſulæ, quã in Auſtria Danubius facit, addixit. Non privanda æqualis operis laude Kunegunda ex Öningenſium Comitum domo, quæ cùm Fridericum Dieſſenſem Dynaſtam, cui nupta fuerat, tumulo intuliſſet, ad templũ itidem Protomartyris Stephani honori condendum, animum adjecit, non procul ab eo loco, quo ante annos centum ſeptuaginta Rathardum ejuſdem cum marito ſuo gentis ſanguiniſque D. Georgio ædem, pro D. Auguſtini ſodalib., molitum meminerat. Quæ ſive Arnulphi Mali, quod vulgo perſuaſum video, injurijs, ſive qua alia calamitate labefactata pridem vitium fecerat, & ante annos ſeptem, Adelhaimo & Vdalrico fratribus germanis cõnitentibus, è ruderibus emerſerat: quo tempore etiam Rathardi oſſa humiliùs quàm pro viri meritis condita, non ſine divinitatis impulſu, detecta famam ſibi prodigijs & ope medica, quam ſupplices pio voto ſuſpirióque parabilem ibi inveniebant, conciliarunt. Vnde etiam Kunegundæ pietatis æmulandæ admotas faces, proclive cre-

DISSENSE COENOBIUM REFLORESCIT.

B. RATHARDVS.

creditu eſt. Certè cùm ad Rathardi exemplum vixiſſet, noluit eo ſuperbiùs tumulari, coctili laterculo, quem vrnæ imponeret, nullum Epigramma præter familiare convitium, quo ſuos ipſa titulos laudéſque obruebat, inſcribi paſſa, haud dubiè à Modeſtia dictatū, quæ ſibi nunquam aliud præconium facit; id eſt ejuſmodi: KVNEGVND: PECCATRIX, HVIVS LOCI DOMINATRIX, ISTAM CONSTRVENS AVLAM II. NON. MART. additus eſt annus, quem exequimur, qui nos vetuit eam indictam præterire copioſius vtique laudandam, ſi ſua ſecum decora non ſepeliſſet, & aliud quam *Peccatricis* nomen audire ſuſtineret. KVNEGVNDÆ DIESS. MODERATIO.

Suſceptam hoc anno alteram ab Henrico expeditionem in Flandros quidam ſcriptores notarunt, ſive recrudeſcentibus in Balduinū irarū cauſis; ſive Arnulphi Gandav. F. Theodericus novas turbas dedit, quæ compeſcēdæ armis viderentur. nihil admodū profectum eſſe, & Epponem inſuper Cononémque Imperatoris Nepotes occubuiſſe, neque amplius quidquam famæ traditum. Porrò *Sigebert. Mayerus. Buzelinus.*

cùm

cùm in Capungensi Parthenone à Kunegunde recens erecto Erphonis & Cononis Comitum tumulos autor Vitæ D. Meinvverci monstret, nihil dubitem affirmare, ad eos pertinere, quos Gandavensi expeditione desideratos diximus.

Lamb. ms. Serarij minor. Vita S. Meinvverci. Alij in sequetem annum vtriusq; mortem referunt.

Fatalis idem annus Erchenbaldo Moguntino fuit, quem Aribo excepit Palatinus Rheni Bruschio, Aventino Diessæ & Andexij Comes, quæ familia inter Boicas facilè princeps fuit. Wipo, familiâ non nominatâ, nobilem Noricum appellavit. Heriberto Pilegrinus ab Henrico successor datus est, Aribonis, quem modò nominavi, Consanguineus à Wipone dictus, vt exigua verisimilitudine ej⁹ in adolescentia paupertas in D. Bernvvardi gestis traducatur. Ita enim illic fertur: Cùm stipis gratiâ aliquando fores Bernvvardi Episcopi pulsasset, Divũ instinctum à Deo familiaribus suis imperasse, vt Coloniensi Præsuli obviam irent; aspernantibúsque obsequium id mendicabulo impendere, affirmasse, sub illo vtcunque sordido palliolo Episcopum latére: Introductum in capite mensæ collocasse & lautissimè habuisse. Illudi sibi

DE PILEGRINI COL. ARCH. PAVPERTATE DVBIA NARRATIO.

di sibi nihilominus existimanti splendidam sequentium annorum seriem, quibus ad summa quæque vocaretur, explicavisse, precatum, vt si suo oraculo fides constitisset, quam primã pontificio paratu hostiam litaturus esset, eam vati suo salutarem esse vellet. Spopondisse Pilegrinum, & proximo anno cùm aram primùm attigisset, lugubre carmen, quale iustis funebribus plangitur, auspicatum omnes in stuporem dedisse; eo deinde articulo, quo mortuis bene precari, ex formula, sacrificantes solent, de morte Bernvvardi divinitus edoctũ votis euntem ad cælum prosecutum esse. Tempora postea inter se comparantibus miraculo fuit, ad momentum omnia congruere, vnáque Pilegrinum sacrificio & Bernvvardum vitâ defunctum. Bernvvardo in cathedra Hildesheimẽsi Gotthardus itidem BOIVS subrogatus est, haud sanè ex voto suo, sed ne Cæsaris quidem auctoritati cessurus, si defugere perinde divinam licuisset. Iam nuper gravari senium suum ingratis honoribus questus Hersfeldensem & Tegerensem præfecturam abdicarat, Arnoldo illic, hîc

GOTTHARDVS AD HILDESHAIM. MITRAM DIVINITVS VOCATVR.

Vita S. Godehardi c. 10. apud Brovverum.

Somnium Gotthardi.

hic Bertholdo inauguratis, vt in Altahensi secessu, cui reliquias ævi desponderat, totum se abderet, & indivisis curis. Sed quam ipse sibi missionem dedit, nec Deo nec Cæsari approbavit, revocatúsque est ad vetera stipendia, tam claris prodigijs, vt obniti sine religione nõ posset. Oleam secundum quietem ei objectam fama est, patula ramorum luxurie totum Cœnobij atrium inumbrantem; eam moliri eruereq; radicitus regij ministri diu nequidquam conati ferro tandem excisã connixi inter se in regis plãtaria transportarunt, radicibus jacturam felici pullulatione cum fœnore mox compensantib., vt vnius arboris vicem integrum olivetum esset seminarium, non vnius horti. Id ostentum cùm non dubitaret ad se pertinere Gotthardus, eò scilicet interpretat⁹ est, vt brevi se mortis falce recidendum, transplantandúmque in cæli Hortos speraret magis quàm metueret. Sed somnij ambages aliorsũ evolutæ sunt; Henrici imperio protractus ex vmbra & aulam sequi jussus, eodem tempore, quo de obitu Bernvvardi tristes nuncij allati sunt, cum eo Gruonæ fuit.

næ fuit. Cæsar animo studijsq; jam dudum in Gotthardum propensior, quamquam voluntate nihil facturum constabat, consilij tamen sui eum participat, altercatúsque cum viri modestia octiduum integrum æquius impetrare nihil potuit, quàm si omnino capessendus sibi Pontificatus esset, Ratisbonensem aut Batavensem sibi imponi passurum, onúsque illud cum præsenti vtilitate Altahæ suæ conjunctum mjnùs impatienter laturum. In eam sententiam obfirmatum, D. Andreæ pervigilio, Matrona verendi vultus & supra humanam majestatem, sui sexus grege stipata trahere ad Servatoris pendentis effigiem visa est; Cruci deinde advolui, veniámque exposcere jussum solenni carmine augur-alibus pompis vsitato ita permulsit, vt imminenti mitrę caput vltro subijceret ad honoris scilicet patientiam mansuefactus, Divi ergo Andreæ ferijs ab Aribone Moguntino vnctus Pontificia capessere munia cœpit. Sed hæc vigesimo secundo anno exeunte facta sunt, Henrico ab Italica expeditione jam reverso, quam nunc rectà explicare aggredimur,

SPECIES DEIPARÆ GOTTHARDO OBIECTA.

quan-

A. MXXI. *Vita S. Meinvverci. Lambert. Herman.*

quando nos prior annus non moratur: nulla ferè alia re ad memoriam insignis, quàm ingenti terræ motu, qui IV. Idus Maij BOICAM concussit.

VI.

A. MXXII. *Herman. &c.* EXPEDITIONIS ITALICÆ. OCCASIO.

Henricum Græcorum Apuliæ incubantium incremẽta ad arma perpulere, qui Procerum nonnullis auro expugnatis, alijs per insidias interemptis, si aliunde vis nulla ingrueret, plana omnia fore cupiditati suæ, qua totius Imperium Italiæ præceperant, haud vanè rebantur: quæ cùm ex Melo Duce secundæ pro patria legationi immortuo Henricus intellexisset, cum maximis copijs Alpes transcendit, ijsque divisis, vndecim millia Popponi Aquileiensi, vt vult Sigonius, sive, quæ Baronij sententia est, Trevirensi in Marsos ituro attribuit: Pilegrinum Coloniensem cum viginti millibus rectà Romam contendere jussit, ad Pandulphum Capuanum Principem cum Atenulpho Cassinensi Abbate intercipiendum, quos Græcorum partib. studere in confesso erat. Sed Cassinas dum fugam Constantinopolim intendit, fluctibus haustus est, æquitatem æterni judicij adorante Henrico, quòd im-

ITALIÆ PRODITORVM EXITVS.

improba consilia cum consultore suo in hunc modum sepelivisset. Pilegrinus ne Pandulphum simili ratione amitteret, quantis potuit itineribus, Capuam accessit eámq; obsidione cinxit, haud sanè invitis civibus, qui dudum Græca imperia perosi aureas Vrbis suæ claves, velut obsides proditæ libertatis, Constantinopolim missas gravissimè indignabantur, dolorique suo solatium ex calamitate invisi Principis quærebant, nulla religione obstrictos se illi rati, qui venalem patriam habuisset, & civium suorum capita fortunásq; superbo Græciæ arbitrio subjecisset. Ea cùm propè palàm ferrentur, Pandulphus, ne populari seditione occuparetur, vltimo consilio vsus dedere sese, quàm dedi, maluit, egressúsque ad Pilegrinum, dicendæ apud Imperatorem causæ potestatem impetravit. Sed omnibus in ejus damnationem incumbentibus, meditata oratio gravissimis testimonijs confosso nihil profuit; nemo in eum mitiorem capitali sententiam dixit, quam omnino subiturus fuerat, nisi Pilegrinus, qui fidem Pandulpho dederat, voluntariam

deditionem fraudi non fore, autoritate sua precibúsque, periclitantem sublevasset: ferro nihilominus oneratus & in Germaniam deportatus est. Trojam id temporis Imperator obsidebat eodem anno à Græcis insigni opere munitam, vnámq; omnium Cæsarianas vires sustinere ausam, auxiliorum maximè fiduciâ, quæ propediem ingentia Constantinopoli adfutura Græculi solita vanitate jactabant, cum tanto Henrici contemptu, vt dicere non dubitarent, brevi se illum ad Imperatoris sui Basilij pedes supplicem visuros. Alebatur etiam innata genti ferocia primis belli successibus, cùm machinas, vnde vrbem Henricus infestare cœperat, nocturna eruptione igni corrupissent. Verùm vbi easd. Henricus non instauravit modò, sed crudo instratas corio à flammarum injuria vindicavit, iámque in mensem tertium extracta obsidione, suppetijs nullis vsquā apparentibus, Græca fides eviluit, consulere sibi oppidani alia ratione institerunt. Hominem pietatis studio olim in sola loca digressum è latibulo suo extrahunt, vexillóque Crucis armatum cum pue-

MEMORABILIS TROIÆ APVLIÆ OBSIDIO. *Glaber. l. 3. c. 1.*

INFANTES TROIANORVM LEGATI.

puerorum agmine, quantum tota vrbe cogi potuit, in castra Cæsaris emittunt; orationem his legatis convenientem imperant, qua etiam Deum delectari flectíque orbis Christianus credit. Simul enim atque eò ventum est, vnde exaudiri balba ora poterant, plorabile Kyrieeleison inter singultus & lacrymas confusis vocibus totis castris exululatum est; is sonus cùm Cæsaris aures animúmque pulsasset, Quàm vellem, inquit, parentes istorũ aliquid ex hac indole hausissent; neque pertinacia sua vrbẽ everterent, quam infantiæ manibus nunc e-unt stabilitum; cujus ego si lacrymas videre non sustineo, quo vultu sanguinem feram? Testor amicum Innocentiæ Numen, quidquid hujus ætatis perierit, parentum scelere periturum; ijs mortem suam imputent, quibus vitam debent. Ego in hæc lilia ferrum non strinxi. Sed nimirum Troiæ virtus nulla potest maturescere, eadémque qua sata est manu exscinditur. Quæ cùm etiam ipse lacrymans dixisset, submoveri miserabiles Legatos jussit, quorum orationem parentum insania corrupisset. Troiani aut

HENRICI MITE INGENIUM.

hoc aut alio nullo ariete expugnari Cæsaris iram poſſe certi, ſequenti mox die, primo diluculo, eandem pompam inſtaurant; ſonat idem totis caſtris claſſicum; quo tandem Imperator è tentorio protractus victúſque humanitatis affectu, cùm illam Chriſti vocē repetijſſet, *Miſereor ſuper turbam*, nimis quàm potentes Orphêos, qui duobus verbis ſuam iram excantaſſent, redire in vrbem juſſit traderéque artem parentibus ſuis expugnandi Cæſarem. His moribus infantibúſque res Trojana tum ſtetit, quam viri peſſundederant. Civibus durius nihil imperatum, quàm vt partem muri, quæ machinis Cæſarianis adverſa ſteterat, ipſi deijcerent: quod cùm ſtrenuè obedientérque feciſſent, in conſpectum Henrici admiſſi factorum veniam poteſtatémque reficiendorum mœnium accepere, moniti nihilominus, nulla eſſe firmiora quàm conſtantis fidei munimenta; eâ labante ferè etiam cætera ruere; id Troiam exemplo domeſtico debere diſcere, cui vires ſuę exitio, inermis Innocentia præſidio fuerit. Ex Theodorico

rico Sigonius exſcripſit, Henricum non procul Salerno cum Græcis etiam acie conflixiſſe, victoriæque monumentum Matri Virgini Ædem dicaſſe; quemadmodum & illa, quæ colli Florentiæ imminenti inædificata eſt Deo Opt. Max. ſacra ſuas ad Henricum Origines refert. Cæterùm præter hoc fortitudinis clementiâ temperatæ monumētum, quod Henricus Troiæ reliquit, illuſtrius multo Gargano monti impreſſum ſcriprores nonnulli non antiquiſſimi illi quidem, neque tamen omnino contemnendi retulere. Antrum in eo monte eſt veteri religione Michaeli Archāgelo dicatum, ingentibus prodigijs & familiari cælitū commercio toto orbe celebratum. Eius adorandi cupido Henricum inceſſerat, inſpiciendíque penetralis, quod præſenti plenum numine frequentari à divinis Genijs fama erat: quorum choris cùm mortales cæteroqui vt profani arcerentur, vicit tamen Henrici pietas æditimorum imperia, hæsítque in ſtatione ſua immotus; neque refugére ejus præſentiam cælites, ſed ſpectari audiríque palàm dignati, totum opertanei ritus or-

TEMPLA HENRICI. *Crantz. l. 4. Saxon. c. 35.*

PRODIGIA HENRICO IN GARGANO MONTE OBLATA. *Nonnoſus. Nauclerus. Cod. ms. Bamb. de vita S. Henrici.*

dinem illo arbitro implevere: datum etiam hocamplius ejus honori, vt sacrorum liber delibandus osculo admoveretur; cujus favoris magnitudinem cùm animus non caperet, liquescerétq; gaudio, levi brachio perstringi sibi femur sensit nervúmque contrahi; simul bonum animum habere jussus est Divísque faventibus agere, quæ ageret; studia ejus Deo cordi esse, cui placuerit hac amicitiam tessera firmare. Ex quo tempore ambulare rectum desijsse, Claudíque tulisse nomen ijdem auctores affirmarunt. Mihi certum est, id vitium non è Gargano monte & beatæ manus contactu traxisse; sicuti nec ijs assentior, qui bello Italico captum, cùm se de turre saltu librasset, crus fregisse, sine teste scripserunt. Membranis Fuldensib. potior apud me fides, quæ, primis regni exordijs, cùm se venatu exerceret, sauciatum feræ incursu, quòd grallâ incessum juvaret, grallatorem dictum, atque Claudum postea, majore similitudine veri tradidere. Apuliâ pacatâ, Capuæque Principatu Pandulpho Theanensi Comiti tradito, vnà cum Benedicto Pontifice Montem

S. Henricus Claudi nomen unde nactus.

Carie in Chro.

Christ. Browerus Ant. Fuld. l.3.c.15.

Hüffeholtz.

Caſſinum acceſſit, novíque Abbatis inaugurationem, quæ Prid. Kal. Iulij facta eſt, ratam habuit. Venerabatur jam olim inſignitum D. Benedicti veſtigijs plenúmq; ſanctitatis locum; ſed cùm vulgo ferretur, exportatas inde ejus exuvias nondum redijſſe, etiam ipſe inter ambigentes erat. Ea tamen dubitatio illuſtri prodigio locum fecit. Conflictanti lateris renúmque doloribus Henrico & medicas artes nequidquam experto Benedictus de nocte aſpectabilem ſe præbuit, morbúmq; confeſſo nomen ſuum perquam familiariter aperuit vetuítque dubitare porro de tumulo ſuo; Caſſini oſſa ſua cubare; fidem dicenti tunc habitúrum, cùm tortores lapillos tres primo mane citra dolorem ſimilis partûs periculo in poſterum liber eſſet enixus; promiſſi veritatem eventus affirmavit, iiſq; calculis palàm oſtentatis, deſitúm eſt D. Benedicti corpus extra Montem Caſſinum quæri. Hoſpitatori ſuo Henricus regia ſoteria perſolvit, daturus ſe inſuper, ſi exuere tunc ei purpuram licuiſſet; deſtinabat tamen voto ſuo tempus, quo ſe in ordinem redigeret, abſconderétq;

D. BENEDICTVS HENRICVM DOLORE CALCVLI LIBERAT.
Leo Oſtiens. l. 2. c. 44.

in optato illo fecessu; nisi id molientem fatum cælúmque occupasset. Narrare porrò solitus est, vtramque se D. Benedicti manum vindicem juxtà medicámque expertum; Olim enim cùm BOICÆ jura daret, Religioso domicilio in illius Divi jurato leges receptum ejus in se irã concitasse. Cùm præsepia equis locandis non sufficerent, ausum esse equisonum nonneminem intra Monasterij septa intima, è Capituli, quod vocant, Sacrario, stabulum facere: sed vernilem impudentiam sibi magno stetisse. D. Benedictum, ad quem ea injuria pertinebat, sibi virga latus fodicasse irato similem & minitanti; idque exinde dolorum seminarium & infelicium calculorum fuisse, donec idem qui plagam inflixerat, medicinam fecisset. Triumphales plausus, quos reduci Germania destinaverat, sæva lues per totum exercitum vulgata interpellavit, quæ tantas strages edidit, *vt Romani Imperij corpus* (Hepidãni verba sũt) *tot membrorum suorum destitutionem sine miseria & dolore memorare non possit*. Æstas fœdis tempestatibus infamis,

D. BENEDICTVS SVI HONORIS ASSERTOR.

VVLGATA PER GERMANIAM LVES.

Hepidann. Hermann.

mis perpetuis cæli fragoribus & ignibus præter solitum micantib. miserè mortales afflixit.

Sequens annus, qui vigesimus tertius fuit, illustre BOIARIÆ sidus Hartvvicum Salisburgensem Antistitem extinxit, quem fama publica ob ingentia prodigia à vivo mortuóq; edita Ruperto, Virgilio, cæterísq;,quorum nominibus assurgimus, coæquavit; Constat vsuram lucis oculorúmque pluribus de tumulo largitum; ligatos in nodum artus explicasse; depositos & morti devotos jussisse vivere, aliáque similis exempli & gloriæ patrasse non nisi divinis viris vsitata, certa immortalitatis testimonia. Migravit cum illo etiam Gebhardus Ratisbonensis, Prüelensis Cœnobij auctor, munditiarum quàm virtutis studiosior habitus, eáque ex re liberiora sui ævi judicia expertus: Prior Gunthero Henrici Cancellario honorem reliquit: Gebhardum Gebhardus secundus excepit è Canonicorum Augustensium Collegio excitus; cujus initia Henrici præsentiâ illustrata, nonnulla ex eo suspicio est, quòd Veterem Capellam, quam vocant, ado-

A. MXXIII. B. HARTWICI SALISB. MORS. *To. 6. Ant. Lect. H. Canis.*

Herman.

 ran-

randæ antiquitatis ſacrarium, & D. Ruperti initiatione glorioſum novæ Ædis acceſſione & Myſtarum Collegio, Gebhardo Pontifice, auctam ab Henrico ex tabulis certum eſt; quod opus ſi vt cætera pleraque præſens moliri cæpit, facilè inducor, vt hoc potiùs anno, quàm ſequenti, qui fatalis illi fuit, vltimùm ab eo luſtratam patriam relictúmq; hoc amoris pignus exiſtimem; cui nos etiam alterum adijcimus, quod ſine certa temporis nota vulgatum in hunc locum veluti vacuam poſſeſſionem, ſine præjudicio, immigrabit. Vivebat ea tempeſtate in BOICA Babo Abenſpergæ & Roræ Dynaſta inſigni in hoc vſque ævum famâ, & patrijs carminibus, veterum Heroum exemplo, nobilis, incredibili fœcunditate liberorum cohortem nactus: quadraginta ſoboles, inque ijs mares triginta duo, ſacro omnes legitimóque educti thoro patrem ipſum ſalutabant, matres duas ordine ſortiti, proba omnes indole & quantæcunque fortunæ capaces; quam cùm illis pater jam diu quæreret, hac occaſione benigniorem propè voto reperit. Henricum Reginoburgo, cui

Hund. in Cat. Epiſc. Ratisb.

BABO ABENSPERGIVS DYNASTA XXXII FILIOS HENRICO ADDVCIT. *Avent. l. 5.*

cui ipſe Vicario imperio præerat, venationis ergo egreſſum ſequi cum paucis juſſus totam filiorum familiam ſecum traxit, ſtipatore ſingulis adjecto, ne tam nobilis ſanguis prorſus incomitat' iret. Cæſar offenſus numero, nempe cũ paucis, inquit, adeſſe te juſſeram, hic quidẽ exercitus eſt. Vtinam fortium virorum, ſuſcipit Babo, & dignorum te Duce, aut, ſi mavis, Patre; remitto enim tibi nomen meum, ſi ex me natos non indecores tibi Patriæque futuros putas. Aperi modò de domus anguſtia querentibus orbem terrarum, efficéque ne major illorum virtus, quàm fortuna ſit. Senectus mea tot fulcris non indiget; tu ingentium partem curarum reclinare in hos humeros potes. alij manu ſe tibi, alij conſilio probent; erunt vtique in hac turba, quos toga, quos ſagum deceat; mitium juxtà ſeverarúmque artium exempla, quæ ex patre non poſſunt, à te petent. ego, quod vnum licuit, ita eos condoceſeci, vt ſi ſpes meas atque adeò tuas vivendo nequeunt, moriendo impleant: Totus Babonis ſanguis pro te, ſi vſus ferat, fundi optat; hac nota cenſeri me-

„ ri meam prolem volo: documenta dare
„ fidei constantiæque qui neglexerit, jam
„ nunc edico, non est meus. Cæsar suprà
quàm dici potest senis oratione donóq;
delectatus, ordine omnes amplexus hũc
primum illis parẽtis affectum impendit,
in reliqua pariter jura successurũ se pro-
fessus habiturúmque velut ex se genitos;
peramanter eosdem hortatus, vt qui tot
taléſq;, mirâ naturæ indulgentiâ, ab vna
stirpe prodijssent verè aurei rami & spes
publica Patriæ, illam etiam virtutibus
implerent; quando Deo ita visum credi
possit, Babonis sanguinem seminarium
constituere Nobilitatis; longè pulchriùs
olim BOICÆ fore, ex tam fœcunda do-
mo generis decora & insignia accersere,
quàm ad bullatas fabulas & equũ Tro-
ianum stultas ambitiones & ridiculum
stemma extendere. Sibi, qui charitate
illorum Pater sit, non defuturas ratio-
nes eos producendi exornandíque, vel si
plures etiam forent: Nullum vnquam
seculum de virorum fortium copia que-
stum esse; neque tam bene agi cum re-
bus humanis, vt causari quisquam pos-
sit, locum sibi deesse exercendæ virtutis.

HENRICI ADVERSVS BABONIS FILIOS HVMANITAS.

Irent

Irent modò vnius nunc familiæ proceres, trecentorúmque Fabiorum gloriam triginta juvenes, majore, quàm illi, fortunâ, BOICÆ repræsentarent, nasciturís ex se nomina daturi titulósque, quales egregijs factis suáque benevolentia sint impetraturi. Non irritum fuisse Cæsaris omen subsecuta tempora declararunt. Nobilissimæ non in BOICA modò, sed reliqua etiam Germania gentes ad Babonem origines suas referunt & felicis illius Arboris esse se ramum volunt; Quæ mihi princeps causa est, cur narrationi huic, etsi neque antiquissimos auctores habet, quique illam produxere, non vno omnes ore loquuntur, & temporibus locísque assignandis & propè etiam rebus dissentiunt, nihil denegādum putârim. Illud enim minutulum est, quòd factum quidam ex campo & venatione in vrbem & Comitia trahunt, vnâ eâ re diversi, cætera concordes. & extant hodiéque monumenta complura, Abenspergæ præsertim, vnde oriundos diximus, quæ suspicari nos vetant, rem tam decantatam & per manus à Majoribus acceptam de nihilo natam esse.

BABONIS SANGVIS BOICÆ NOBILITATIS SEMINARIVM.

Otho-

Vita S. Meinvverci, & S. Gotthard.

COMITIA MOGVNTINA GOTTHARDI MIRACVLIS ILLVSTRATA.

Othonis interim, quem in Hamersteinia arce obsessum Henricus ante triennium ad frugē reduxisse visus fuerat, improbitas recruduit, Irmengardis vxoris insolentiâ, quæ supra sexum ferox & Numinis pariter Cæsarísq; contēptrix, Pontificum diras & armatas minas insuper habuit. Digna res visa est, de qua publico conventu in medium consuleretur: cum Aribo Moguntinus in vrbe sua coëgit, & Imperatorem ad se invitavit. Otho de suo capite agi comitia certus fore se in Patrum Cæsarísque potestate affirmavit; ab impura illa ne id quidem impetratum, vt simulatione modestiæ furorem ad tempus absconderet. Sed nulla re clarior cœtus ille fuit, quā Gotthardi virtute, quæ ex prodigio in itinere patrato multo exinde magis inclaruit.

Vita S. Gotth.

GOTTHARDVS DÆMONVM TERROR.

Mulier atro occupata Genio ab amicis in ejus occursum, haud procul Gruona, raptabatur: quod agi cùm malus incola sentiret, illico insolitum furere, horrificis vocibus aëra implere, detrectare funestum sibi iter ad capitalissimum hostē, quem oculis auribúsq; vsurpare, tristius omnibus tormentis ducat. Tanto magis

gis niti, etiam ingratijs ejus, fœminæ duces; quóque certior libertatis ſpes erat, eo acriùs properare ad inviſum dæmoni aſylum; cujus ne nomen quidem ſuſtinens conſpectum fuga evitavit, exemplóque etiam ſocijs fuit, vt ſequente anno è palude Hildesheimenſi, vnde terriculamentis viciniam percellere jam diu ſoliti fuerant, vltro emigrarēt, ne Gotthardi vim Cruce & Divorum Cineribus armati experiri magno malo ſuo cogerentur: Celebris hic præterea annus amico Imperatoris & Roberti Franciæ regis congreſſu fuit; Locus ei Ivodium dictus ſuper Charum amnem, qui non procul inde Moſæ miſcetur; quæ cauſa Glabro fuit Moſam vt notiorē ſubijciendi. Cùm vtraque ripâ conſediſſent, ſolóque flumine dirimerentur, cunctatio pauliſper fuit, vter tranſgrederetur: Erant enim vtrinq; vani homines, quales in aulis omnibus, obſeſſores regiarum aurium & flabella faſtûs peſſimo publico verſari complures ſolent, qui velut in certo Majeſtatis imminuendæ periculo vtrumq; Principem à modeſtia abſterrebant; viliorem fore, qui ſe largitus eſſet prior, ſuíq;

CONGRESSVS IMPERATORIS & GALLI REGIS.
Sigeb.
Glaber.

INEPTIÆ ASSENTATORVM.

suíque copiam occupato transitu fecisset: rectiùs acturos si navibus in medium delati flumen colloquerentur: id neutri fraudi futurum, eámque vnicam esse rationem tuẽdæ amborum dignitatis. Sed Imperator minimè istorum motum aut hominum aspernatus pueriles ineptias, quę elegantiæ vulgò nominantur, id potiùs sibi contendendum existimavit, ne de virtute Roberto quidquam concessisse videretur, primóque diluculo paucis comitantib. transgressus in regis amplexum nec-opinatò venit: útque erant ambo egregiè pij, placandi Numinis curam rebus omnibus pervertendam rati, sacrificantibus Episcopis religiosè astiterunt; tum denique *de statu Ecclesiæ, Regni, & Imperij*, vt Sigebertus loquitur, consilia collata. Subinde officijs certatum, & post cõmunes epulas regię Gazæ opulentia explicata; producti centum equi phalerati loricâ insuper & galeâ decori, velut equitem suum recepturi, comiter affirmãte Roberto, quidquid ex lautijs illis ad se rediturum esset, sui contemptum interpretaturum. Nihilominus Henricus à se impetrari nullâ amo-

CERTAMEN MODESTÆ HVMANITATIS.

amoris violentiâ passus est, vt præter librum auro gemmísque tectum, quo Dei nostri Evangelium descriptum erat, & D. Vincentij dentem nobili theca clusum, quidquam carperet. Sed ne Kunegunda quidem extra aurium elenchos duos, vllâ vnciolâ redijt ditior. Proximo die Rex Cæsaris exemplũ imitatus cum Episcoporum comitatu ad eum trãsijt omni honoris genere vicissim obrutus. Munera sibi ex auro puro põdo non minus centum decreta ead. modestia repudiavit, idem quod Kunegunda sortitus Inaurium par, neq; quidquam amplius. Nihilominus in regis assectas quósque aspiciendi Cæsaris cupiditas attraxerat, ea Henrici liberalitas enituit, vt opibus Persarum aut Arabum (Sigeberti verbis & fide) posset comparari Imperatoris munificentia. Optimè cogitatis constitutísq; vt pondus accederet, Pontificis, proximo quoque tempore, Papiæ conveniendi consilium cepere, quod Pontificis mors & verò etiam Cæsaris evertit. Hic sub finem anni Paderbornæ fuit à Meinvverco Episcopo Monasterij dedicationem cogitante eò invitatus;

Inaures legit Baronius, cùm in Glabro Naves vulgò leguntur.

sâ sugillat, Episcopum largũ esse de suo jubet, neq; laudem munificentiæ ex rapto quærere; factum nihilominus ratum habuit & sua manu aræ anathema inter primum ejus noctis sacrificiũ imposuit.

TERTIVM. Crevit Meinvverco ex successu fiducia, vt spei suæ etiam proximo sacro sub diluculum peragendo velificaretur, compositóque cum Kunegunde mimo, Cæsaris largitionem, quam haud parca manu aræ destinabat, aspernatus Erveten-se prædium ausus est exposcere. Cæsar nec repulsâ suâ nec cupiditate Episcopi offensus, donationis tabulas properè confectas diurno ej⁹ festi sacrificio clam templo infert, neq; tamen antè promit, quàm repetitis Episcopi solicitatus precibus, Conjuge procerúmque plurimis eidem patrocinantibus, irato similis animóque quàm vultu melior voti eum sui damnavit. Referuntur ad hoc exemplum pluscula, quæ vetus scriptor scabræ dictionis inficetijs propè infamiæ

QVARTVM. obnoxia fecit: quale illud est; cùm Imperatoris cimelia ad aram ornandam exposita negavit ad dominum suum posse reverti; Diris etiam in eos pronunciatis,

qui

qui admoliri manum rebus jam ipſo vſu ſacratis auſuri eſſent; vel cùm Auguſtale pallium rari operis pretijq;, quod eblandiri nullis vnquam verborũ delicijs potuit, clanculum ſublectum templo aſſeruit; repoſcentiq; negavit æquum videri Chriſtum Cæſare eſſe pauperiorem, & mortalem cum Deo opibus contendere, habitare regíque elegantiùs. quæ Meinvverci dicta factáque malè narrando depravata elegantibus fortaſſe hodie rus oleant; Henrico tamen inſuavia non fuere, ſive cognato ſanguini tã prolixè indulſit, ſive notiſſimus viri candor gratiam rebus ad ſpeciem horridiuſculis aſperſit, quæ in ſtili barbarie jam non apparet. Cæſari certè paribus cum eo jocis colludere familiare fuit; quorum guſtum ad illius ſeculi ſimplicitatem intelligendam dabimus. Ad menſam accũbenti, per anguſtam laquearis rimulam, tenuem philyrã ſchedulámve auro ſcriptã demitti ante os juſſit Henricus, qua moneretur vaſa colligere veluti quinto die migraturus. Id Meinvvercus mortuale claſſicum interpretatus Deíque evocantis ſe de ſtatione vitæ vocem, cœpit

Qvintvm.

Meinwerco ab Henrico fvcvs factvs.

Dispone Domvi tvæ: Qvinto abhinc die morieris.

„ri meam prolem volo: documenta dare
„fidei constantiæque qui neglexerit, jam
„nunc edico, non est meus. Cæsar suprà
quàm dici potest senis oratione donóq;
delectatus, ordine omnes amplexus hūc
primum illis parētis affectum impendit,
in reliqua pariter jura successurū se pro-
fessus habiturúmque velut ex se genitos;
peramanter eosdem hortatus, vt qui tot
taléʃq;, mirâ naturæ indulgentiâ, ab vna
stirpe prodijssent verè aurei rami & spes
publica Patriæ, illam etiam virtutibus
implerent; quando Deo ita visum credi
possit, Babonis sanguinem seminarium
constituere Nobilitatis; longè pulchriùs
olim Boicæ fore, ex tam fœcunda do-
mo generis decora & insignia accersere,
quàm ad bullatas fabulas & equū Tro-
ianum stultas ambitiones & ridiculum
stemma extendere. Sibi, qui charitate
illorum Pater sit, non defuturas ratio-
nes eos producendi exornandíque, vel si
plures etiam forent: Nullum vnquam
seculum de virorum fortium copia que-
stum esse; neque tam bene agi cum re-
bus humanis, vt causari quisquam pos-
sit, locum sibi deesse exercendæ virtutis.

Henrici adversus Babonis filios humanitas.

Irent

Irent modò vnius nunc familiæ proceres, trecentorúmque Fabiorum gloriam triginta juvenes, majore, quàm illi, fortunâ, BOICÆ repræsentarent, nascituris ex se nomina daturi titulósque, quales egregijs factis suáque benevolentia sint impetraturi. Non irritum fuisse Cæsaris omen subsecuta tempora declararunt. Nobilissimæ non in BOICA modò, sed reliqua etiam Germania gentes ad Babonem origines suas referunt & felicis illius Arboris esse se ramum volunt; Quæ mihi princeps causa est, cur narrationi huic, etsi neque antiquissimos auctores habet, quique illam produxere, non vno omnes ore loquuntur, & temporibus locísque assignandis & propè etiam rebus dissentiunt, nihil denegãdum putârim. Illud enim minutulum est, quòd factum quidam ex campo & venatione in vrbem & Comitia trahunt, vnâ eâ re diversi, cætera concordes. & extant hodiéque monumenta complura, Abenspergæ præsertim, vnde oriundos diximus, quæ suspicari nos vetant, rem tam decantatam & per manus à Majoribus acceptam de nihilo natam esse.

BABONIS SANGVIS BOICÆ NOBILITATIS SEMINARIVM.

Otho-

Vita S. Meinvverci, & S. Gotthard.

COMITIA MOGVNTINA GOTTHARDI MIRACVLIS ILLVSTRATA.

Othonis interim, quem in Hamersteinia arce obſeſſum Henricus ante triennium ad frugē reduxiſſe viſus fuerat, improbitas recruduit, Irmengardis vxoris inſolentiâ, quæ ſupra ſexum ferox & Numinis pariter Cæſariſq; contēptrix, Pontificum diras & armatas minas inſuper habuit. Digna res viſa eſt, de qua publico conventu in medium conſuleretur: eum Aribo Moguntinus in vrbe ſua coëgit, & Imperatorem ad ſe invitavit. Otho de ſuo capite agi comitia certus fore ſe in Patrum Cæſariſque poteſtate affirmavit; ab impura illa ne id quidem impetratum, vt ſimulatione modeſtiæ furorem ad tempus abſconderet. Sed nulla re clarior cœtus ille fuit, quā Gotthardi virtute, quæ ex prodigio in itinere patrato multo exinde magis inclaruit.

Vita S. Gotth.

GOTTHARDVS DÆMONVM TERROR.

Mulier atro occupata Genio ab amicis in ejus occurſum, haud procul Gruona, raptabatur: quod agi cùm malus incola ſentiret, illico inſolitum furere, horrificis vocibus aëra implere, detrectare funeſtum ſibi iter ad capitaliſſimum hoſtē, quem oculis auribúſq; vſurpare, triſtius omnibus tormentis ducat. Tanto ma-

gis niti, etiam ingratijs ejus, fœminæ duces; quóque certior libertatis spes erat, eo acriùs properare ad invisum dæmoni asylum; cujus ne nomen quidem sustinens conspectum fuga evitavit, exemplóque etiam socijs fuit, vt sequente anno è palude Hildesheimensi, vnde terriculamentis viciniam percellere jam diu soliti fuerant, vltro emigrarēt, ne Gotthardi vim Cruce & Divorum Cineribus armati experiri magno malo suo cogerentur: Celebris hic præterea annus amico Imperatoris & Roberti Franciæ regis congressu fuit; Locus ei Ivodium dictus super Charum amnem, qui non procul inde Mosæ miscetur; quæ causa Glabro fuit Mosam vt notiorē subijciendi. Cùm vtraque ripâ consedissent, solóque flumine dirimerentur, cunctatio paulisper fuit, vter transgrederetur: Erant enim vtrinq; vani homines, quales in aulis omnibus, obsessores regiarum aurium & flabella fastûs pessimo publico versari complures solent, qui velut in certo Majestatis imminuendæ periculo vtrumq; Principem à modestia absterrebant; viliorem fore, qui se largitus esset prior, suíq;

CONGRESSVS IMPERATORIS & GALLI REGIS.

Sigeb.

Glaber.

INEPTIÆ ASSENTATORVM.

ſuíque copiam occupato tranſitu feciſſet: rectiùs acturos ſi navibus in medium delati flumen colloquerentur: id neutri fraudi futurum, eámque vnicam eſſe rationem tuēdæ amborum dignitatis. Sed Imperator minimè iſtorum motum aut hominum aſpernatus pueriles ineptias, quę elegantiæ vulgò nominantur, id potiùs ſibi contendendum exiſtimavit, ne de virtute Roberto quidquam conceſſiſſe videretur, primóque diluculo paucis comitantib. transgreſſus in regis amplexum nec-opinatò venit: útque erant ambo egregiè pij, placandi Numinis curam rebus omnibus pervertendam rati, ſacrificantibus Epiſcopis religiosè aſtiterunt; tum denique *de ſtatu Eccleſiæ, Regni, & Imperij*, vt Sigebertus loquitur, conſilia collata. Subinde officijs certatum, & poſt cōmunes epulas regię Gazæ opulentia explicata; producti centum equi phalerati loricâ inſuper & galeâ decori, velut equitem ſuum recepturi, comiter affirmāte Roberto, quidquid ex lautijs illis ad ſe rediturum eſſet, ſui contemptum interpretaturum. Nihilominus Henricus à ſe impetrari nullâ amo-

CERTAMEN MODESTÆ HVMANITATIS.

amoris violentiâ passus est, vt præter librum auro gemmísque tectum, quo Dei nostri Evangelium descriptum erat, & D. Vincentij dentem nobili theca clusum, quidquam carperet. Sed ne Kunegunda quidem extra aurium elenchos duos, vllâ vnciolâ redijt ditior. Proximo die Rex Cæsaris exemplũ imitatus cum Episcoporum comitatu ad eum trãsijt omni honoris genere vicissim obrutus. Munera sibi ex auro puro põdo non minus centum decreta ead. modestia repudiavit, idem quod Kunegunda sortitus Inaurium par, neq; quidquam amplius. Nihilominus in regis asseclas quósque aspiciendi Cæsaris cupiditas attraxerat, ea Henrici liberalitas enituit, vt opibus Persarum aut Arabum (Sigeberti verbis & fide) posset comparari Imperatoris munificentia. Optimè cogitatis constitutísq; vt pondus accederet, Pontificis, proximo quoque tempore, Papiæ conveniendi consilium cepere, quod Pontificis mors & verò etiam Cæsaris evertit. Hic sub finem anni Paderbornæ fuit à Meinvverco Episcopo Monasterij dedicationem cogitante eò invitatus;

Inaures legit Baronius, cùm in Glabro Naves vulgò leguntur.

quam tamen insperata ædificij ruina distulit. Vtebatur Meinvverco Henricus familiarissimè, nusquam severiores curas liberiore laxamento dispungere solitus, quàm in illius viri contubernio, ad joca vsque progressus, quæ qui vtriusque genium summámque conjunctionem non æstimet, non modò infra Majestatem Cæsaris sed vltra etiam decori metas abijciat. Constituerat in Meinvverci ædibus corpus abluere Henricus, eíque mandaverat, curaret, ne quid loturo sibi ad vsum necessitatémq; deesset. Episcopus provinciæ suæ exornandæ nullam occasionem negligere solitus, ne sumptum, quem in balneum facturus erat, perderet, hac arte sibi quæstuosum reddidit. Oves fœtas vndecunq; comportatas mactari, agnisque exemptis pelliculas diripi jussit, tanto numero, quantus ad talarem Synthesem subsuendam satis esse videretur; limbos duntaxat & oras extimas mustelarum jugulis, vt generosioris velleris, incinxit, & Henrico jam lauto collativum centonem injecit, abscondi tamen non potuit simplicior fucus inter curiosas manus, advertitq;

FAMILIARIS HENRICVM INTER & MEINWERCVM VSVS.

QVÆSTVOSA MEINWERCI LIBERALITAS.

titque Henricum adeò impar agnorum cum mustelis connubium, neq; distulit impolitiæ hospitem arguere, quòd tam pingui sago Cæsarem involvisset. Meinvvercus sibi non defuit, convocatósque earum mercium institores ad ferendam sententiam induxit, non esse erubescendum Cæsari, sic ire pellitum; tum verò quantam cladem ovilibus suis ea vestis intulisset, exaggeratè ad invidiam lamẽtari non antè destitit, quàm Imperator opulento prædio querimoniam extinxit. Neq; multò pòst crateram vini plenam Episcopo de mensa misit, multum monito pincerna, ne sine auro ad se rediret; traxit tamen vrbanis frustrationibus tempus Meinvverc⁹, & Cæsaris juxtà pocillatorisq; diligentiam elusit: vocatis deinde aurificibus mandat, vt eadem nocte (pervigilium Natalis Christiani fuit) calicẽ aræ ministerio aptarent, pedíq; epigramma Henrici nomine inscriberent, Deo illud aurum consecrantis. Absolutum insigni celeritate opus solenni cerimonia inunctum ex profano sacrum reddit. Henricus re intellecta, improbitatem audacis artificij dicis cau-

ALTERVM EIVSDEM EXEMPLI FACINVS MEINWERCI.

sâ sugillat, Episcopum largũ esse de suo jubet, neq; laudem munificentiæ ex rapto quærere; factum nihilominus ratum habuit & sua manu aræ anathema inter primum ejus noctis sacrificiũ imposuit.

Tertium. Crevit Meinvverco ex successu fiducia, vt spei suæ etiam proximo sacro sub diluculum peragendo velificaretur, compositóque cum Kunegunde mimo, Cæsaris largitionem, quam haud parca manu aræ destinabat, aspernatus Erverense prædium ausus est exposcere. Cæsar nec repulsâ suâ nec cupiditate Episcopi offensus, donationis tabulas properè confectas diurno ej[9] festi sacrificio clam templo infert, neq; tamen antè promit, quàm repetitis Episcopi solicitatus precibus, Conjuge procerúmque plurimis eidem patrocinantibus, irato similis animóque quàm vultu melior voti eum sui damnavit. Referuntur ad hoc exemplum pluscula, quæ vetus scriptor scabræ dictionis inficetijs propè infamiæ

Quartum. obnoxia fecit: quale illud est; cùm Imperatoris cimelia ad aram ornandam exposita negavit ad dominum suum posse reverti; Diris etiam in eos pronunciatis, qui

qui admoliri manum rebus jam ipſo vſu ſacratis auſuri eſſent; vel cùm Auguſtale pallium rari operis pretijq;, quod eblandiri nullis vnquam verborũ delicijs potuit, clanculum ſublectum templo aſſeruit, repoſcentiq; negavit æquum videri Chriſtum Cæſare eſſe pauperiorem, & mortalem cum Deo opibus contendere, habitare tegique elegantiùs. quæ Meinvverci dicta factáque malè narrando depravata elegantibus fortaſſe hodie rus oleant; Henrico tamen inſuavia non fuere, ſive cognato ſanguini tã prolixè indulſit, ſive notiſſimus viri candor gratiam rebus ad ſpeciem horridiuſculis aſperſit, quæ in ſtili barbarie jam non apparet. Cæſari certè paribus cum eo jocis colludere familiare fuit; quorum guſtum ad illius ſeculi ſimplicitatem intelligendam dabimus. Ad menſam accũbenti, per anguſtam laquearis rimulam, tenuem philyrã ſchedulámve auro ſcriptã demitti ante os juſſit Henricus, qua moneretur vaſa colligere veluti quinto die migraturus. Id Meinvvercus mortuale claſſicum interpretatus Deíque evocantis ſe de ſtatione vitæ vocem, cœpit iter

QVINTVM.

MEINWERCO AB HENRICO FVCVS FACTVS.

DISPONE DOMVI TVÆ: QVINTO ABHINC DIE MORIERIS.

iter æternitatis animo præmetiri; præsertim cùm per ædes inambulans sparsa passimSibyllina ejusmodi folia complura in eandem omnia sententiam attonitus legeret, nihílque dubitaret irrevocabili se vadimonio vadatum. Proinde ne malè viaticatus discederet, nullum religiosioris subsidij genus neglexit; Arcas omnes excutere, spargere in pauperes mox deferendas opes, nihil sibi præter detritas in sandapilam tegetes relinquere, inter vota suspiriáq; dies noctésq; pervigiles ducere, totius vitæ acta relegere, rerum omnium curas, velut in publico justitio, præ illa vna, neglectui habere, quam sibi Deus imposuisset: sic in quintum vsq; diem, quem decretorium credidit, exercitus, atque hujus etiam momentis omnibus numeratis suspectare denique fraudem cœpit, ausúsque est attollere oculos, & ex hypogæi pavimento, in quo seipsum composuerat extenderátque præmortuum fame vigilíisque corpus levare fulciréque cibo, qui, frigente domus culina, allatus è foro est. In hunc modum redivivum Imperator cum proceribus fabulæ conscijs sum-

ſummo mane ore renidenti ſalutavit, gratulatúsque eſt mortis compercendinationem favore Numinis conceſſam. donatum illum votis patriæ ſcilicet deſiderium præmaturè mortui non laturæ: prolatas illi vivendi metas, maximorum virorum exemplo, quorum beneficia in orbem terrarum cùm æterna eſſe non poſſint, tamen quàm maximè diuturna optent homines, additurì de annis ſuis ad illorum ævum, qui bono publico vivunt, & ſpes multorum ſuo capite ſuſtentant, iiſdem cadentibus ruituras. Non erat obſcurum Meinvverco rideri ſe, neque diſſimulavit impatientiam intempeſtivi cavilli, vt eodem die ex ambone templi in ſuos ſanniones graviter perorarit, qui per jocum & ludum Epiſcopum deridiculo habitũ annonâ ſpoliarint & penè ad incitas redegerint. eos proinde, vt quantum facinus in ſe admiſerint, intelligant, cœtu piorum movere ſe indignóſque pronunciare, qui ſacris prophani impiatique adſiſtant. Id fulmen vt expectatum minimè fuit, ita Henricum haud dubiè totius Mimi architectum maximè perculit, vt è veſti- ANTIQVÆ SEVERITATIS EXEMPLVM.
 gio,

gio, quæ illius modeſtia & adverſus religioſa imperia reverentia fuit, cum conjuge & colluſoribus ſuis templo exceſſerit, excalceatúſque & vicem purpuræ cilicio ſqualidus, quod ſeculi noſtri Catones ſtultitiam vocent, Epiſcopi de ſe arbitria expectarit. Durus nihilominus ille & inexorabilis his quoque tam luculentis piaculis ægrè veniam indulſit; donec nubila Henricus inſigni liberalitate ſerenavit, quæ tanto effuſior fuit, quanto certiùs precipere animo viſus eſt, brevi ſibi omnem largiendi præreptum iri facultatem: neque enim poſtquam Ianuario exeunte Paderbornâ diſceſſit, diu ſuperſtes fuit.

VII. A. MXXIV. *Ex ms. Itinerario apud Brovver.* MORS HENRICI IMPER.

Chriſtiana Ramalia Alſtedi egit; triduo pòſt Merſeburgi; Paſchalibus ferijs Magdeburgi fuit. Alia alijs loca mutantem Gruonæ mors oppreſſit III. Id. Iulij quinquageſimo ſecundo ætatis anno, vt vulg⁹ ſcriptorum numerat, de qua ſumma Ditmarus annos quinque detrahit, cùm Eccleſiam Babenbergenſem dedicanti, quod ante annos duodecim factũ ſcripſimus, trigeſimũ quintum natalem fluxiſſe affirmavit. *Sigeb.* Proſtratâ jam valetudine,

dine, quem ſucceſſorem ſibi deſtinaret rogatus, mirantibus qui aderant, Conradum nominavit Salicum dictum, cùm ſatis conſtaret, exiguâ apud viventem gratiâ fuiſſe, quòd vel rebellibus acceſſiſſet, vel ad regia imperia præfractior obſequia omnia velut ſervitutẽ aſpernatus eſſet. eáque ſententia pro præſagio, vel præjudicio certè accepta eſt. Cùm animam ageret, obſtupeſcendum omnib. ſeculis arcanum de illibata conjugis pudicitia aperuit *Epiſcopis Abbatibúſque præſentibus*, vt Leo Oſtienſis ſcripſit, Propinquis Kunegundam cum hoc elogio in man' reſignās, *Recipite quam mihi tradidiſtis Virginem veſtram*, eáque voce velut gemmâ vitæ ſanctiſſimè actæ tabulas obſignavit; quæ ſi ex rebus ab eo geſtis vel ſola eluceret, dare in admirationem poſſet orbem terrarum: fuiſſe hominem in ſummo faſtigio mortalium honorum, quem nulla poſteritatis cura ad quærendam legitimā thoro ſobolem impulerit, cámque conſtantiam animi ſupra humana omnia evecti nec calore ætatis, nec circumfluentium illecebra-

Svccessorem Nominat.

Arcanvm de illibato conjvgio prodit.

Chron. Caſſ. Vit. S. Henrici, & paſſim ſcriptores omnes.

voluptatum eoúſque flecti deprimíque potuiſſe, vt, quod honeſtiſſimum eſt inter conceſſa omnibus legibus vota, vellet cuperétque etiam ipſe ſui ſimilem relinquere; vt fateri neceſſe ſit, hominem Deo quàm hominibus propiorē rebus humanis eâ potiſſimùm gratiâ impoſitum, vt milleſimus à Chriſto nato ann⁹ hoc tam raro prodigio & veluti Phœnice viſo inſignis pulcherrimam virtutem oſtentaret in purpura; vt quando Virgo puerpera Aureum Chriſti ſeculum inchoavit, Milleſimum ejus annum Virgines Imperatores, impare quidem miraculo, ſed poſt longiſſimum intervallum proximo, conſecrarent. Debuit tamen etiam hoc aurum ſuis ignibus probari, & ſevero tentamento fidem facere ſuæ ſinceritatis. Ita enim magno conſenſu traditur, ſuſpectā Henrico olim Kunegundæ innocentiam fuiſſe, quòd ignoti juxtà improbíque oris hominem ejus thalamo, dubia etiamnum luce, erepentem triduo continuo obſervaſſet. Malum genium ſub militis larva eam hiſtrioniam inſtituiſſe poſtea compertum eſt, vt hoc par tam ſanctè inter ſe amantium collideret.

KVNEGVNDIS CASTITAS DÆMONIS ASTV IN DVBIVM VOCATA.
Baron.
Mutius.
Hoffman.
Auctor Comp. Chronol. Vita S. Henrici & S. Kunegund.
Hartm Schedelius.

deret. Cæſar velut in re manifeſta, violatæ fidei cōjugem inſimulat, accuſator ipſe & teſtis idémque judex in triſtiſſima cauſa futurus, quæ prima omnium perpetuam feliciſſimæ domus ſerenitatem obnubilavit. Deeſſe Kunegundi verba non poterant, niſi Cæſar ſuis oculis maluiſſet credere; contra quos cùm difficilis eſſet quantumvis innocenti advocatio, provocavit ad ignes, ſolennem eo tempore morum cenſuram minimé que fallacem creditam. Candentes inde vomeres illæſa tulit, vel, vt alij volunt, calcavit, adulante illius manibus pedibúſque flamma, cujus pectus nulla vnquam illicita face arſiſſet. Abſolutā tam luculento ignis judicio Henricus multo ſanctiùs coluit, injuriâ in reverentiam verſâ. Locus inſuper triumphantis Caſtitatis æde ſacra circumſcriptus, & illi ipſi innoxij vomeres exploratores pudicitiæ D. Henrici tumulo incluſi ſunt, haud dubiè ex alterutrius imperio, quòd illud innocentiæ ſymbolū multò quàm lilia aptius illibatis exuvijs jungerentur; eæ Grunonâ Babenbergam deportatæ, locóque, quem vivens deſignaverat, conditæ

KVNEGVNDA FERRVM CANDENS ILLÆSA PORTAT.

Mart. Hoffm.

TVMVLVS HENRICI.

ditæ perenni beneficiorũ fonte, qui inde manavit, modestum Cæsaris tumulum supra omnia Regum Mausolea extulere; quódq; opidò raris contigit, qui in purpura decedunt, plures habuit adoratores Henricus mortuus quàm vivus, post Imperatorios titulos etiam cœlestem nactus, vt Sanctus diceretur; quem illi Eugenius III. vti suo loco dicemus, confirmavit. Id nomen cùm nullâ non virtute meruerit, nunquam sanè verisimilis illa mihi ex ore Dæmonis excepta narratio visa est, qui disceptatæ extra orbem nostrum Henrici causæ seriem viro Religioso dicitur explicasse. Properantem ille ad Imperatoris exequias Cacodæmonem agnoverat quantumvis sub humaniore cultu latentem; cùmq; velut pro imperio adegisset ad renunciandam divini examinis formam, obligatus ille sponsione haud multò pòst redux cum ingenti quiritatu inauspicatũ iniquúmque tribunal corruptelarum injuriæque accusavit. comparata scilicet facta factis fuisse, & expensa ad libellam; initia pulchrè dedisse se, neque dubium jus suum vlli visum; donec Ambustus quidam (D. Lau-

CONSECRATIO.

EXPENSA DE HENRICI DVBIO EXAMINE NARRATIO. *Vita S. Henr.*

Laurentium in craticula tostum hoc cavillo designabat) calice aureo dexteram lancem, quæ suæ jam cesserat, prægravatam depressisset: eo pōdere causam proditam séque foro cedere coactum esse. Mirificum hunc calicem Merseburgi olim monstrari solitum fama est, vbi eum D. Laurentio Henricus sacraverat Iordane prius flumine ablutum, desideratámque in eo fuisse alteram ansarum, dęmonis nimirum vngue divulsam labefactatæ spei ignominiam eo spolio vindicantis. Assuuntur augendæ fabulæ alia complura, eodem filo, non sine injuria sanctissimi Imperatoris credita; quasi ille placitarum Superis mercium præter vnam hanc stipem nihil secum hinc extulisset, exulandúmque cælo fuisset, nisi opportunâ symbolâ D. Laurentius trepidantem in tempore recreasset. Equidē gaudeo præconem facti nō alium quàm dæmonem produci, qui nihil insolens facit, cùm narrat fabulas, causámq; non vnam habuit, vt in famam Henrici posthumam grassaretur toties à vivente triumphatus. Nimirum tota ad Christum regna traducta, Episcopia erecta incompara-

Crantzius refert & refutat.

parabili ſumptu, aut nihilo minore reſtituta, tot templa, tot Religionis Domicilia, tot anathemata ſacrata Divis, Innocentia vitæ ſupra exemplum, cumulata omnium virtutum decora, eáq; artificio modeſtiæ occultata diligentiùs quàm prodita, & tam raro apud Superos auditus viſúsque Cæſar Virgo, tam nobilem reum judicio adeò non exemerint, vt ne juverint quidem? os ille ad calumniam larvis Acherunticis præbuerit, vllámque ijs ſpei anſam reliquam fecerit palmam ex ſe petendi? quod qui credere in animum inducat, ead. vecordiâ de omnibus virtutũ præſidijs actum ducat; ad quarum ego gloriam obfuſcandam, nihil dubitem, mendaciorum fabrum inſcitam, hanc fabulam architectatum, eâ fiduciâ, vt ſi trepidaſſe vacillaſſéque in foro Æternitatis Henricum orbi perſuaſiſſet, ead. operâ amorem innocentiæ extingueret, vt nihil admodũ olim profuturæ. Porro cùm in vetuſtis Caſſinenſis Monaſterij Annalibus eadem ferè de Henrico III. dæmonum accuſationibus patrocinio D. Laurentij erepto legantur, ſæpe mihi cogitare in-

Baron. Ann. 1056.

FABVLA ALIO AVERSA.

men-

mentem venit, similitudine nominis posteros deceptos alienam hanc Henrici II. rebus laciniam assuisse, errore eo minus observabili, quòd Henricus, quẽ nos Tertium dicimus, Italis Henricum Aucupem prorsus prætereuntibus, Secundus est. Infinitum nunc opus aggrediar, si ex tabulis publicis omnia Henrici monumenta colligam, quæ ille per Imperium omne & nostram præsertim BOICAM liberali manu sparsit testes suæ pietatis; quod enim cœnobium indonatum præterijt? jure merito ex propensissimo affectu Pater Monachorum appellatus; vt mihi quidem Gottfridus Viterbiensis nihil supra verum inflasse neque poeticè scripsisse videatur, cùm cecinit,

HENRICI. LIBERALITAS IN ECCLESIAS.

Chronicon Laurishaimense.

Catholicas dedit Ecclesias numeroquasi MILLE;
Pauperibus viduis spes, via, vita fuit.

Chronicon Augustanum.

Et quidem in apparatu templorum nihil ita cavit, quàm ne indigna essent habitatore Deo; vt fratri suo Brunoni, quẽ Ædi Augustæ Vindel. condendæ præfecerat, graviter succensuerit, quòd majestatem, quantam ipse animo concepisset, structura non impleret: ea est quam hodie D. Mauritij memoriæ consecratam

tam

tam in illa vrbe videmus; cùm ille contra opus regium visendâ mole D. Vdalrici corpori locando destinasset, sumptu liberalissimè è regionis adjunctæ provētibus promisso; offensus proinde fratris parcitate & sordibus negavit illi partes suas se traditurum, si quid in posterum rectè curatum vellet; quandoquidem eum impensarum, quæ Deo acceptæ referantur, intelligat pœnitere. Sed nos quantumvis inviti ab Henrico tandem avellimur, subinde ad tumulum illius revisuri.

VVippo de Vita Conradi Salici.
Hermann.
COMITIA IMPERATORIA.

Principum interim animos certamen regni ac cupido versabat, & in tanta non modò voluntatum, sed nationum etiam diversitate factiones & studia gliscebant; quibus sopiendis creandóq; regi dies dicta. Locus Wormatiam inter & Moguntiā delectus, Hermannus Kambam Villam nominat, quæ quia Rhenò imminet, vtraq; ejus fluminis ripa confluentium populorum castris prætexta est: citeriorem, quæ Germaniam aspicit, BOII, Saxones, Franci Orientales, Alemanni insedere, vlteriorem Musellani, Lotharingi, quique alij trans Rhenum

de

de Germanici Regni corpore censentur, implevere. Eminebant inter Principes Conradi duo arctissimo sanguinis nexu inter se juncti fratres patrueles. Ætate minor Conrado Carantanorum Duce natus, offensáne, an quo alio Henrici judicio præteritus, Adalberonem, quem patri suffectum memoravimus, ante annos quinque pugna haud procul Vlmâ vicerat. Majorem natu Henricus ex Adelhaide sustulit, is quem nos Henrico Rixoso Henrici Imperatoris patre exauthorato, BOIARIÆ aliquandiu jura dedisse ex Ditmaro docuimus: Henrico & Conrado fratribus Otho pater fuit, qui ante Henricum filium, Henrico Rixoso in exilium deportato, BOIARIÆ simul Sueviæq; cum amplissimo imperio præfuit: vt quoquoversum res caderet, futurus rex Avo aut etiam Patre BOIARIÆ Ducibus gloriaretur. His ergo vt haud temerè se quisquam compararet, aliorũ certè anteferret neminem, ita difficilem ipsi æstimationem fecerant, vter vtri videretur præponendus. Erant in vtroq; egregia omnia, vt tamen in Majore Virtus, in Minore Potentia primas ferrent:

VVippo vtrumq; Chunonem dicit.

DVO CONRADI COMPARATI.

alter amaretur, hic timeretur magis; suffragantium calculos major mereri, posterior penè ad se rapere videretur, parē æquiùs laturus quàm priorem, & ægrè animo modestiam imperaturus, si alium vidisset imperantem. Eo major cura proceres incessit, vt, priusquam in suffragia iretur, Comitia metu liberarent, impetraréntque à candidatis, vt quando ijs reliqui suas spes submisissent, ipsi quoq; vota sua cupiditatésque judicio publico attemperarent; cúmque duos rebus imponi fas non sit, id de se arbitrium volentes lubentésque Reip. permitterent; ne cùm alterum sibi Patrem optaverit, experiri alterum hostem cogatur. Æquitate postulatorum moti patrueles fidem invicem dederunt, vtricunque primas sors negaret, nihil novarum rerum moliturum: quando etiam repulsam ferenti satis gloriosum futurum sit, ei, quem optimum dignissimúmque summis honoribus patria judicârit, fuisse proximū, & vni domui támque arctis necessitudinibus totius Germaniæ vota incubuisse; non minus ad famam valiturum, parem imperio creditum esse, quàm imperasse.

Eam

Eam sponsionem cùm mutuo amplexu firmassent, Aribo Moguntinus, penes quem primi suffragij jus fuit, Conradum Majorem nominavit. reliquis omnibus prærogativæ auctoritatem sequentibus, Conradus junior secessione cum Lotharingis factâ, post paululum concilio se reddidit, consensúmque procerum amplexus ipse quoque patruelem regem salutavit. Ejus vox excepta plausu publico festisq; acclamationibus repetita etiam Kunegundem excivit, vt Imperij insignibus in medium prolatis, omnem mariti fortunam cum lætis ominibus in Conradum transfunderet. Aribo illum Moguntiæ VI. Idus Septemb. regem vnxit, cúmque omnibus, quorum odijs olim exercitus fuerat, in gratiam reduxit. Mitis id ingenij documentum; alterum etiam Iustitiam amantis specimen eodem die præbitum. Tres supplices ad capessenda insignia cũ pompa & ingenti comitatu prodeuntis genua amplexi opem implorabant, de paupertina omnes tribu, Arator, Pupillus & Vidua, eóq; indigniores Palatinis visi, quorum eo loco ratio haberetur. ergo submotos vetue-

CONRADVS SALICVS CÆS. SALVTATVR.

NOBILE IVSTITIÆ IN CÆS. EXEMPLVM.

runt ejus diei lætitiam tristi quiritatu interpellare. Repressit Conradus intempestivè officiosos: & sinite me, inquit, personam agere, quam mihi Respub. imposuit, cujus si primo die immemorem videat, nunquam sanè diuturnũ meum imperium volet. Neq; vestigio illo decessit antè, quàm causâ cognitâ, benignâ miseros sententiâ sublevasset. Progresso nonnihil æquè ærumnosus exilij sui calamitatem commendavit innoxium carere se patria professus; eum Conradus, quòd multitudine arceretur, manu attractum in editiore solij sui pergula collocavit, amantérque appellati restitutionem Procerum fidissimo imperavit. Sic inaugurationi suæ cùm veluti prælusisset, coronam effusissimis populi studijs accepit, omnibus ejus diei facinus in cælum tollentibus precantibúsq; vt quod tum fecisset diu faceret exempláque regendi non aliunde quàm à seipso peteret tanto melior futurus, quãto similior sui. Tum deinde provincias Imperij omnes lustrare aggressus, proximi anni, qui vigesimus quintus fuit, Pascha Ratisbonæ in BOICA, Pentecosten Con-

ITEM ALTERVM.

A. MXXV. CONRADVS CÆS. PROVINCIAS OBIT.

Constantiæ egit, ibiq; Mediolanensem Antistitem Heribertum cum reliquis Italiæ Proceribus obvium habuit, eósq; sacramento adactos in fidem recepit. Id Papiensibus negatũ, quòd Regiam in vrbe sua sitam Theodorici, qui Veronensis dictus est, opus plenum majestatis & ab Othone III. mirificè excultum, nunciata Henrici morte, funditus exciderant ausi insuper patrocinari furori suo & ratione defendere, quasi rege mortuo nemini obnoxijs satis esset factorũ suorum causas habere, quas tamen alijs reddere minimè necesse foret, etsi non vnam modò domum, sed totam patriam inflammassent.

PAPIENSIVM INSANIA.

Kunegundis interim, cùm annum integrum Henrico castissimè parentasset, & BOICA vltimùm aditâ Ecclesiæ Frisingensi possessionum suarum reliquias transcripsisset, Anniversariam diẽ Iustísque finiendis destinatam dedicandæ pariter Casungensi ædi delegit, excitis vndecunque Sacrorum Antistitibus; quibus facientibus, purpuram omnémque pristinæ fortunæ apparatum palàm posuit; pullámq;, quam sua sibi cõsuërat

KVNEGVND. AVGVSTA MONASTERIO SE ABDIT.

manu, induta caput velavit, plerísq; adſtantium collacrymantibus: Ipſa nunquam ſerenior viſa caſtitatis Epithalamium ſibimet cecinit, bis nupta, ſemper virgo. Quindecim annis, quibus provixit, innocentiæ & incomparabilis modeſtiæ facem omnibus præluxit, quæ vt clarior eſſet, prodigiorum etiam majeſtate crevit. Quale illud fertur in primis; Flammam, quæ lectulum dormientis corripuerat, carpere veſtes illius non magis quàm olim pedes auſam, Crucéque, quam exporrecta manu formaverat repulſam, injuriam etiam à ſubſtrata palea, quam lambere cœperat, abſtinuiſſe. Iuditham ſuam ex ſorore neptem exemplo traxerat ad florē ævi Deo conſecrandum, imbutámque ſanctitatis præceptis Ducem Parthenoni dederat; quo in munere cùm diſciplinam parum ſeverè vrgeret, metúſque eſſet, ne plures indulgentiâ corruptæ libentiùs ad Iudithæ ſe quàm Kunegundis mores expenderent, nequidquam ſæpe increpitam liberali olim verbere objurgavit, cujus vt fructus diuturnior eſſet quàm dolor, factum divinitus eſt, vt digitorum expreſ-

PRODIGIIS INCLARESCIT.

preſſiſſimas notas per omnem deinceps vitam in malâ circumferret velut ſtigmate inuſta, quod ſui officij immemori pro monitore eſſet, & ſpectantib. etiam ignaviam excuteret tam luculẽta ignominia in Antiſtite ſigillatã. Porro quod Kunegundis erga neptem ad frugem revocandam ſtudium fuit, idem Henrici jam Divis adſcripti ad ſanandum Brunonis fratris ingenium fuiſſe memorant. Ille jam olim pia ejus ſtudia allatrare ſolitus Epiſcopatus Babenbergenſis evertendi cupiditate flagrabat: cui flagitio vt Conradi Regis auſpicia admiſceret, prophanatas opes poſſeſſionéſque ad ſe hæreditario jure redituras Henrico ejus filio tranſcripturum ſe promiſerat, ſi auctoritate regia conſilij ſui invidiam inumbraſſet. Ea machina regem expugnavit, Giſela maximè tam dulce caducum conciliare filio ſuo ſatagente, & grato inſperati lucri odore adverſus infamiam firmatâ; cujus cùm Epiſcopum cura vix tangeret, religioni ſcilicet ducebat ſibi avara mulier ſacrato homine videri velle religioſiorem. Iam maturuerant conſilia in deteſtabilem audaciam, ſuccum-

Vita D. Henr. Hoffmann. in Ann. Bamb. Vrſperg. in Chron.

Brvno ab Henrico Fr. de coelo corripitvr.

bente Eberhardi Babēbergenſis Epiſcopi in multam noctem cum Brunone ad lecti etiam ſpondam luctantis eloquentiâ, qui ſuadendo alternis rogandóque, ne ſacrilegum ſuperis bellum indiceret, & Henrici majus jam imperium ſortiti beatam æternitatem infeliciore perduellione infeſtaret, quam olim ſub regni ejus primordia concitaverat; néve abripi ſe coúſque ſineret malevolentiâ, ut quæ prophani homines ſacraſſent, ſacer ipſe prophanaret, ſurdo ſcilicet intérq; cordata dicta an oracula obdormiſcenti fabulam cecinit nihil profuturam, niſi ſuam Henricus ipſe cauſam egiſſet; qui fratri impio, qualis ab eo videri debuit, ſeſe objiciens, ſomnum juxtà & inſaniā excuſſit. Nam cùm noti oris figuram nō modò infra cælitum elegantiā, ſed velut ſervilem injuriam paſſus, dimidia parte glaber & depilis oſtentaſſet, perculſus ea deformitate Bruno, auſus eſt de barbaræ crudelitatis auctore quærere. Si vindictam paras, infit Henricus, præſentem habes; nam quis cælo receptum præter te odit? quem quia detrahere inde non potes, manum ad nos non pertingentē in-

CASTIGATA MIRABILI OSTENIO AVARITIA.

in templa Divûm inijcis partem ſine du- '
bio noſtræ gloriæ; vt proinde expilatis '
tuo ſcelere monumentis noſtrę pietatis, '
quærere nihil neceſſe ſit, cujus furore '
fratris tui facies ſit depilata. Qua ſpe id '
machinere, tu videris; miſer es, ſi te mor- '
tuis fortiorem putas; ſenties eos in ſup- '
plicia tua vivere, & ad aras ſuas tuendas '
ſatis habere virium. Fulminatus his vo- '
cibus Bruno ſuíque impos noctem reliquam inter tormenta animi exegit. Ad conciliabulum altero die evocatus valetudinem excuſavit. inſtante nihilominus Reginâ, pateretur lecticâ inferri ſe, vnóque verbo promiſſis robur adderet, negavit meditati ſceleris pœnas ægrè ſuſtinentem ſe patrati ſupplicia provocaturum; hîc quidem perjurum ſe quàm ſacrilegum dici, & homines quàm ſuperos habere iratos malle. Ita tempeſtas, quæ Babenbergæ imminebat, diſcuſſa; ejus tamen concitatori impune non fuit, quando paulò pòſt, qui malum alieno Epiſcopatui intentavit, ſuum tueri non potuit. Gratia nihilominus Cæſaris nō excidit, ſed tutelam inſuper Henrici filij gerere juſſus, vtibilem in eo inſtitu-

BRVNO CONRADI F. MODERATOR ADDITVS.

ſtituendo operã poſuit, Religionis pietatíſque ſtudijs tenerum animum tantò potentiùs imbuens, quantò major illi ſuadendi vſus ex proprijs cladib. acceſſit. felicior tamen filio Conradus, vt qui in viri vndequaque ſanctiſſimi Burcardi Wormatienſis Epiſcopi ſinu educatus illius non tam præceptis quàm vivis exemplis ad amorem recti eſt accẽſus; qui cùm hoc anno, aut, vt Baronius exiſtimat, ſequenti terras deſeruerit, ejus meminiſſe par fuit, non eò tantùm, quia viri monumentis ſubinde vſi ſumus, ſed quòd illius ſeculi felicitatem nulla res æquè ac illuſtrium ſanctitate virorum copia affirmet, ídque inter cætera, quæ D. Henrico ad gloriam eximia contigere, velut familiam ducat, ad ſacræ profanæque Reipub. clavum tales Heroas aſſediſſe, vt tum maximè, quod veterum ſapientum votum fuit, dici poſſit, Philoſophos imperaſſe, Imperatoréſque philoſophatos eſſe. Intima Burcardũ familiaritate Henrico morum ſimilitudo jũxerat, ejúſque fructus Wormatienſis Eccleſia vberes tulit magnis ab Hẽrico poſſeſſionibus aucta, quas inter etiam prædium

Ex vita B. Burcardi quæ Decret. illius præfixa eſt.

RES PRÆCLARÆ S. BVRCARDI WORMATIENSIS.

dium fuit ab Othone Conradi avo olim possessum, quod latrociniјs infame & nebulonum receptaculum Othoni ab Henrico ademptum scribit, qui res D. Burcardi edidit, ea in re manifestus vanitatis, cùm longè ante Henrici Imperium fatis concessisseOthonem suo loco demonstraverimus. Animadverterat Burcardus in Conrado etiamnum puero mite miniméq; sanguinarium ingeniũ, quod cùm cæteri vt ignavum & imbelle aspernati in sui sanguinis gentísque probrum adolescere ominarentur, vnus ille veri augur gratulari patriæ nobilẽ indolem magnæq; virtutis segetem velut ex herba præcipere, fovere virtutis igniculos & hortando sufflare, neglectúmq; à suis vt degenerem formare suo vngue, eo operæ pretio, vt orbem terrarũ ejus Imperij nunquam pœnituerit. Fructum tamen diuturniorem Burcardo mors invidit. Hoc ipso anno cûm Wormatiã accessurum regem fama esset, ex morbo decubuit, quem tamen ita in potestate habuit, vt veluti concessis inducijs sibi redditus Regi nulla in re defuerit. discedentem Triburias vsq; comitatus, illic, valere

Avus in ipso Conradi regis diplomate vocatur: autor vitæ perperam eum Patrem appellat.

Bvrcardi de Conradi Cæs. Indole ivdicivm.

valere vltimum jussit, verę sed tum quidem non credito oraculo. Exitum paulo pòst vitæ similem nactus, præter tres denariolos, nullum argenti scrupulum hæredi reliquit, inopes ditando, quę vna concessa prodigalitas est, ad incitas redactus. Sorori moriens clavem scrinij, quo recondere opes vulgo ferebatur, tradidit; in eo præter vestem setis horridam affligando corpori contextam & cinctum ferreum cúmq; à frequenti vsu attritum & splendescentem amici attoniti nihil reperere: miraculo nihilominus fuere hæc tam rara cimelia, eáque hæreditas non tam hominis quàm ipsius virtutis visa. Burcardi mortem per se Conrado Regi luctuosam tristia complura secuta, fortunâ, quæ fidem eousque servaverat, vultum mutante. Boleslaus imprimis Polonus vetus Henrici hostis Principis antehac titulo contentus regium nomen sumpsit, aperto detrectati obsequij argumento; sed intempestivum fastum mors hoc eodem anno tumulavit; à Misecone filio resumptum Conradus, vti suo loco dicetur, correxit. Major intra regni viscera metus ex infa-

VVipo.

TVRBÆ INTRA & EXTRA REGNI FINES.

infami rebellione ortus, cujus fax ille ipse Conradus fuit Regis competitor, idémque patruelis, quem nos, quod itidem ab alijs factum, Cunonem distinctiùs appellabimus. Ernestus Alemanniæ Dux Regis privignus, Fridericus Lotharingus vitricus Cunonis, & Welfo Altorfius, cui veteres Annales Iutham Henrici BOIARIÆ Ducis, cujus primordia paulò pòst referemus, sororem conjugem dant, Cunonis partib. accesserunt: quorum coitiones etsi Conrado clàm non essent, iter tamen Romanum rebus omnibus prævertendum ratus, Henrico filio Brunoni Augustensi commendato, dispositísq; ad regni tutelam quaquaversum militaribus præsidijs, in Italiam Februario mense Anni vigesimi sexti contendit, Ernesto, quem vitrici reverentia à conjuratis abduxerat, priùs in gratiam recepto, & Campidonensi Abbatia, quod factum nollem, ei permissa, quæ vacillanti auctoramentum fidei & operæ stipendium esset: Auctorem habeo cujus vnius fidei invitus incumbo, qui etiam Conradi fratrem Henricum, nulli, quod sciam, scriptorū nomi-

A. MXXVI. CONRADVS ROMAM PETIT.

Crantz. Saxon. l. 4.

nominatum, perduellionis accusat, ejúsque tuendæ desperatione mutare solum coactum, delatúmque in Vngariam fidem Stephani regis amplexum narrat; qui clientem non aspernatus sanare ejus ingenium cùm vellet, eo die, quo Christi mortem pij lugent, epulandas illi carnes proposuerit; quas cùm hospes religione contactus abominaretur, regem factum non improbasse, monuisse nihilominus religiosiùs eum facturum, si rebellionem quàm cibũ damnasset; quantumvis inconcessas epulas fraterno odio citiùs concoqui & expiari promptiùs. Id dictum in tempore pervicacem animum flexisse, vt ad officium rediret. Conradus Alpes transgressus ad Comensem Lacum Ioannem Pont. Max. obvium habuit. Vercellis deinde Pascha celebravit. Mediolani cùm regium diadema accepisset, coronari etiam Modoëtiæ voluit, intermisso jam diu more renovato: atq; ea corona est, quæ Mediolanensium cavillo Palearis dicta fuit. Reliquis Italiæ Civitatibus imperata facientibus, Papia in furore perstitit, certa Regiam evastatam non restituere, quod Con-

Glaber l. 4. VVipo. Sigon.

PAPIENSIVM CONTVMACIA VINDICATA.

Conradus vnicè vrgebat professus aliã pacis rationem nullam fore. Et obsidione quidem vrbis temperavit, majoris operæ rem eam intelligens; sed agrum populatus, socijs rebellium nullo non genere cladium vexatis, commodis civium interversis, biennij ærumnis obsaturatos redire ad officium compulit. Ravennates cùm venientem haud inviti accepissent, paulò pòst conversa voluntate, eijcere vrbe meditati sunt: latrocinijs primùm in hospites grassati, deinde tumultu ferociáque crescente, passim in ignaros mali securósque invecti stragem cædémque vicatim circumtulere, donec animadverso periculo totâ vrbe bellum exarsit. Id etsi nostris iniquius erat, quòd ad omnem injuriam paterent, telis ex superiore loco volantibus, quæ nec prævideri poterant nec remitti: nihilominus connixi inter se & agminatim ruentes plura Ravennatibus damna, quàm acceperant, remetiebantur. Ibi Epponis Comitis Boii gente, virtus longè eminuit, qui signo militari arrepto pontem occupans memorabilem pugnam edidit, penè Horatio Cocliti exæquatus; subeunti-

RAVENNATIVM LEVITAS.

VVipo, cum Panone: interpretor vocem Germanicam Paner.

EPPONIS COMITIS BOII MAGNANIMITAS.

euntibus adverſo corpore & miraculo audaciæ ſubmotis, reſtitantibus de ponte deturbatis, brevi eo potitus eſt. Fregítq; ea potiſſimùm BOII hominis virtus fulminis in morem vndique ſeſe inferentis obterentíſque obvia omnia hoſtium audaciam, vt abjectis armis omnem in fuga, latibulis & templorum adytis ſpem reponerent. Id cùm Conradus ſublimis in equo animadvertiſſet, modum finémque cædibus imperio clementiæ ſuæ impoſuit, & die proximo miſerabili pompa ſupplices excalceatos veſte horrida ſqualidos & illud ipſum ferrum, quo in regis injuriam abuſi fuerant, velut in jugulum ſuum ſtrictum præferentes in gratiam recepit. Suorum etiam damna omni humanitatis genere compenſavit, cujus ſpecimen memorabile in milite gregario edidit, cui pedem talorum tenus graviter ſaucium & extima hærentem cute lamentanti ocreas argento fartas miſit & decumbentis lectulo donum impoſuit, quo ille exhilaratus vltro fortunæ ſuóque vulneri ignovit, quod Imperator medicinâ tam appoſitâ fovendum ſuſcepiſſet. Tumultum

tum Ravēnatem quies excepit, vt ad declinandos æstivos calores subducere exercitum in vmbram licuerit. Germaniæ interim otium Ernestus privignus regis & Welfo turbabant, Cunone palàm nihil moliente, & Friderico Lotharingo è vivis sublato. Welfo quòd in Suevia BOIARIAQVE opes ingentes possideret, Brunonem Augustanum sibi vexandum sumpsit vt principem Conradi amicorū ejúsq; filio Moderatorem additū. Clades vtrinq; datæ acceptǽq; luculentæ sunt, vt tamen iniquiores Episcopi vices fuerint, quem arcibus pluribus dejectis direptísque, ne ipsa quidem Augustæ mœnia tutata sunt. Welfo vrbe vi potitus fecit quod hostis victor solet, nullo injuriæ exemplo omisso. Omnes Episcopi opes in prædā cessere. Engelbertus Frisingensis Brunoni suppetias ferre ausus eodem turbine involutus eadémq; passus est. Rex Eporædiæ sub finē anni fuit. Sequentis initio progressus Lucę, quam Reginherus Marchio concitaverat, obsidium admovit; cui ferendo cùm Reginherus par non esset, sese vrbémque dedidit; neque deinde Romam vsque mora

WELFO IN BRVNONIS AVG. FINES INCVRRIT. *In Chron. Augustano Bavariæ Dominus appellatur. VVipo. Herman. Ann. VVeingart.*

ENGELBERTVM FRIS. VEXAT.

A. MXXVII.

CONRADVS AVGVSTVS APPELLATVR.

vlla fuit, vbi VII. Kal. Apriles, Christi redivivi ferijs, à Ioanne Pontif. Imperator Augustus appellatus est, Rudolpho Burgundiæ & Canuto Angliæ regibus honoris causa vtrumque ejus latus tegentibus. sed quod ferè in hujusmodi pompis, vt solenne, observavimus, lætitiam publicam hìc quoque fortuna gladiatorijs ludis infamavit. Corium bubulum

SEDITIO POPVLARIS.

acies commisit; de quo cùm lixæ duo inter se calidè contendissent, à verbis ad verbera provecti studia partium excitarunt. vt, crescente vtrinq; numero, bellum haud sanè pro causa exarserit, quod Berengarij Comitis Lutoldi filij nobilissimum sanguinem hausit, eíque Romanorum capita innumera velut inferias misit. Conradus Rex tumultu composito peragratáq; Apulia in Germaniam reversus Natalem D. Ioannis Ratisbonæ

HENRICI MOSELLANI PRINC. BOII MORS.

egit; quo tempore Henricus BOICÆ Dux D. Kunegundis frater magno jam natu vivendi finem fecit. Tumulatum Osterhofæ opinio est; quem locum bellorum sive vetustatis injurijs collapsum restituit, & Canonicorum Collegio incolendum permisit. Successorem illius

dubi-

dubium ſcriptorũ diſſidium facit, non-nullis filium cognominem ei ſubijcientibus, cui deinde, Palatinorum odio, injecto in collum fune, extortam animam tradidere; quem alij ne agnoſcunt quidem, & Henricum Conradi Imper. Filium donatum à Patre ea Provincia BOIARIÆ Principem ſalutant; quibus vt numero pluribus & ætate antiquioribus nos quoque accedimus, Altahenſis potiſſimùm Chronici per hæc tempora optima fide ſcripti auctoritate moti.

Vitus Arenbeck.
Vitus Eberſp.
Thomas Haſelbach.
Chron. Altahenſe ms.
Vita SS. Gotthardi & Meinvverci Scriptores.

Deceſſit pariter Guntherus Salisburgenſ. Antiſtes & locum Diethmaro reliquit. Nos vtriuſq; Principis funeri Regiæ Virginis exequias Ratisbonæ Idibus Octob. ductas ſociabimus. Aureliam monumenta ejus vrbis nominãt Hugonis Capeti F. Roberti Franciæ Regis ſororem, quæ nihil morata natales ſuos nec parentum vota pares illi thalamos magna ambitione deſtinantium, vt florem corporis inſidijs eriperet, vili amiculo involuta ſeipsã proſcripſit, & ſponte exul in BOICAM profugit. Stipem ad D. Emmerammi flagitantem Ramvvoldus Abbas divinitus inſtinctus agnovit,

Avent.
Staindel.
B. AVRELIÆ MORS ET GENVS.
VVolf. Selend. ms.

& pro merito tam raræ virtutis coluit, vt Dei ſponſam, hoſpitium & latebras, ſi BOICA illi cordi eſſet, pollicitus; annuentémque tuguriolo, vbi nunc D. Andreæ ſacrarium eſt, clauſit; vbi expers mortalium curarum affixa cælo, quinquaginta duos annos amando Numini impendit ſine faſtidio & ſatietate. Hic demum annus illam ſuis amoribus junxit. Corpus BOICÆ pignori relictum colitur vt Divæ. Tumulo non ſine injuria tralatitium ſaxum incubat ex Romano ævo, quod Ael. Iuvianus quidam Aureliæ Conjugi poſuit. ex quo perridiculè novitij conjectores hujus noſtræ Aureliæ ſive proco ſive ſponſo Eluviano nomen fecere; ídque in Acta virginis inſertum venditant ſine verecundia, excogitatâ etiam civitate, qua illum donant, liberali figmento. Per eadem tempora, quibus peregrinum hoc decus D. Emmeramus æde ſua recepit, etiam ipſe ſui nominis famam maximis patratis prodigijs extendit; quæ Arnolfus Comes ætatis hujus ſcriptor tanto ſtudioſiùs annotavit, quòd infeſtante BOICAM fœda lippitudine prope deſioculus factus, voto ad

S. EMMERAMMVS THAVMATVRGVS.

ad aram ejus nuncupato, si lucis vsura sibi redderetur, res ab eo gestas literis se mandaturum, è vestigio ophtalmia liberatum se meminerat. Sed domestica omnia persequi longum sit; Vnũ è multis, quod Emmerammum Italiæ commendavit, nefas duxi præterire. Vltimæ fortunæ viri duo salutis jam conclamatæ extremas nihilominus spes ad omnes Divûm aras circumferentes nullum calamitosorum perfugium negligebant. Eorum alter amisso pedum vsu ægrum corpus miserabili nixu vicaria manuum opera promovebat reptile monstrum veriùs quàm homo. Iam per Alpes indefessa patientia eluctatus Italiam contigerat, cùm ad vicini fontis crepidinem arreptans eod. comitem invitavit. Haustam deinde cucurbitâ aquam D. Emmerammo libans velut illius manu temperatam propinatámque in spem salutis cùm ore duceret, repentè distortos artus & ligata in nodum membra vitalis calor omnes permeans venas correxit. Ille sui impos exilire gaudio & negato vsque in illum diem vestigio niti, sospitatorem suum Emmerammum ingeminare,

Arnolph. l. 2. de S. Emmer.

CLAVDVS IN PEDES ERECTVS.

nare, curſu ſaltúque ſibi & alijs miraculo eſſe. Neque dubitarunt ejus loci incolæ ad illum ſalutiferum fontem D. Emmerammo ædem ſtatuere prodigij monumentum; cujus fama efferum hominem & latrocinijs cruentum è ſuis luſtris extraxit impulítq; vt ſe D. Emmerammo Ratisbonæ manciparet, ex cujus ore factum Arnolphus exſcripſit. Miriſſima etiam ſunt, quæ ad Tegerenſem Lacum D. Quirini ope edita Metellus BOICORVM poëtarum antiquiſſimus paulò inferior his temporibus, quæ exegimus, ſupra ævi ſui barbariem culto verſu cecinit. Itémque ea, quæ Monhemij ad D. Walpurgis oſſa patrata Wolfhardus & Medibardus legenda poſteris tranſmiſerunt. Quæ vtinam ſuis aſſignata annis certiore nota diſtinxiſſent gratam annalib. materiam daturi & bono publico haud paulò plus profuturam, quàm ridicula oſtenta, quæ numerare Romanis ſcriptorib. verecundiæ non fuit, quoties in Aventino lapidibus pluiſſet, aut corvus in Ædem Iunonis volaſſet, cæteráq; his etiam ineptiora, quæ veterem Romam in ſtuporem dederunt, nunc pueris

1. Tom. Ant. Lect. Caniſij.

ris exsibilanda. Enimvero ad fovendam pietatem à Majoribus acceptam nihil est potentius, quàm publicos cælestium beneficiorum fontes recognoscere, qui passim per BOICAM omni ævo fluxerunt & Religionis prata rigarunt, inundántq; etiam hodie perenni venâ; quando ferè princeps hæc causa fuit, cur communi pestilitate, quæ superiore seculo Germaniam cæteram depopulata, Fidem Candorémque avita illius decora miserabili funere extinxit, BOIARIÆ ager contactus nunquam fuerit, vireátque in hanc vsque diem eadem gloriâ, quam primo vere habuit, quod sub Divi Ruperti cultura, proscissis tum primùm novalibus, exegit. Cur enim statas solennésque ceremonias & accepta à sanctissimis viris sacra sacrorúmq; ritus, confirmatissimas de Deo divinísque rebus sententias, & scita Majorum sua canitie veneranda & inter oracula recepta deliramentis somniísque perfidorum hominum, qui manifestum pietati bellum indixissent, permutaret pia BOIARIA, cùm constantiæ suæ tam insignes fructus ferret, & quotidianis incrementis Numinis erga se in- MIRACVLIS CONFIRMATA BOICÆ PIETAS.

dulgentiæ Superûmque pro ſalute ſua excubantium ſtudij admoneretur; cùm ad omnia patriæ aſyla Tutelaribus Divis conſecrata nemo fruſtra vota faceret, nulla tam dira deſperatáque mala eſſent, quæ non illic medicam manum invenirent; cùm cœcis lux, mancis integritas, ſervituti carceríque mancipatis libertas vno ſæpe impetrata ſuſpirio rediret; cùm plena numine & præſentib. Divis verenda adyta Stygij tortores humanorum corporum incolæ non ferrent, ſed velut fulminati inde profugerent; cùm viciſſim pietatis cultæ neglectǽq; in vtramque partem læta triſtiáque ederentur exempla, qualia fideliſſimi ſcriptores plurima commemorant, neminem profectò, niſi qui fureret, Religionis tot calculis approbatæ potuit pœnitere.

Metellus f. 99. AGITATAM LARVIS S. QVIRINVS LIBERAT.

Henrico Sancto, cujus res hucuſq; explicavimus, in Nuichingenſi villa, publico procerum Conventu jus dicente, fœmina jam olim larvis agitata certíſq; argumentis hoſpitem Dæmonem confeſſa ad D. Quirini aram attracta eſt, illic in ſoporem lapſa horrendis vociferationibus totam ædem exululans omnes ter-

terrore complevit; ea pòst sibi reddita dictitabat, ex vrna Martyris geminos Ephebos supra humani oris elegantiam venustos prodijsse, & informe monstrũ omnibus Mauris nigrius forcipibus ex ore suo eduxisse: Cui prodigio cùm vultûs serenitas & reddita animo corporísq; quies fidem fecissent, idémq; fama passim in ora hominum mitteret, non temperavit animo Henricus, quin ipse locũ supplex viseret; vbi aras omnes obeuntem & concamerato sacrario, quod tẽpli fornici affixum sub D. Michaelis tutela tum fuit, abditum nõ modò liquidis perfusum gaudijs, ipsius relatione compertum est, sed cælestibus etiam ostentis recreatum; quibus permotus non modò Warngevvensem dotalem D. Quirini fundum, quem Pilegrino Comiti beneficiario jure possidendum dederat, loco restituit, sed errorem insuper suum novis largitionibus, quarum tabulæ adhuc extant, expiavit.

D. HENRICI LIBERALITAS CÆLESTIBVS OSTENTIS EXCITATA.

In Metrop. Salisb. Hund. in Monast. Tegernsee.

Inter supplicia quibus impietas vindicata est, illud eodem referente omnib. sæculis mirissimum, cui post vxorẽ Lothi vix quidquam componere antiqui-

HOMINVM FERARVMQVE LAPIDESCENTIVM MIRACVLA.

tas possit, nisi Niobes fabulas recipimus, huc placet adscribere. Impurus nebulo expilatâ D. Quirini æde oneratum sacrilegijs equum ad cursuram incitabat inutili imperio; eodem enim momento animal in saxum obriguit, tota viventis imagine retenta: ex quo dum fur deruit, æquali fato in lapidem duratus est, pede altero è subice pedaneo sive stapede, vt vocant, nondum exerto; talísq; postea repertus ipse de se quantumvis saxeus indicium fecit, quid ausus, quid passus esset: subsedisse mole sua equum alvo, hominem alarum tenus, Metellus, qui reliquias vtriusque extantes vidit, affirmat. Posterorum incuriâ factum, vt nũc quidem nihil supersit, totis irati Numinis monumentis sepultis: quibus ne raritas fidem detraheret, plura BOIARIÆ loca nominat ijsdem prodigijs insignia. Nam & in Lindensi templo tres panes, in Businkamio quatuor faces in furum manibus in saxa obstupuere. Posterius templum à D. Vdalrico olim dedicatum Arthemius vir militiâ clarus Tegerensis domo lapideum ex ligneo fecit oculatus prodigiosorum anathematum testis.

Eo-

Eodem pertinet ſtatua quæ Winſtevienſi & Cleminienſi ad Danubium pagis diſcriminandis pro communi limite fuit, quam itidem raptoris ſacrilegi cum ſpolijs ſuis lapideſcentis tumulum juxtà & exuvias certa fama approbavit. Quibus monſtris & ille Equus accenſendus eſt haud procul Aureatenſi vrbe ſpectatus (Aichſtadium vel Naſſenfelſium interpretor) ipſe quoque in ſaxum rigidus: quem ſeſſore perempto (Metelli verba audis) dum traxere latrones, ſeu cæſi pietate, ſeu virtute ſupernâ, fertur diriguiſſe, aruo merſus & ipſe.

Non patitur inſtituti ratio manum in adornando ex Metelli ſpolijs Iuſtitiæ vindicis trophæo diutius occupari, etſi benignum argumentum eſt, & dulce feſſo perpetua ferè bella ſi non pace at certè inducijs ſubinde interrumpere; quib. ne abuſi videamur, hanc ex Arnolfi Comitis certiſſimis monimẽtis mantiſſam adjeciſſe contẽti manum de tabula tollemus. Factum etſi fortaſſe tempore paulò poſterius eſt, argumenti ſimilitudine hunc locum meretur: Willibertus Vir recti tenax Batavenſis Templi Æditi- *Arnolph. l. 2. de S. Emmer.*

ditimus idémque ſacerdos inquinatiſſimum hominem ſacris nihilominus admotum, in quem illi imperium erat, in abdito templi receſſu ſcelus ſanctitate loci ordiníſque ſui indignum patrantem deprehenderat; quódque tunc vnum illi dictabat dolor, graviter increpito minatus fuerat, elaturum ſe foras ſpectatum nefas, eúmque, accuſante ſe, temeratæ ædis cauſam dicturum: cui cùm re' vltimas preces admoviſſet, ſponſionem tamen ſilentij ab indignante factúmque deteſtante non impetravit. Ergo vt judicium, in quo neceſſariò ſibi ſuccumbendum videbat, ſubterfugeret, quòd id vivo arbitro futurum deſperaret, ad nefarium conſilium verſus, homini, cui os comprimere non poſſet, elidere fauces ſtatuit, repertóque per noctem furtivo in ædes aditu valentior ipſe ſenem vita exuit, & vt omnem alienæ manus ſuſpicionem amoveret, de trabe tugurij pendulum reliquit. Ita repertum, quod proximum erat, ingens infamia & vulgi potiſſimùm atrociſſima execratio ſecuta eſt, nemine dubitante, conſcientiâ & furijs ſcelerum ſuorum actum ſibi ipſi

jus

jus dixisse. Episcopus adeò, vt publicam sacri Ordinis labem ne tumulo quidem dignatus flammis objecit: eæ cùm reliquum corpus in favillam redegissent, illæsum cor, omnibus attonitis, è rogo haud sanè sua vi prosilijt. Non defuere tamen, qui refugientis Elementi eam indignationem interpretati, infernis, quibus anima jã ardeat, flammis hoc quoque pessimi hominis nocentissimũ frustum deberi vociferantes cum execratione in rogum rejecere iterum iterúmq; emersurum. Ne tum quidem cùm contis depressum vsq; detentum est amburi potuit, donec desperatio vespillones à busto abegit. Sed nimirum intererat periclitantis Innocentiæ, eripi infamiæ Wilibertum, qua integerrimus vir multò indigniùs quàm igne conflagrabat. Paulò pòst sacrilegus homicida alterius sceleris suspicione protractus in forum, patrocinijs omnibus frustra excussis, quiq; illius ævi mos fuit, frigidæ calidǽq; experimentis labefactatus cælestis sibi epuli gustandi facultatem fieri postulavit, quod vltimum fuit solenniũ tentamentorum; quo tamen cùm ob vitæ probra arce-

Innocentia inter ignes triumphans.

arceretur, animi tormenta diutius non ferens ſeipſum vtriuſque flagitij reum peregit eadémque operâ innocentem abſolvit, magnum etiam ipſe documentum daturus, improbos conſcientiâ flagellari & nec accuſatorem ijs deeſſe nec carnificem poſſe; cùm vtrumq; munus ipſi occupent exerceántque tam inclementer, vt alieno malint arbitrio plecti, quàm ſuo.



VIR-

VIRTVTIS ET FORTVNÆ GENTIS BOIORVM

LIBER X.

Breviarium rerum Gestarum.

HENRICO VI. CONRADI SALICI F. QVI INTER HENRICOS CÆSARES III. EST.
HENRICO VII. HENRICI V. MOSELLANI FRATRIS FILIO.
CONRADO INCERTVM CVIVS GENTIS AVT STIRPIS.
HENRICO VIII. HENR. V. F. QVI INTER CÆSARES IV. EST.
AGNETE HENRICI VIII. MATRE, WILHELMI PICTAV. F.
OTTONE II. GOTTINGENSI SAXONE.
DVCIBVS BOIARIÆ.

Henricus

I. *Enricus Dux* BOIARIÆ *à Conrado Patre in cõsortium Imperij admissus Stephano Vngariæ Regi pacem petenti annuit; quam domi Ernestus eadẽ cum Henrico Matre genitus turbans occiditur. Miseco Polonus Regni, quod adversus Conradi potentiam tueri nõ potuit, partem, ejusdem favore, recuperat. Bohemum Henricus F.; Burgundiæ invasorem Conradus P. domat; idémq; Luititiorum impietatem egregiè vlciscitur. Expeditione Italicâ, Superûm iras hominúmq; insidias ægrè evitat.*

II. *D.D.D. Gotthardi, Stephani Vngari, Kunegundis Exaugustæ sancta funera ducuntur. Henricus, Patre mortuo, in Bohemos movet & VVernheri Ducis temeritate cladem accipit, quam B. Guntherus aliquà mitigat, Henricus secunda expeditione penitus abolet,*

gente

gente universa ad deditionem coacta. Petrus Vngarus vexatæ indignus modis Giselæ Reginæ justas pœnas pendit Regno exactus. Ovo successor BOICAM, *diviso bifariam exercitu, invadit: ejus alterum agmen Trecentorũ Militum virtute conciditur.*

III. BOIARIÆ *Henricus VII. gente Mosellanus præficitur ab Henrico Cæs. Ejusdem, de transferendo Episcopatu Aichstadiano, consilia: B. Leodegarij* BOIARIAE *Reguli in eodem exornando pia studia. Pace publica per Germaniam, præconio Cæsaris, stabilitâ, Histriones ab ejusdem Nuptijs proscribuntur. Idem cum Sex* BOIORVM *Bohemorúmq; millibus adversus ducenta Vngarorum millia pugnat & vincit. Victoriam non sine divinitatis miraculis partam Deo religiosissime gratulatur: Gregario militi, quem imprudens læserat, lege in se agendi facultatẽ tribuit.*

IV. *Henricus periculoso casu & comitum morte à sceleris alieni approbatione abstrahitur. Vngariæ Regē in fidem accipit. B. Guntheri Mors & egregiæ Virtutes. Vngarorum à Christo & Rege defectio. Cæsaris in exauthorando Pontifice temeritas; alienus à nundinatione sacrarum dignitatum animus miro prodigio confirmatus. Henrico* BOIARIAE *Principi mortuo Conradus subrogatur.* BOII *acceptam Gebhardi Ratisbon: Ep. culpâ cladem Vngaris cum fœnore remetiuntur, Superis in partem juvantibus.*

V. *Res in Vngaria improsperè gestæ. Nitgeri Episcopi Frising: Fratrúmque ejus improbi mores. Pontificis in* BOICA *res gestæ. Conradus* BOIARIAE *Princeps, ob malè gestam Remp. exauthoratus Schyrenses Regulos domi, Vngaros foris concitat, Carinthiam vastat. Schyrensibus à Gebhardo Aichstettensi Epi-*

Episcopo Henrici VIII. Ducis BOIARIAE *Tutore domitis, Conradus etiam* BOICAM *diu impune populatur. Eodem Gebhardo ad Pontificatum assumpto, & orta in Cæs. conjuratione, eidem successor destinatus peste extinguitur. Pontifex veneno appetitus divinitus servatur. Cæsar pie moritur, impio Filio hærede relicto.*

BOIARIAE *Principatus Agneti mortui Cæs. Conjugi attribuitur. Ea Filiam Salomoni Vngaro despondet. Missa Andreæ ejus Patri contra Belam Fr. auxilia irrita illa quidem sed stupendo* BOICAE *Fortitudinis exemplo nobilitata. Agnete abdicante,* BOIIS *Otto II. gente Saxo Princeps datur; cujus consilio & operâ Henricus Cæsar è Matris sinu abstractus viris traditur. Pontificum Schisma, sacrorum hominum ambitio Remp. turbant. Vngari, Bela in ipso pugnæ articulo exincto;* VI.

in fidem Cæsaris concedunt: ejus indoles ab Adelberto Bremensi corrumpitur.

VII. *Pia Christianorum in Palæstinam expeditio humanæ patientiæ & divinæ providentiæ exemplis nobilis.* *Otto* BOIARIAE *Dux Conjurationis primùm contra Regem initæ, tum malè gestæ Reip. deniq; etiam meditatæ Cæsarianæ cædis insimulatur: Intestinum* BOIARIAE *bellum, cui facem subdidisse creditus est, divinitus dirimitur. Ipse tandem calumnijs & æmulorum iniquitate eversus principatúque dejectus hostis Reipub. declaratur.*

GESTA SVNT HÆC
ab An. CHRISTI MXXVIII.
vsque ad MLXX.

Nunc

HENRICVS VI. CONRADI SALICI CÆS F. DVX BOIARIÆ.



Vnc ſtatum BOICÆ ſub Puero Principe exequar, ſed eam indolem ſortito, quæ oſtenderet natũ imperio, nihil vt neceſſe eſſet auctoritatem ei ex annis accerſere, jam maturâ ſapientiâ & viriles poſcente curas, tantúmque laturâ onus, quantum impoſuiſſes. Non dubitavit proinde pater, ſequenti mox anno, qui vigeſimus octavus ſupra milleſimũ fuit, in conſortium regni adſciſcere paulò decenni majorem, ſed eâ magnitudine animi, quem BOICA non caperet, vt ſupervacaneum eſſet, quemadmodum de Conſtantino olim dictum eſt, expectare curſum ætatis, in tanta feſtinatione virtutis. Pilegrinus Colonienſis regia illi inſignia Aquis impoſuit Ferijs Paſchalibus. Moderatio conſiliorum ejus Brunoni Auguſtano Pontifici confirmata, eâ operâ tantundem bonæ in vulgus famæ indepto, quantum Henrici fratris odio I.

A. MXXVIII. HENRICVS BOIAR. DVX à PATRE IN CONSORTIVM REGNI VOCATVR.

A. MXXIX. BRVNONIS MORS. *VVipo. Herman. Lamb. Chron. August.*

dio prodegerat; egregijs ejus conatibus mors sequenti anno manum injecit; Paschalibus Ratisbonæ cum Imperatore actis VIII. Kal. Maij decessit. Funere regio Augustam devectus, Imperatrice cum Henrico rege pompā ducentibus, D. Mauritij Ædi, quam illius opus diximus, illatus est, auctis Augustánæ Ecclesiæ Collegiíque Sacri opibus gratam posteritatis memoriam meritus. Ei in regis tutela Engelbertus Frisingensis successit; Regia in Andecensi arce collocata, gratificantibus haud dubiè voluntaria cessione ejus loci dynastis Regi adolescenti cæli solíque opportunitate capto. Sed dulces ferias bellum anno proximo, qui trigesimus fuit, Boios inter & Vngaros ortum abrupit; facem subjecisse Boios ex Wipone intelligas, simultatibus jam inde à morte Henrici Sancti gliscentibus, quæ libera primùm commercia & facultatem vltro citróq; commeandi sustulere, vt neque Wernhero Argentinensi Episcopo Conradi ad Imperat. Constantinopolitanum legato via per Pannones patuerit, regressóque per BOICAM, Adriatico tandem mari fuerit

VVipo. Chron. Altahense.

A. MXXX. BELLI VNGARICI CAVSÆ.

pavi-

navigandum; quam injuriam cùm etiam populationes accenderent, modúmque nullũ faceret Stephanus agendarum ex Norico prædarum, hoſtis judicatus & Conradi armis appetitus eſt. eo terrore perculſus Vngarus cùm humanis præſidijs parum fideret, opem Divûm expetijt, decretis per totum regnum ſupplicationibus, epulíſque ſobria frugalitate & inedia caſtigatis. Ea illi pietas pro muro fuit Conradum vltra Arrabonem fluvium progredi non paſſa. Chartuitius qui res à D. Stephano geſtas literis complexus eſt, prodigium ſanè quàm luculentum adijcit. Stephanum Virg. Matri, cui ſe ſuáque omnia pridem mancipaverat, ſupplicem factũ, ne alio quàm ſuo capite, ſi quas neglectæ religionis pœnas expoſcere ei viſum eſſet, pendi vellet, devotáque pro patria victimâ ſatiaret iras ſive ſuas ſive hoſtium, neque ſatæ nuper religionis ſegetem pateretur gladio Germanico meti; has preces hactenus valuiſſe, vt ſequenti die Cæſarianus miles, convulſis repentè ſignis vaſíſque conclamatis, caſtris excederet. Id ſeriùs animadverſum cùm admiratio-

Chartuit. in Vita.
Bonfin.

Stephani Vngari ad bellvm apparatvs.

Stephanvs Deiparæ ope invictvs.

nem ſimul bilémq; Conrado moveret, acclamatum vndique eſt, ejus imperio diſcedi; miſſam per omnes manipulos & contubernia notam teſſeram, qua ſolvere caſtra & retro, vnde venerant, abire jubcrentur; conſtantiâ idem aſſeverantium, etſi nullus apparebát auctor, Conradum impulſum, vt divinitus cantatũ receptui, & Stephani res Deo curæ eſſe crederet; neque auſum, perturbatis auſpicijs, contra tam ominoſam vocem revocare abeuntes. Wipo impenetrabiles paludes & impedita ſilvarum bello finem impoſuiſſe, nec quidquam amplius, ſignificat; neque aliter Conradum cœptis deſtitiſſe, quàm vt rediturũ. Stephanus metu liber oratores ad Henricũ Conradi Filium miſit, ſanciendi fœderis causâ; à quo etſi abhorrere Conradum manifeſtum erat, nihilominus ex Procerum ſententia pax petenti conceſſa. Aventinus cùm cauſam belli huius nullam reperiret, inſcitam fabulã commentus, repetitum à Stephano pro Emerico Filio BOIARIÆ regnum, quod Avunculus illius, Avus, Proavúſque tenuiſſent, ſine teſte ſcripſit, ſolita vanitate,

PAX VNGARO CONCESSA.

te, quam etsi nihil moramur, exsufflare tamen subinde & evertere, levi brachio, æquum est. In Germania interim Ernestus Conradi privignus omnia tumultibus miscuit; nuper vitrici indulgentiâ custodia solutus cùm Alemanniæ principatum, quàm Wernheri Kiburgensis Comitis amicitiam ejurare mallet, ad Odonem Campaniæ Comitem, materni generis fiduciâ, quo illum proximè contingebat, profugit; cùm auxilia contra patrem ab eo non impetraret, Hercinijs saltibus cum latronum globo insessis, viciniam omnem infestam habuit, Mangoldo potissimùm Nellenburgensi Comiti imminens; à cujus arce Falckenstainia auxiliorum adventantium metu abstractus cum eo acie conflixit, rebus omnibus præterquam ferocia inferior, quam quia causa non poterat, desperatio suppeditabat, vitam proijcere, quam exigere per ærumnas & probra præoptâti. Pugnatum est acerrimè, illic quidem victoriæ spe, hìc vnicâ curâ, ne inulti caderent lætámque hosti victoriam relinquerent. Damnatus voti vltimi Ernestus, Mangoldo Victoriæ immortuo,

ERNESTVS CONR. F. PACEM TVRBAT.

VVipo. Hermann. Hepidannus. Guilimannus.

OCCVMBIT.

VVernherum VVipo VVecilonem vocat, quo modo etiam ab alijs hoc nomen elatum observavimus.

ipſe quoque cum Wernhero Comite occubuit XVII. Kal. Sept. quem diem Hepidannus annotavit; Hermannus pridie, Wipo propridie pugnatum ſcripſere. Erneſti morte nunciata, Conradus id tantùm dixiſſe fertur, Rabidos canes ſtirpem non propagare; Iram cùm furere incipit, dentem in viſcera ſua ſtringere, & conceptam in alios perniciem ſibimet parere, ſignificans. Aucta hoc anno Religio novo in BOICA domicilio, quod Elſenbachij vls Rotam amnem à Diethmaro Leobergenſi Comite Babonis, cujus fœcundas nuptias ſuprà deſcripſim⁹, filio ſtructum à poſteris ad citeriorem ripam translatum à D. Vito nomen traxit. Mortuum eadem tempeſtate Welfonem BOICÆ Sueviæq; Dynaſtam comperio, cujus cum Brunone Auguſtano & Engelberto Friſingenſi impia bella ſuprà retulimus; quæ fato propior non modò ſeriò deteſtatus eſt, ſed juſtis omnib. piaculis caput noxæ exemit; cujus magnitudinem cùm Aquæ frigidæ cenſurâ, ſolenni illius ævi examine, agnoviſſet, annumerare vtrique Epiſcopatui amplas poſſeſſiones non antè deſtitit, quàm eodem

MONAST. S.VITI.
Metrop. Salisb. Hundij.

WELFONIS MORS.
Chron. Auguſtanum Mareſchalli Pappenhemij. Chron. VVeingart.

dem judicio absolveretur, atque, vt vetus autor loquitur, *ad perfectam purgationem perveniret.* Filium reliquit cognominem Carantano Limiti postea præfectum, itémque filiam Cunissam Azoni Estensi Marchioni nuptam. Welfonem Aribo Moguntinus Antistes BoIVS domo, proximo anno, secutus est: Italiæ cælum Româ digredientem VIII. Id. Apr. vita exegit. Longæ illi acrésque cum Gotthardo Hildesheimensi super Abbatiæ Gandersheimensis jure, quam vterque ad se trahebat, lites paulò ante Romanum iter sopitæ, Aribone pervicaciam confesso ejúsq; veniam à Gotthardo exposcente. Trigesimus secundus annus Conradum in Poloniam traxit, quòd Misceconis injuriæ neque ferri jam neque dissimulari possent: nam præter assumptum regium nomen, cui jam olim pater inhiaverat, Saxoniam etiam carpere ausus nec imbelli sexui nec inermi ætati pepercerat, carnificinâ quoq; in miseros exercitâ, ne simpliciter perirent. Vrgebant etiam Othonis supplices literæ, quem Misecò frater patria ejectū confugere ad Russos compulerat: vnde

A. MXXXII. EXPEDITIO POLONICA. *Hepidannus. Hermannus. VVipo. Chro. August. Vita S. Meinvverci.*

cùm

cùm melioris fortunæ ſpes nulla affulgeret, Conradi opem imploravit, convenítq; vt à fronte tergóque pariter, Othonianis inde, hinc Cæſarianis copijs Miſeco vrgeretur; Fama bellum confecit: Miſeco elapſus in Bojohæmiam Vdalrici Principis fidem eſt amplexus; quę niſi hoſti quàm hoſpiti potior fuiſſet, in media fata, dum ea maximè effugere laborat, incidiſſet. Vdalricus enim gnarus in offenſa eſſe apud Cæſarem ſe, ejus abolendæ ſtudio vivum ei ſe Miſeconem traditurum pollicitus eſt, optabili conditione, niſi Germano oblata fuiſſet. Conradus levitatem hominis deteſtatus negavit inimicum ab inimico ſe empturum; neq; cauponari ſed belligerare didiciſſe. Otho vacua provincia potitus brevi vitā cum imperio amiſit, inſidijs, quas minùs caverat, de medio ſublatus. Lætabile id Miſeconi & ad novas ſpes opportunum, quibus tam peritè inſtitit, vt in Cæſaris gratiam & ſolium repoſitus ſit; imminuto tamen imperio, provinciâ trifariam divisâ, duos potentiæ ſocios pati coactus eſt. Non agnoſcit hanc Principis ſui fortunam Chromerus,

CANDORIS GERMANICI DOCVMENTVM.

rus, ob domesticorum Annalium silentium, quib. ferè solis nititur maximus omnino scriptor futurus, si Ditmari, Wiponis aliorúmque coæva monumenta ei inspicere licuisset; quibus quia caruit, sæpe fabulas sed oratione nitida circumvestitas eóq; plausibiliores genti suæ venditavit, quarum fidem malè ambulantem nunc ad facem agnoscimus detegimúsque subinde, haud sanè obtrectandi studio, sed amore veri; cujus ne illi quidem cura defuit, si, per infelicitatem temporum, ejus indagandæ facultas adfuisset, cùm certi vnicíq; duces, quos nunc redivivos intrepidi sequimur, eo scribente, è tenebris suis nondum emersissent. Idem annus montis in Salisburgensem agrum procumbentis ruinâ memorabilis fuit; quinque stadijs superfusus veterem de illis finibus litem novus limes sepelivit. Dum ad Septentriones Conradus curat, Rudolphus Burgundio obijt, regijs insignibus ad Conradum transmissis. ejus voluntati vt inofficiosæ Odo Campaniæ Celticæ Comes non acquievit; ipse Rudolphi sorore natus regnum tamquam jure

MART. CHROMERVS EXCVSATVS.

RVINA MONTIS.

NOVÆ IN BVRGVNDIA TVRBÆ.

Vvipo.
Herman.

jure ad se pertinens invasit, novo bello materiam daturus; Ei per hiemem Conradus Henrico filio comitatus frustra institit; Asperitate frigoris, quantam mortalium nemo meminerat, exercitum vltimis malis fatigatum bello inutilē reddente. Iumenta sub dio exigere noctem coacta in suo obriguisse vestigio, neque, nisi dolabris effracta glacie, emersisse adustis pedibus semimortua, vt monstris similia poëtæ carminib. cantanda sumpsere; satísque constat, nonneminem desperata equi molitione, conglaciato exuvias detraxisse vltimum spolium. Necessariò ergo castra hybernis mutata; quæ Conradus cum filio Tiguri habuit; vbi à Burgundiæ proceribus vtriq; sacramentum dictum. Mitescente cælo patris impetus in Burgundiam effusus. Filius in Pannoniam profectus conciliatam nuper pacem novo fœdere sanxit. Trigesimi quarti anni Pascha Ratisbonæ actum; eò Guntherus Religionis studio post militiam cultæ clarus neq; nūc primùm nobis nominatus Vdalricum Bohemum biennio jam exulem adduxit, & patriam supplici pristinósque honores

IMMANITAS FRIGORIS. *VVipo.* *Herman.* *Hepidan.*

Chron. Altahense. A. MXXXIV.

BOHEMVS RECVPERATA DIGNITATE FEROCIOR.

nores

nores impetravit; quibus tamen in fratris Iaromiri injuriam abusus est, oculis misero effossis, cùm jam olim Boleslai è fratribus natu maximi crudelitate evitatus esset; Id causæ fuit, cur Conrado parente contra Odonem profecto, Henricus in Boiohæmum arma converteret, eo eventu, vt de suis vterque hostib. triumpharet. Vdalricus etiam in posterum patriam metu liberavit, malo fato post octo menses extinctus; pro quibus illi Cosmas tres annos largitur; & tum deniq; mortuum haud sanè ex merito cælo infert. In Luititios deinde Saxoniæ finibus infestos itum; qui cùm Saxones injuriarum autores duello, cui permissa ea lis fuerat, convicissent, compositis ad tempus rebus, Wirbinam arcem frenandis in posterum barbaris Cæsar imposuit; quam cùm ejecto vel occiso præsidio, sequenti mox anno, in potestatem adduxissent, concitatâ iterum in se Cæsaris irâ, inconsultam ferociam vltimis cladibus luerunt. Haud alio magis bello Conradi virtus eminuit. Vix dimidio sæpe corpore è paludibus extantem, corpusque animo, animum spe victoriæ sustinen-

PATRIS ET FILII CÆSARVM TRIVMPHI.

Annal. Altahens.

Cosm. Prag. in Chron.

A. MXXXV.

CONRADI IN BELLO CONTRA LVITITIOS MAGNANIMITAS.

VVipo.

nentem militis pariter Ducísq; munere functum sui viderunt. Pietatis magis quàm privatæ rei vllius jacturâ movebatur, tum maximè, cùm Dei in arborem suffixi simulacrum omni cōtumeliæ genere vexatum à barbaris intellexit. spu-

IMPIETAS VINDICATA

tis colaphísque fœdatum, exoculatum deartuatúmque vernilibus jocis in divinitatis injuriam procusis exagitaverant; quos ne impunè ferrent, in suis auctoribus repetivit & ad idem exemplum mutilatos perire membratim coëgit *Vltor Fidei* ab ejus ævi poëta vocatus exæquatúsque Tito & Vespasiano Augg. triginta Iudæos vno asse venales prostituentibus, qui Dei caput triginta numis licitati venditorem invenere. additum ad ignominiam Wilhelmus Malmesburiensis scripsit, vt quibus diebus majestatis insignia Reges induunt, lebetem coquinarium enormi vastitate quaterni gentis illius humeris suis ad focum deferrent, ignobili ministerio, quo tamen ab Henrico demum oneratos notavit, cui triumphum de victis Luititijs, quódque ineptius multò est, de Vindelicis etiam

iam decernit, insigni rerum nostrarum ignorantiâ.

Eadem tempestate, ne quid vsquam conquiesceret, Italiæ pax convulsa bellúmque non multò servili honestius cōflatum. Imperantium libidinem, oppressam libertatem, extinctam vim legum, quæque alia à querulis verè an falsò, non interest, jactari solent, cupida rerum novandarum plebes passim in circulis cōplorabat: desertam à Rege se Vicariorū velut hirudinum cupiditatibus exsugi, neque in cujus aurem aut sinum tutò calamitates ærumnásque suas exonerent, habere; si viri essent & liberos se natos meminissent, citò animadversuros, servitus à mediocris moderatíque Imperij patientiâ quid distaret; nunc velut callo obducto bonorum juxtà malorúmq; sensum perdidisse: facilè alioqui evicturos, vt jus fásq; norma legum esset, constarétque superbis dominis, ab invitis & nolentibus nihil impetrari. His vocib. inflati mortales ad seditionē grassabantur palàm ferentes, nihil morari Imperatorem sese, legislatores & libertatis suæ vindices, si ille cunctetur, vbivis re- INITIA BELLI. ITALICI. *Hepidan.* *Herman.* *Vrspo.* *Otho Fris.*

VVernherum VVipo VVecilonem vocat, quomodo etiam ab alijs hoc nomen elatum observavimus.

ipſe quoque cum Wernhero Comite occubuit XVII. Kal. Sept. quem diem Hepidannus annotavit; Hermannus pridie, Wipo propridie pugnatum ſcripſere. Erneſti morte nunciata, Conradus id tantùm dixiſſe fertur, Rabidos canes ſtirpem non propagare; Iram cùm furere incipit, dentem in viſcera ſua ſtringere, & conceptam in alios perniciem ſibimet reperere, ſignificans. Aucta hoc anno Religio novo in BOICA domicilio, quod Elſenbachij vls Rotam amnem à Diethmaro Leobergenſi Comite Babonis, cujus fœcundas nuptias ſuprà deſcripſimus, filio ſtructum à poſteris ad citeriorem ripam translatum à D. Vito nomen traxit. Mortuum eadem tempeſtate Welfonem BOICÆ Sueviæq; Dynaſtam comperio, cujus cum Brunone Auguſtano & Engelberto Friſingenſi impia bella ſuprà retulimus; quæ fato propior non modò ſeriò deteſtatus eſt, ſed juſtis omnib. piaculis caput noxæ exemit; cujus magnitudinem cùm Aquæ frigidæ cenſurâ, ſolenni illius ævi examine, agnoviſſet, annumerare vtrique Epiſcopatui amplas poſſeſſiones non antè deſtitit, quàm eodem

MONAST. S. VITI. *Metrop. Salisb. Hundij.*

WELFONIS MORS. *Chron. Auguſtanum Mareſchalli Pappenhemij. Chron. VVeingart.*

dem judicio abſolveretur, atque, vt vetus autor loquitur, *ad perfectam purgationem perveniret*. Filium reliquit cognominem Carantano Limiti poſteà præfectum, itémque filiam Cuniſſam Azoni Eſtenſi Marchioni nuptam. Welfonem Aribo Moguntinus Antiſtes BOIVS domo, proximo anno, ſecutus eſt: Italiæ cælum Româ digredientem VIII. Id. Apr. vita exegit. Longæ illi acréſque cum Gotthardo Hildesheimenſi ſuper Abbatiæ Gandersheimenſis jure, quam vterque ad ſe trahebat, lites paulò ante Romanum iter ſopitæ, Aribone pervicaciam confeſſo ejúſq; veniam à Gotthardo expoſcente. Trigeſimus ſecundus annus Conradum in Poloniam traxit, quòd Miſeconis injuriæ neque ferri jam neque diſſimulari poſſent: nam præter aſſumptum regium nomen, cui jam olim pater inhiaverat, Saxoniam etiam carpere auſus nec imbelli ſexui nec inermi ætati pepercerat, carnificinâ quoq; in miſeros exercitâ, ne ſimpliciter perirent. Vrgebant etiam Othonis ſupplices literæ, quem Miſeco frater patria ejectũ confugere ad Ruſſos compulerat: vnde cùm

A. MXXXII.
EXPEDITIO POLONICA.
Hepidannus. Hermannus. VVipo. Chro. Auguſt. Vita S. Meinvverci.

cùm melioris fortunæ ſpes nulla afful-
geret, Conradi opem imploravit, con-
venítq; vt à fronte tergóque pariter, O-
thonianis inde, hinc Cæſarianis copijs
Miſeco vrgeretur; Fama bellum confe-
cit: Miſeco elapſus in Bojohæmam V-
dalrici Principis fidem eſt amplexus; quę
niſi hoſti quàm hoſpiti potior fuiſſet, in
media fata, dum ea maximè effugere la-
borat, incidiſſet. Vdalricus enim gnarus
in offenſa eſſe apud Cæſarem ſe, ejus ab-
olendæ ſtudio vivum ei ſe Miſeconem
traditurum pollicitus eſt, optabili con-
ditione, niſi Germano oblata fuiſſet.
Conradus levitatem hominis deteſtatus
negavit inimicum ab inimico ſe emptu-
rum; neq; cauponari ſed belligerare di-
diciſſe. Otho vacua provincia potitus
brevi vitã cum imperio amiſit, inſidijs,
quas minùs caverat, de medio ſublatus.
Lætabile id Miſeconi & ad novas ſpes
opportunum, quibus tam peritè inſtitit,
vt in Cæſaris gratiam & ſolium repoſi-
tus ſit; imminuto tamen imperio, pro-
vinciâ trifariam diviſâ, duos poten-
tiæ ſocios pati coactus eſt. Non agnoſcit
hanc Principis ſui fortunam Chrome-
rus,

CANDORIS GERMANICI DOCUMENTUM.

rus, ob domesticorum Annalium silentium, quib. ferè solis nititur maximus omnino scriptor futurus, si Ditmari, Wiponis aliorúmque coæva monumenta ei inspicere licuisset; quibus quia caruit, sæpe fabulas sed oratione nitida circumvestitas eóq; plausibiliores genti suæ venditavit, quarum fidem malè ambulantem nunc ad facem agnoscimus detegimúsque subinde, haud sanè obtrectandi studio, sed amore veri; cujus ne illi quidem cura defuit, si, per infelicitatem temporum, ejus indagandæ facultas adfuisset, cùm certi vnicíq; duces, quos nunc redivivos intrepidi sequimur, eo scribente, è tenebris suis nondum emersissent. Idem annus montis in Salisburgensem agrum procumbentis ruinâ memorabilis fuit; quinque stadijs superfusus vetere m de illis finibus litem novus limes sepelivit. Dum ad Septentriones Conradus curat, Rudolphus Burgundio obijt, regijs insignibus ad Conradum transmissis. ejus voluntati vt inofficiosæ Odo Campaniæ Celticæ Comes non acquievit; ipse Rudolphi sorore natus regnum tamquam jure

MART. CHROMERVS EXCVSATVS.

RVINA MONTIS.

NOVÆ IN BVRGVNDIA TVRBÆ.
VVipo.
Herman.

jure ad se pertinens invasit, novo bello materiam daturus; Ei per hiemem Conradus Henrico filio comitatus frustra institit; Asperitate frigoris, quantam mortalium nemo meminerat, exercitum vltimis malis fatigatum bello inutilẽ reddente. Iumenta sub dio exigere noctem coacta in suo obriguisse vestigio, neque, nisi dolabris effracta glacie, emersisse adustis pedibus semimortua, vt monstris similia poëtæ carminib. cantanda sumpsere; satísque constat, nonneminem desperata equi molitione, conglaciato exuvias detraxisse vltimum spolium. Necessariò ergo castra hybernis mutata; quæ Conradus cum filio Tiguri habuit; vbi à Burgundiæ proceribus vtriq; sacramentum dictum. Mitescente cælo patris impetus in Burgundiam effusus. Filius in Pannoniam profectus conciliatam nuper pacem novo fœdere sanxit. Trigesimi quarti anni Pascha Ratisbonæ actum; eò Guntherus Religionis studio post militiam cultæ clarus neq; nũc primùm nobis nominatus Vdalricum Bohemum biennio jam exulem adduxit, & patriam supplici pristinósque honores

IMMANITAS FRIGORIS.
VVipo.
Herman.
Hepidan.

Chron. Altahense.
A. MXXXIV.

BOHEMVS RECVPERATA DIGNITATE FEROCIOR.

nores

nores impetravit; quibus tamen in fratris Iaromiri injuriam abusus est, oculis misero effossis, cùm jam olim Boleslai è fratribus natu maximi crudelitate eviratus esset; Id causæ fuit, cur Conrado parente contra Odonem profecto, Henricus in Boiohæmum arma converteret, eo eventu, vt de suis vterque hostib. triumpharet. Vdalricus etiam in posterum patriam metu liberavit, malo fato post octo menses extinctus; pro quibus illi Cosmas tres annos largitur; & tum deniq; mortuum haud sanè ex merito cælo infert. In Luititios deinde Saxoniæ finibus infestos itum; qui cùm Saxones injuriarum autores duello, cui permissa ea lis fuerat, convicissent, compositis ad tempus rebus, Wirbinam arcem frenandis in posterum barbaris Cæsar imposuit; quam cùm ejecto vel occiso præsidio, sequenti mox anno, in potestatem adduxissent, concitatâ iterum in se Cæsaris irâ, inconsultam ferociam vltimis cladibus luerunt. Haud alio magis bello Conradi virtus eminuit. Vix dimidio sæpe corpore è paludibus extantem, corpusque animo, animum spe victoriæ sustinen-

PATRIS ET FILII CÆSARVM TRIVMPHI.

Annal. Altahens.

Cosm. Prag. in Chron.

A. MXXXV.

CONRADI IN BELLO CONTRA LVITITIOS MAGNANIMITAS.

VVipo.

nentem militis pariter Ducísq; munere functum sui viderunt. Pietatis magis quàm privatæ rei vllius jacturâ movebatur, tum maximè, cùm Dei in arborem suffixi simulacrum omni cõtumeliæ genere vexatum à barbaris intellexit. spu-

IMPIETAS VINDICATA

tis colaphísque fœdatum, exoculatum deartuatúmque vernilibus jocis in divinitatis injuriam procusis exagitaverant; quos ne impunè ferrent, in suis auctoribus repetivit & ad idem exemplum mutilatos perire membratim coëgit *Vltor Fidei* ab ejus ævi poëta vocatus exæquatúsque Tito & Vespasiano Augg. triginta Iudæos vno asse venales prostituentibus, qui Dei caput triginta numis licitati venditorem invenere. additum ad ignominiam Wilhelmus Malmesburiensis scripsit, vt quibus diebus majestatis insignia Reges induunt, lebetem coquinarium enormi vastitate quaterni gentis illius humeris suis ad focum deferrent, ignobili ministerio, quo tamen ab Henrico demum oneratos notavit, cui triumphum de victis Luititijs, quódque ineptius multò est, de Vindelicis etiam

iam decernit, insigni rerum nostrarum ignorantiâ.

Eadem tempestate, ne quid vsquam conquiesceret, Italiæ pax convulsa bellúmque non multò servili honestius cõflatum. Imperantium libidinem, oppressam libertatem, extinctam vim legum, quæque alia à querulis verè an falsò, non interest, jactari solent, cupida rerum novandarum plebes passim in circulis cõplorabat: desertam à Rege se Vicariorũ velut hirudinum cupiditatibus exsugi, neque in cujus aurem aut sinum tutò calamitates ærumnásque suas exonerent, habere; si viri essent & liberos se natos meminissent, citò animadversuros, servitus à mediocris moderatíque Imperij patientiâ quid distaret; nunc velut callo obducto bonorum juxtà malorúmq; sensum perdidisse: facilè alioqui evicturos, vt jus fásq; norma legum esset, constarétque superbis dominis, ab invitis & nolentibus nihil impetrari. His vocib. inflati mortales ad seditionẽ grassabantur palàm ferentes, nihil morari Imperatorem sese, legislatores & libertatis suæ vindices, si ille cunctetur, vbivis re-

INITIA BELLI. ITALICI. *Hepidan. Herman. Vrspe. Otho Fris.*

VVernherum VVipo VVecilonem vocat, quomodo etiam ab alijs hoc nomen elatum obſervavimus.

ipſe quoque cum Wernhero Comite occubuit XVII. Kal. Sept. quem diem Hepidannus annotavit; Hermannus pridie, Wipo propridie pugnatum ſcripſere. Erneſti morte nunciata, Conradus id tantùm dixiſſe fertur, Rabidos canes ſtirpem non propagare; Iram cùm furere incipit, dentem in viſcera ſua ſtringere, & conceptam in alios perniciem ſibimet parere, ſignificans. Aucta hoc anno Religio novo in BOICA domicilio, quod Elſenbachij vls Rotam amnem à Diethmaro Leobergenſi Comite Babonis, cujus fœcundas nuptias ſuprà deſcripſimus, filio ſtructum à poſteris ad citeriorem ripam translatum à D. Vito nomen traxit.

MONAST. S.VITI. *Metrop. Salisb. Hundij.*

WELFONIS MORS. *Chron. Augustanum Mareſchalli Pappenhemij. Chron. VVeingart.*

Mortuum eadem tempeſtate Welfonem BOICÆ Sueviæq; Dynaſtam comperio, cujus cum Brunone Auguſtano & Engelberto Friſingenſi impia bella ſuprà retulimus; quæ fato propior non modò ſeriò deteſtatus eſt, ſed juſtis omnib. piaculis caput noxæ exemit; cujus magnitudinem cùm Aquæ frigidæ cenſurâ, ſolenni illius ævi examine, agnoviſſet, annumerare vtrique Epiſcopatui amplas poſſeſſiones non antè deſtitit, quàm eodem

dem judicio abſolveretur, atque, vt vetus autor loquitur, *adperfectam purgationem perveniret.* Filium reliquit cognominem Carantano Limiti poſtea præfectum, itémque filiam Cuniſſam Azoni Eſtenſi Marchioni nuptam. Welfonem Aribo Moguntinus Antiſtes BOIVS domo, proximo anno, ſecutus eſt: Italiæ cælum Româ digredientem VIII. Id. Apr. vita exegit. Longæ illi acréſque cum Gotthardo Hildesheimenſi ſuper Abbatiæ Gandersheimenſis jure, quam vterque ad ſe trahebat, lites paulò ante Romanum iter ſopitæ, Aribone pervicaciam confeſſo ejúſq; veniam à Gotthardo expoſcente. Trigeſimus ſecundus annus Conradum in Poloniam traxit, quòd Miſeconis injuriæ neque ferri jam neque diſſimulari poſſent: nam præter aſſumptum regium nomen, cui jam olim pater inhiaverat, Saxoniam etiam carpere auſus nec imbelli ſexui nec inermi ætati pepercerat, carnificinâ quoq; in miſeros exercitâ, ne ſimpliciter perirent. Vrgebant etiam Othonis ſupplices literæ, quem Miſeco frater patria ejectũ confugere ad Ruſſos compulerat: vnde

A. MXXXII. EXPEDITIO POLONICA. *Hepidannus. Hermannus. VVipo. Chro. Auguſt. Vita S. Meinvverci.*

cùm

cùm melioris fortunæ ſpes nulla affulgeret, Conradi opem imploravit, convenítq; vt à fronte tergóque pariter, Othonianis inde, hinc Cæſarianis copijs Miſeco vrgeretur; Fama bellum confecit: Miſeco elapſus in Bojohæmum Vdalrici Principis fidem eſt amplexus; quę niſi hoſti quàm hoſpiti potior fuiſſet, in media fata, dum ea maximè effugere laborat, incidiſſet. Vdalricus enim gnarus in offenſa eſſe apud Cæſarem ſe, ejus abolendæ ſtudio vivum ei ſe Miſeconem traditurum pollicitus eſt, optabili conditione, niſi Germano oblata fuiſſet. Conradus levitatem hominis deteſtatus negavit inimicum ab inimico ſe empturum; neq; cauponari ſed belligerare didiciſſe. Otho vacua provincia potitus brevi vitã cum imperio amiſit, inſidijs, quas minùs caverat, de medio ſublatus. Lætabile id Miſeconi & ad novas ſpes opportunum, quibus tam peritè inſtitit, vt in Cæſaris gratiam & ſolium repoſitus ſit; imminuto tamen imperio, provinciâ trifariam diviſâ, duos potentiæ ſocios pati coactus eſt. Non agnoſcit hanc Principis ſui fortunam Chromerus,

CANDORIS GERMANICI DOCVMENTVM.

rus, ob domesticorum Annalium silentium, quib. ferè solis nititur maximus omnino scriptor futurus, si Ditmari, Wiponis aliorúmque coæva monumenta ei inspicere licuisset; quibus quia caruit, sæpe fabulas sed oratione nitida circumvestitas eóq; plausibiliores genti suæ venditavit, quarum fidem malè ambulantem nunc ad facem agnoscimus detegimúsque subinde, haud sanè obtrectandi studio, sed amore veri; cujus ne illi quidem cura defuit, si, per infelicitatem temporum, ejus indagandæ facultas adfuisset, cùm certi vnicíq; duces, quos nunc redivivos intrepidi sequimur, eo scribente, è tenebris suis nondum emersissent. Idem annus montis in Salisburgensem agrum procumbentis ruinâ memorabilis fuit; quinque stadijs superfusus vererem de illis finibus litem novus limes sepelivit. Dum ad Septentriones Conradus curat, Rudolphus Burgundio obijt, regijs insignibus ad Conradum transmissis. ejus voluntati vt inofficiosæ Odo Campaniæ Celticæ Comes non acquievit; ipse Rudolphi sorore natus regnum tamquam jure

Mart. Chromerus excusatus.

Ruina montis.

Novæ in Burgundia turbæ.

VVipo.
Herman.

jure ad se pertinens invasit; novo bello materiam daturus; Ei per hiemem Conradus Henrico filio comitatus frustra institit; Asperitate frigoris, quantam mortalium nemo meminerat, exercitum vltimis malis fatigatum bello inutilẽ reddente. Iumenta sub dio exigere noctem coacta in suo obriguisse vestigio, neque, nisi dolabris effracta glacie, emersisse adustis pedibus semimortua, vt monstris similia poëtæ carminib. cantanda sumpsere; satísque constat, nonneminem desperata equi molitione, conglaciato exuvias detraxisse vltimum spolium. Necessariò ergo castra hybernis mutata; quæ Conradus cum filio Tiguri habuit; vbi à Burgundiæ proceribus vtriq; sacramentum dictum. Mitescente cælo patris impetus in Burgundiam effusus. Filius in Pannoniam profectus conciliatam nuper pacem novo fœdere sanxit. Trigesimi quarti anni Pascha Ratisbonæ actum; eò Guntherus Religionis studio post militiam cultæ clarus neq; nũc primùm nobis nominatus Vdalricum Bohemum biennio jam exulem adduxit, & patriam supplici pristinósque honores

IMMANITAS FRIGORIS. *VVipo. Herman. Hepidan.*

Chron. Altahense. A. MXXXIV.

BOHEMVS RECVPERATA DIGNITATE FEROCIOR.

nores

nores impetravit; quibus tamen in fratris Iaromiri injuriam abusus est, oculis misero effossis, cùm jam olim Boleslai è fratribus natu maximi crudelitate eviratus esset; Id causæ fuit, cur Conrado parente contra Odonem profecto, Henricus in Boiohæmum arma converteret, eo eventu, vt de suis vterque hostib. triumpharet. Vdalricus etiam in posterum patriam metu liberavit, malo fato post octo menses extinctus; pro quibus illi Cosmas tres annos largitur; & tum deniq; mortuum haud sanè ex merito cælo infert. In Luititios deinde Saxoniæ finibus infestos itum; qui cùm Saxones injuriarum autores duello, cui permissa ea lis fuerat, convicissent, compositis ad tempus rebus, Wirbinam arcem frenandis in posterum barbaris Cæsar imposuit; quam cùm ejecto vel occiso præsidio, sequenti mox anno, in potestatem adduxissent, concitatâ iterum in se Cæsaris irâ, inconsultam ferociam vltimis cladibus luerunt. Haud alio magis bello Conradi virtus eminuit. Vix dimidio sæpe corpore è paludibus extantem, corpusque animo, animum spe victoriæ sustinen-

PATRIS ET FILII CÆSARVM TRIVMPHI.

Annal. Altahens.

Cosm. Prag. in Chron.

A. MXXXV.

CONRADI IN BELLO CONTRA LVITITIOS MAGNANIMITAS.

VVipo.

nen-

iam decernit, insigni rerum nostrarum ignorantiâ.

Eadem tempestate, ne quid vsquam conquiesceret, Italiæ pax convulsa bellúmque non multò servili honestius cõflatum. Imperantium libidinem, oppressam libertatem, extinctam vim legum, quǽque alia à querulis verè an falsò, non interest, jactari solent, cupida rerum novandarum plebes passim in circulis cõplorabat: desertam à Rege se Vicariorũ velut hirudinum cupiditatibus exsugi, neque in cujus aurem aut sinum tutò calamitates ærumnásque suas exonerent, habere; si viri essent & liberos se natos meminissent, citò animadversuros, servitus à mediocris moderatíque Imperij patientiâ quid distaret; nunc velut callo obducto bonorum juxtà malorúmq; sensum perdidisse: facilè alioqui evicturos, vt jus fásq; norma legum esset, constarétque superbis dominis, ab invitis & nolentibus nihil impetrari. His vocib. inflati mortales ad seditionẽ grassabantur palàm ferentes, nihil morari Imperatorem sese, legislatores & libertatis suæ vindices, si ille cunctetur, vbivis re-

INITIA BELLI. ITALICI. *Hepidan. Herman. Vvipo. Otho Fris.*

Hhh per-

perturos. Quæ cùm ad Conradum perlata essent, brevi se Italiæ nova edicta & tabulas esurieti robustis legibus famem expleturum promisit. Italici interim proceres coitiones disijcere suadendo consulendoque in medium conati frustrà fuere, etiam armorum terrore ostentato nequaquam abhorrere à bello multitudinem experti; quod cùm conjuratis felix secundúmque evenisset, erecti animis accedere meliori causæ Deum & faventes superos blādi interpretes ominabantur. Laboratum per hæc tempora in BOICA animalium lue quantâ antehac nunquam; passim exhausta bubus præsepia & viduata apibus alvearia coloni luxerunt.

PESTILITAS ANIMALIVM.

A. MXXXVI. NOBILIA FVNERA.

Annus trigesimus sextus, Pilegrino Coloniensi, Gebhardo Ratisbonensi, Meinvverco Paderbornensi Antistitibus funestus fuit; Primi meminisse vel sanguinis causa æquum fuit, quo ad BOIOS pertinet, & hunc ipsum Gebhardum Erbonis Comitis Summontoriani * filium Aribonis Moguntini fratrem contigit, quem Pilegrini consanguineum Wipo disertè scripsit. Meinvverci nomen nostris

* Von Hohenwart *seu ab alta specula.*

Laur. Hochvvart. in Cat. Episc. Ratisb.

ſtris annalibus frequentatum ne nunc quidem ſileri debuit, cùm primùm vocari Divus cœpit, idque Gotthardi noſtri ore, qui ejus ad ſuperos migrationẽ divinitus cognita, eadémq; ad menſam hora invitatus negavit eam prandio ſuo tempeſtivam; ad aram ſe & vltimum pietatis officium charo capiti impendendũ vocari: Ea vaticinantem Nuncius interpellavit Meinvverci mortem deplorans. Cui cùm è veſtigio Gotthardus juſta perſolviſſet, tum demum accubuit, prehenſánsque manibus panem, ducto à pectore ſuſpirio, *Beate Meinvverce*, inquit, *ergóne lata tua ſimila* (verba ipſa recito) *ſubducere morti te non potuit?* & ego genium placem flore farris cras moriturꝰ? ne ſcilicet lumbrici de reliquijs querantur cibarij panis, quo mihi quidem quod ſupereſt vitæ ſuſtinere certum eſt. neque aliter, quàm dixerat, vixit, ſimilagine à menſa in poſterum proſcriptâ. Gebhardo in Ratisbonenſi Pontificatu itidẽ Gebhardus ſucceſſit Conradi Imper. ex Adelhaide matre frater, ante aliquot annos in Francofurtenſib. Comitijs præter

MEINWERCI OBITVS GOTTHARDO DIVINITVS SIGNIFICATVS.

CONRADI EXPEDITIO ITALICA. *Lambert. Vita S. Meinvverci. VVipo. Sigon. Herman.*

voluntatem ſacris admotus. Sub anni finem Conradus, Chunelinde Canuti Anglorum Regis filiâ Henrico Filio deſponsâ, iiſdem comitantibus, cum exercitu Italiam ingreſſus Natalem Chriſti Veronæ egit. Mediolani initium tumultuum factum, conjuratis Imperatorem de factionis ſuæ patrocinio appellare auſis. Ille petitionis impudentia offenſus comitijs Papiam coactis jus ibi publicè dixit legéſq; parum gratas ſeditioſis tulit; cognitóque furori plebeio Heribertum Mediolanenſem Antiſtitem favere, comprehenſum Poponi Aquileienſi Patriarchæ & Cunoni patrueli commendavit; ſed ille lentas Germanorum vigilias eaſdémq; vino largè præbito ſepultas familiaris ſervuli ingenioſa ope eluſit: herum hic ſtrenuè mentitus, ejus lecto occupato, ab omni alia cura excubitores avertit; neque mimus ante deprehenſus eſt, quàm Antiſtes, equo opportunè ſubmiſſo, Placentiâ elapſus ad ſuos redijt. Ea res Imperatorem vehementer in Mediolanenſes accendit. Vrbem ſua munimenta tutata ſunt; cætera opportuna injuriæ flamma ferrúmque pervaſit.

INGENIOSE EXPEDITA FVGA.

vasit. Acceptas tamen oppidanorum eruptionibus nonnunquam clades Sigonius affirmat; quarum etsi apud nostros auctores vestigium nullum extat, fidem tamen in re egregiè credibili accurati scriptoris non elevo; mirius est, Eliprandi ViceComitis victoriam, qui BOIVM Conradi nepotem Germanorum ferocissimū, Imperatore spectante, singulari certamine prostraverit, à Wipone, qui minutiora etiam annotavit, præteritam: sed fuerit id calamitatum prçludiū, quç, irâ Superûm, in totum deinde exercitū incubuerunt. Curbito D. Ambrosij castro obsidionem Imperator admoverat; quam dum vrget, repentè claro die, qui Pentecostes nobis nomine sacer est, serenum & innube cælum strepere, &, inter insolitos fragores, horrifici micare ignes, spargi totis castris crebra fulmina, cum hominum jumentorúmque pernicie; quam qui effugerunt, attoniti tamē afflatíque, capti auribus & oculis parum aberant à mortuis, ægrè post aliquot mensium torporem sibi redditi. Auxit stuporem, quòd ille cæli furor solis circumscriptus castris extra tendentes nec

ELIPRANDI CVM BOIO DVELLVM.

SÆVA TEMPESTAS.

murmure nec fulgetro quidem perstrinxit, manifesto argumento, in noxios tantùm Diviq; Ambrosij iram meritos cusa fulmina; quæ cùm militaris ferocia, simul atque desævijt, contemneret, exauctoratóq; Heriberto Cõradus Ambrosium quendam sufficeret, Bruno Würzeburgius, qui illum consecraturus erat aliique nonnulli eundem sibi Divum visum affirmarunt ardente vultu & pleno irarum, gladium Cæsari intentantem; quo prodigio nunciato oppugnatione destitit, &, salutato Cremonæ Pontifice, vitandi æstus causâ, exercitum in temperatiora stativa subduxit. Atrox illic in Cæsaris caput conflata conjuratio in apertum erupit. Heribertus Archiepiscopus & Langobardi Proceres Martinalia cæde Imperatoris & exercitûs cruentare decreverant. Id ex literis Adelberti, qui ad conscios internuncius commeabat, cognitum nostris saluti fuit; magisque indulgentiâ & excubijs Numinis quàm humana ope evitata pernicies est. Nihilominus Parmæ Christi Nascentis ferijs prope vltimum periculum ventum. Cives inter & nostrates coorta

D. AMBROSIVS SVAS OPES CLIENTESQVE TVTATVR.

Sigebert. Sigon.

CONIVRATIO DETECTA.

Chron Altahense.

Herman. Vvipo.

coorta seditione, cùm nostri graviter vrgerentur, & Conradus Cæsari in paucis charus ejúsque mensæ epulas inferre & explorare gustu solitus occubuisset, Cæsar jactari in tecta faces & promiscua cæde vindicari injuriam jussit. Non omisit tamen Reip. curam Conradus, tantóque fortiùs destinata animo executus est, quanto plura ex transverso hominum invidiâ inciderant fractura generosos impetus, nisi Virtuti res adversæ pro cote essent. Inter cætera Monachis Cassinatib. Richerium BOIVM domo Altahensem olim Monachum & tum Leonensis Monasterij præfectum Abbatem dedit etsi perinvitus, quòd illius opera in rebus omnibus plurimum vti solitus ægrè talem virum à suo latere dimitteret. Augusto tandem mense, tum maximè caloribus sese intendentibus, & contagiosa etiam lue exercitum depascente, per Adriatici maris oras in Germaniam properavit. Fœdum illud iter repetitis funeribus non ignobilium modò capitum, sed Chunelindis nurus & Hermanni etiam privigni redditum. Malis denique finem BOICA attulit, vbi mitiore

SEDITIO POPVLARIS.

RICHERIVS BOIVS CASSIN. ABBAS.

Chron. Altahense & Chron. Cassin.

Hepidan. Herman. Vvipo. Otho Frising. Sigon. Chron. Aug. Altahense.

FABVLA ANGLICORVM ANNALIVM.

cælo medicorúmq; induſtria recreatus exercitus reſpirare cœpit. Porro cùm quæ de Chunelindis præcoci fato diximus, teſtatiſſima concordi tabularum ſuffragio ſint, ridiculum ſe Wilhelmus Malmesburienſis facit, qui Henrici regis conjugem, Gunildam ipſi dictam, cõtactam ſuſpicione alieni amoris mariti gratiâ excidiſſe fabulatur: cujus probri eluendi causâ, cùm clientulum ſuũ, Mimecanum Matthæus Weſtmonaſterienſis appellat, nano corpore cum giganteæ molis delatore commiſiſſet, victorem impare duello pumilionem dominæ ſuæ innocentiam luculentè aſſeruiſſe; averſatam in poſterum mariti nequidquam eam repetentis contubernium & velo ſacro obnuptam inter ſtudia pietatis conſenuiſſe; quę evertere vt ſuapte vanitate ruentia ſupervacaneum eſt.

II. ANN. MXXXVIII. BEATA MORS S. GOTTHARDI.

Abierat jam ante deportatum in BOICAM exercitum ad Divos Gotthardus Hildeshemius IV. Non. Maij, nocte Chriſti cælum penetrantis ferijs proxima, quæ certiſſima nota Lamberti computationem cõtra nimis præcipites tuetur, annum, aut etiam biennium vitæ e-

jus

jus detrahere ausos; cùm etiam qui D. Meinvverci res tradidit, biennio prope integro Gotthardum ei superstitasse scripserit. Mortis præscius priore jam anno Ratmundum Altahensem abbatem suum ex sorore nepotem, cujus ævo inflammatum, quod modò nominavi, cœnobium ope D. Gotthardi restitutum comperio, ad Radilonem Mystarum Decurionem virum in paucis sibi charum ire nuncium mortis ejus jussit, & sponsorem insuper, abeuntis vestigia votis se & eodem pede haud ita multò pòst secuturum. Frequens deinde illi & jucundus de revisenda patria sermo, quam cùm BOICAM familiares interpretarentur & in comitatum nomina certatim darent, vno se contentum Bunone, cujus penicillo delectabatur, cæteros nihil morari respondit; eóque, quem designavit, die, vaticinij fidem læta morte in D. Mauritij monte explevit; æris Campani sono vulgatam Buno, quantumvis dissimulātibus amicis, intellexit, Divúmque promissi commeatûs commonefaciens, è vestigio est subsecutus. Mira humanísq; viribus majora, quæ vivus mortuúsque

Hund. in Metrop. Vita S. Gotthardi.

patravit, libros impletura jámque ab a-
lijs annotata prætereo; pauca tamen de
multis, quibus olim in patria inclaruit,
Boiis ſubducere invidiæ ſit, libenter
poſt tot bella, quæ penè omnes paginas
farciunt, ad hæc diverticula, velut à tu-
multu, ſeceſſuris gratulaturíſque felici-
Miracvla S. Gotthardi in Boica edita. tati locorum, quibus de domeſtico hoc
ſole propior radius obtigit. Et Altaha
quidem nutrix ſanctitatis ejus comme-
morare olim facundè ſtudioſéque eſt ſo-
I. Mors Pvlsa. lita, fœminam difficili partione pericli-
tantem, prole ſimul ab eo & vita beatam;
quæ vt meminiſſet Gotthardi precibus
ſe ſobolémque vivere, ſoſpitatorem ſu-
um divinitus edocta agnovit, ejúſq; no-
men filio impoſuit; quod ex eo tempore
paſſim per Boicam puerperis inclama-
re, vt ſanctum auſpicatúmque ſolenne
fuit, haud temerè fallente ſupplicũ vota
II. Item Febris. Divo. Paſſavij ardentem febrim pocillo
vini Cruce & bonis precibus expiato
III. extinxit: Idem beneficium Tekendorffij
IV. Lvcis vsvs redditvs. repetivit. Straubingæ cœcæ lucem red-
didit, cùm Servatoris Chriſti malagma-
V. Dæmon fvgatvs. te vſus lutum ſputo ſubactum oculis il-
leviſſet. Ratisbona ejus contra inferna-
les

les larvas vires admirata eſt, cùm fœminam devotorijs carminibus infamem & fruges pecudéſq; incantare, vſitato ſtrigibus maleficio, ſuetam ab inſeſſore dæmone liberaſſet. Paſſavienſis civis filio in magnas opes nato, ingenio tam hebeti, vt improbo triennij labore inter Elementarios jactatus nec primos literarum apices imbiberit, Gotthardus non longa prece ſtuporem abſterſit, vt illud olim deſperatum caput brevi omnibus homine libero dignis artibus imbutum & tandem etiam Patriæ mitra coronatum fuerit. Iuvenem claris natalibus ex arce Stanvvenburgenſi traijcere Danubium conantem vndæ hauſerant: Poſt horas tres ejecto in littus defletóque vltima juſta parata; quibus cùm Gotthardus interveniſſet, auſa eſt mater, ſanctitatis ejus fiduciâ, de revocando in vitam filio virum appellare, expugnavítq; modeſtiam abnuentis, vt jam in ſandapila compoſito fatalem ſomnum eadem voce abrumperet, qua liberator noſter Viduæ filium excitavit. Luci redditus ritéque expiatus negavit velle ſe provivere; nunquam ſecuriùs moriturū, quàm elutis

VI. HEBETVDO ANIMI CORRECTA.

VII. MORTVVS VITÆ REDDITVS.

clutis noxis, quibus parata dira incendia viderit, arsurus etiam ipse, nisi potenti manu à miserabili foco esset retractus. Nihil obluctatus Gotthardus mori eum jussit, eadem autoritate, qua illi antea vitam imperaverat: quam cùm mortui tam reverenter agnoscerent, nō potuit ea sanè à vivis sine scelere contemni. Evenisse tamen eo jam Episcopo memorant, vt solenni formula cœtu piorum moros absistere aris & templo facessere juberet, quousque sacram hostiam litasset; quòd cùm improbi contempsissent, aperiri illico mortuales vrnæ, & ex dudum sitis, nonnulli cadaveroso schemate nudis hærentes ossibus suis emergere tumulis, & sacra se æde proripere. Ex eorum scilicet numero fuerant, qui simili olim sententia proscripti cum Ecclesia nondūm in gratiam redierant. Spectaculum omni ævo inusitatum cùm præsētes perculisset, Gotthardus restitare contra imperium ausos vel ex mortuis discere jussit obedientiā; ijsdem aliquando accusatoribus apud Dei tribunal vrgendos ægrè patrociniū pertinaciæ reperturos in tam manifesta cau-

VIII. MORTVI DIVO MOREM GERVNT.

causa, quam etiam sepulti ad se crediderint pertinere. censura absolutos repetere loculos jussit non ante vltimū classicum surrecturos. Visi ij libertatē suam agnoscere, complosis osseis manibus & inclinata vindici suo calvâ, specub. quibus egressi fuerant, se abdiderunt. Sed de Gotthardo hactenus; cui etiam Stephanum Vngariæ Regem jungimus eodem anno Divis additum; cujus virtutes quantæcunque fuerunt natáque ex ijs felicitas aliquà ad Boios pertinent vt auspices fortunatissimi conjugij, quo Giselam cúmque ea incomparabiles opes, Fidem, Religionē, Pietatē, quémq; his constātissimè cultis tandem meruit, Deum sortitus est. quamquam ingrata posteritas iniquam Reginæ suæ vicē reddidit, fœdissimis contumelijs in ejus nomen grassata, quasi Vazulis, quem rex sibi successorem destinaverat, exoculandi, &, infuso in aures plumbo exsurdandi sanguinarium consilium dictaverit; cujus cùm nonnullos ej[9] gentis scriptores puderet, alteram Giselam commenti sunt è Burgundionum sanguine, Guilielmi F. qui D. Sigismundi frater fuerit,

STEPHANVS VNGARVS DECEDIT. *VVipo. Herman.*

CONVITIA IN GISELAM FALSO CONFICTA. *Ant. Bonfin. Dec. 2. L.*

quem

quem constat non minus quingentis ante hæc tempora annis mortuum. id vecordes illos non animaduertisse, vltimũ probrum est; frontem amisisse dicas, si quidquam sibi credi postulant. Filium ex Gisela Stephanus vnicum tulit Emericum in spem maximi regni genitum, nisi illud præ cælo fastidijsset; cui dum inhiat rationésque conquirit sine periculi potiundi, voce diuina doctus est, Cælum Virginibus in dotem dari, nec aliud esse in terris Bonum, cui intentus operi suo Deus oculos indulgeat prolixiùs, quàm castum animum cupiditatúmque vel nescium vel victorem. Id oraculum Emerico curam quærendæ sobolis exemit, impulítq; vt conjugium etiam, quod illi nobilissimum pater conciliarat, avunculi Henrici exemplo coleret in Geniali thoro Virgo; id nomen vt æternum ferret, De⁹ suo adhuc ævo vernantem, ante mortem patris, rapuit; neque defuit testis, qui triumphum subeuntis cælum spectasse se juratus affirmaret; Fidem dicto detrahere mortales prodigia vetuere, quæ ad tumulum edita famam illius per orbem propagarunt.

STEPHANI & GISELÆ F. S. EMERICUS.

S. EMERICI CASTITAS.

Pater

Pater moriens Petrum ſororis ſuæ filium inter Venetos natum hæredem ſcripſit. Giſelæ fortuna ex eo tempore obſcurior: comperta teſtataque ſuo loco prodemus. *VVipo. Herman.*

Proximus annus Conradum Imper. Trajecti Friſiæ Prid. Non. Iun. ſuſtulit. Corpus Spiram delatum eſt, Henrico filio, raro pietatis exemplo, ad omnium templorum aditus, quæ toto itinere occurrerunt, ſandapilam ſubeunte. Inter vltima encomia, quæ leſſus mortuo cantatus habet, quod BOIOS propriè ſpectat, id duntaxat reperias, *Noricis frena legis impoſuit.* Cuno illum patruelis ejúſq; æmulus Adalbero Carantani Duces ſecuti ſunt: Ex viris verò ſacratis Reginbaldus Spirenſis ſanctitatis fama inclitus, Eberſpergenſis Cœnobij nomine, cui olim præfuiſſe fertur, nominandus, & Engelbertus Friſingenſiũ Pontifex deceſſere; hic virtutis eximiæq; prudentiæ merito acceptus Cæſaribus eorum favore ad locupletandam Eccleſiam ſuam ſtrenuè vſus maximis ejus opes acceſſionibus auxit. Honorem Nitgero reliquit. *A. MXXXIX. MORS CONRADI IMPERAT. VVipo. Lamb. Tabulæ Eberſperp. Extant literæ apud Gevvold. in Metrop.*

Hen-

HENRICI EXPEDITIO BOHEMICA. *Herman.*

Henricus Rex, ducto paterno funere, rectà in Bohemos movit, Bretislai Principis, qui Vdalrico Patri successerat, ad rebellionem spectantis conatus inter initia oppressurus: & tum quidem quod armis voluit, famâ confecit; Bohemus viribus impar, filio obside misso, pollicitúsque in regis se potestate futurum, imminentem jam finibus exercitũ submovit: Henrico Ratisbonam in hyberna concedente, fidem vnà cum periculi metu exuit. Annum quadragesimũ Divæ Kunegundis ad cælum abitus memorabilem fecit. In cilicio animam agens, apparatum funebrem pristinæ fortunæ, quàm affectatæ paupertati convenientiorem comportari conspicata, collecto in vltimas voces spiritu, Ergóne reginam, inquit, sepelietis, quam ante annos quindecim condidi? & mortuam aurum decebit, quod abjeci vivens? Nimirum nescio terræ me filiam, aut timeo non agnitum iri à Christo, nisi moriar in purpura, cùm ille expirarit nudus. Miseram me, si tumulo gratiam conciliare vestis debet; sic Deo, sic Henrico culta sum satis; cujus exuvijs meas conjungite;

Staindel.

A. MXL. SANCTA S. KVNEGVNDIS MORS.

Vita S. Kuneg.

te; Animam ipse præsens ad se vocat. cum dicto ducem eum ad cælum secuta est. Corpus Babenbergam delatum cùm marito cõtumularetur, sunt qui vocem humana clariorem auditam referant, *Cede Virgini Virgo locum.* Prodigia secuta sine numero & largè manantia in ægros beneficia sacrum toti orbi mausoleum regium fecerunt; visáque tum demum vltima templo dignitas accedere, cùm Cæsares Virgines accepisset, quósque antea appellarat autores suos, nunc tutelares patronos veneraretur. Henricus Rex Paschalibus Ingelhemij actis, cum procerib. de repub. collocutus, sub autumnum iterum in Bretislaũ movit haud quaquam imparatum, vt expeditione proxima, nactus. Regio omnis perpetuis incincta saltib. difficiles aditus habet, & insidijs locandis opportunos: eò nihilominus Wernherus Comes animosior quàm prudentior miles inexploratò primos ordines induxit, fatigatósque inter iniquos flexus & invia manu ferróque aperienda, meliora mitioráque identidem sperantes hostibus velut ex compacto cõcidendos objecit.

Alb. Krantz. l.4.sax. *Hoffman.* *Annal. Bamberg.*

RESVMPTA IN BOHEMVM ARMA. *Staindel.* *Hepidan.* *Herman.* *Lamb.*

CLADES ACCEPTA.

præsidium firmissimo loco impositum habebant, quo vetante nulla progrediendi spes esse poterat. id, magis ne intentatum quidquam relinqueret, quàm quòd eo se potiturum confideret, adoriri fractum de via militem jussit, vano assultu, neque hostium magis increpationib. quàm ipsorummet, qui vires inutili labore prodigebant, confessione irriso. Coorti interim vndique Bohemi ex latebris sine vllo suo periculo nostros pecorum more impunè jaculis configebant, nullo ignavæ mortis effugio relicto. ne telum quidem cum vltimis iris animáque nisi in ventum effundere pereuntibus licuit. Wernherus inauspicatus Dux inter primos cecidit, vnus omnium eo exitio dignus. cædi superstites necessitati obsecuti deditionis indignitatem sine conditione subierunt: superba victoris arbitria expectantibus & vltimo defixis metu salus ex insperato affulsit. Guntherus jam suprà nobis memoratus ex milite Monachus eorúmq; saltuum incola de clade Germanici exercitus edoctus eo repentè accurrit, & sanctitatis magis pondere, quàm vi

B. GVNTHERVS DEDITOS SERVAT.

ora-

orationis Bohemos inflexit, ne vlterius sævirent, deditorum permutatione Bretislao filium, qui Henrico obses datus fuerat, conciliaturi; isque sequentis anni initio patri remissus nostros periculo exemit. Sub vernum tempus Henricus Säligenstadij conventum procerum habuit; de abolendo prioris anni dedecore actum, omnibus studia sua eo conferentibus, ne diuturna ea nota esset, quam virtuti Germanicæ iniquior fortuna inussisset. Instauratæ supplemẽtis veteres copiæ, novæ insuper adjectæ, ingenti animorum ardore; quódque nuper neglectum magno malo fuerat, majora etiam humanis præsidia conquisita. Placatum exercitui Numen; vires & victoria cælo devocatæ; collocati velut in subsidijs cõspicua virtute homines, qui alijs tela spargentibus, valentiorib. precibus hostem fulminarent. Henrici ante alios pietas eminuit, qui acceptæ cladis culpam invidiámq; in se transmovens imbelles in hostem vires suas palàm elevabat, victoriam sibi polliceri non ausus, nisi Deum priùs modestia sua vicisset. Prævideránt jam pridem animis Bohemi,

A. MXLII.

MAIOR SANCTIORQVE ADVERSVS BOHÆMOS APPARATVS.

Annal. Altahens.

hemi, quantum sibi incendium conflaretur, ejúsque avertendi vel extinguendi etiam studio legatos ad regem miserant nullam conditionis asperitatē subterfugere jussos, quæ pacem elicere posset; cujus illis ne sperandæ quidem potestas facta est, nisi populum, vrbes, agros, divina humanáque omnia Dux ipse præsens in Regis Germaniæ ditionem dedisset. ea domū renunciata ipsa prope morte intolerabiliora visa, defensæ quocunque eventu patriæ, quàm turpiter deditæ honestiorem famam aucupantibus. Igitur ad consilia jam vsu probata conversi saltibus suis abditi vias omnes dejectu arborum saxorúmque opposita mole, excitatísque per opportuna loca castellis ita sepiunt firmántque, vt ne timendus quidem vllus hostis videretur.

HENRICI INDUSTRIA & FELICITAS.

Id vbi Henricus animadvertit, clanculū de exercitu, quantum militū visum est, deducit; tētari nihilominus ad speciem per obstacula irruptiones, scindi aggeres, quantumvis inutili opera, sed ad fallendum hostem, & ab vlterioris periculi cura avertendum opportunâ jubet; ipse cum delectis silvas circuit, inobservatísq;

tísque callibus in hosticum penetrat, &, quòd neque pecus abactum erat, neque demessæ fruges, non necessitati modò, sed avaritiæ militum præda sufficecit. Circumductus per sesquimensem comessabundus miles fastidita ablectáque igne corrupit, hostem armatum nemo vidit: supplices subinde legationes auditæ spretæq;, quòd parum convenientia præsenti fortunæ loquerētur. donec, inconsulto Duce, provinciæ proceres cum Pragensi Antistite sibimet consulturi se suáque omnia Henrico permisére, rogantes vt nō modò victis sed dedititijs suis parceret; Ducem, nisi ferociam sponte poneret, propediem ex vinculis causam dicturum: Is de suo capite agi certus occupare vltimum gratiæ locum omni ope institit, pollicitus per legatos Ratisbonæ se ad Regis arbitrium, dicta die, futurū; vectigalis loco octo millia semissium regio pondere appensurū; captivos de Polonia abductos redditurum; si qua lege repetundarum teneretur, ex æquo facta æstimatione damnorum, læsis omnibus satisfacturum. In has sponsiones suum, & quatuor purpurato-

Bohæmi ad deditionem coacti.

rum filios obſides dedit; munitiones ànguſtijs viarum impoſitæ ab eo ſtrenuè dejectæ, complanatúmque exercitui illac tranſituro iter, vt ejus in patriam reditus triumphi ſpeciem habuerit. Secutus poſt quartum decimum diem Bretislaus ſqualore veſtis inſignis & nudus pedes in publico procerum conſeſſu regem adoravit, eáque demiſſione non invidiam modò & odia extinxit, ſed patronos cauſæ ſuæ conciliavit. honoratiſſimus quiſque loco ſuo conſurgens ſupplicem regi commendavit jam ſponte in mitiorem partem incumbenti, & ingenium ſuum ſecuturo. Levatum humo non modò in gratiam recepit, ſed honorem eidem confirmavit æquiſſimis legibus, in quas Bretislaus volens lubénsque juravit. Magna lætitiæ publicæ acceſſio ex rebus à Luitpaldo Adelberti Marchionis Auſtrij F. proſperè geſtis facta eſt. Is tempore vſus ſcilicet vrbem in BOIARIÆ Bohemiæque confinio ſitam & patri ſuo per vim ereptam repentè adortus momento cepit & ſolo æquavit, hominum pecorúmq; totis gregibus abductis, quos inter & præfecti filius

BRETISLAI SUPPLICIS MODESTIA.

HUMANITAS HENRICI.

LUITPALDI AUSTRII VIRTUS MILITARIS.

filius fuit. satis id Duci ad gloriam; sed miles prædæ dulcedine ad majora audẽda accensus impetum animi pro auspicijs secutus vsque in Boiohemum penetravit, eodémque felicitatis tenore latè omnia pervagatus, pedem non antè retulit, quàm spolia manibus, aut manus spolijs defuere. Luitpaldi ovatio triumphum regium exauxit; Laudato publicè donatóque etiam Bohemi Ducis equus, quem phaleratum instratúmque regiè Henrico munus adduxerat, virtutis ergo attributus. Bohemo invicem Præfecti filius vinculis liber redditus, tributíque dimidium remissum. Sub idem ferè tempus, quo provolutum Ducis sui solio Bohemum Principem BOICA vidit, superbiorem etiam cliẽtem ad ejusdem amplectenda genua Fortuna adduxit. Petrus is fuit, quem Stephanus Vngariæ rex vivus etiamnum regno imposuerat, firmandǽq; possessionis causâ, fratris sui filiũ eidẽ imminentem oculis, filios ejus patriâ multaverat; haud aliã pro his tam insignibus benevolẽtiæ documentis vicem reposcens, quàm vt Giselæ Conjugis, si quid sibi humanitus contigisset,

PETRVS VNGARVS SVÆ IN GISELAM INHVMANITATIS DAT POENAS.
Herman.
Marian.
Chron Altah.

superstitis rationem, quam par esset, haberet; reginam eam fuisse meminisset, itáq; de regno Vngariæ meritam, vt tota illi gens nunquã redditura sit operæ pretium: caveret proinde, ne aliâ præter viduitatem ærumnâ eam conflictari pateretur. Petrus prolixè omnia pollicitus, vixdum elapso à Stephani morte anno, cum simulato luctu fidem curámq; Giselæ posuit, & ex tutore prædo factus cultum ei à marito relictum vitǽque nõ ornamenta modò, sed etiam subsidia miseræ abstulit, & liberæ custodiæ angustijs circumscriptam non satis habuit arcere publico, sed etiam familiarium congressu & alloquio exclusit. Proceres indignam Reginæ sortem miserati regem officij sui datǽque fidei admonuere, qua lege regnum accepisset, quáve ipsi sacramentum ei dixissent, repetere animo jubent; non viduam eum, sed regni sui tutelam evertere, eadémque manu suam & reginæ dignitatem exscindere; felicẽ diutius, quàm ipsa sit, non futurum. Surdum ad has voces execrati, quòd obsideri aures illius à Budone nequissimo Palatinorum satis scirent, eum ad necẽ depos-

GISELÆ ÆRVMNÆ.

PROCERVM PRO GISELA STVDIA.

poſcunt, regéque contra hiſcere non auſo fruſtillatim concidunt: liberis ejus oculos excludunt. Rex ſe proximum eſſe, in quem ira verteretur, metuēs, quòd reliqui nihil videret, fuga ſibi conſuluit; ad Adalbertum Marchionem Auſtrium ſororis ſuæ maritum, *in terram* BOIARIORVM, vt loquitur vetus Chronicon, elapſus, eius fidei ſe fractáſque fortunas commendat; à Cæſare appellando verecundia eū abſtinuit, quòd ob miſſa Bohemo auxilia omnia alia, quā quorum indigebat, meritum ſe agnoſceret. Animatus tamen Adalberti oratione Regis clementiam tentare ſuſtinuit, feliciore, quàm pro ſpe, eventu; ſimul ac ſuis affuſum genibus Henricus vidit regem nuper nunc exulem, etſi ſcelere ſuo prius nomen poſteriore mutaverat, injuriarum tamen memoriam præſentis ærumnæ deformitate obruit; miſeratus humanæ ſortis vices & dura etiam in reges imperia lacrymas non tenuit, erectúmq; bonum habere animum juſſit, effecturū ſe pollicitus, ne diu eſſet miſer; regio interim animo, quando apparatu nō poſſet, res inclinatas ſuſtentaret, oſtenderétq;

PETRI FVGA.

HENRICI CÆS. IN PETRVM SVPPLICEM HVMANITAS. *Hepidan.*

rétque fortunæ, nihil ſibi præter purpuram detractum, neque infra hanc injurias ejus deſcendiſſe.

Salisburgum hoc anno Antiſtitem ſuum Diethmarum amiſit nervorum reſolutione extinctum. Balduinus poſt illum Pedum ſumpſit. Iſacus flumen ripas egreſſus Pozanum habitantibus Boiis, qui hodie Tirolij ſunt, magnas clades intulit, vitib⁹ paſſim eluvionē ſecutis, ædificijs etiam poſt abluta fundamēta ſubſidentibus. Sub hyemem Henricus Burgundos ſibi ſacramento obſtrinxit; Natalem Chriſti Argentinæ egit inſigni pompa, quòd Principum plerique eodem evocati confluxiſſent. Ibidem Legati Ovonis, quem pro Petro regnare Vngari juſſerant, adfuere. Superba eorum oratio fuit. crudè; ſine vllis ambagibus; quærebant, pacem an bellū deferendum in patriam ſibi rex daret. Rex neutrum diſertè optantes, vtrum mallent merituríque eſſent, propediem habituros reſpondit. In vtrumq; paratum nudam armatámque dextram hoſti & amico eadē fiducia porrigere; daturúmq; operam ne quiſquam gladium impune in-

OVONIS VNGARI SVPERBA LEGATIO.

MAGNANIMITAS HENRICI.

in ſuam injuriam ſtrinxerit. Canem quieſcentem non excitare ſe; latranti dentéſque exerenti ſe obviam iturum. Vt metui à bonis nolit, ita malos metuere, probroſum exiſtimare. Cordata reſponſio ferociam tyranni in rabiem egit. extemplo conclamari ad arma juſſit, & quòd mirè valere in bellis celeritatem audierat, tanto inimiciorem meditatis latrocinijs moram exiſtimans, repentè, non denunciatis antè inimicitijs, Boiorvm agro (ita veteres annales, quam hodiè Auſtriam vocamus, appellant) cum duplici exercitu ſuperfunditur; Auſtralem Danubij ripam vrendam ipſe ſibi ſumpſit: Aquilonarem Legato decem legiones trahenti omni vaſtitatis genere lacerandam objecit. XV. Kal. Martij à Treiſama amne Tulnam vſque rapido agmine graſſatus, quòd in furioſas popularis licentiæ & Bacchi ferias incidiſſet, pleroſque vino marcentes aut ſomno oppreſſit. Tectorum fumantium incendia, vltimi morientium gemitus, aut barbarorum vlulatus excitabant perituros, cùm jam ſupra caput ille calamitatis turbo eſſet, & ferrum jugulo immineret.

Irrvptio Ovonis in Boiariam.
Annal. Altahenſes.

neret. Tulnæ noctem vnam cùm exegisset, prædam collocare in tuto statuit. Idem ex compactoLegatus facturus fuerat, nisi illum Iustitia Vindex occupasset.

TRECENTI IN DECEM LEGIONES ARMATI.

Adalbertus Marchio & Luitpaldus Filius, incredibilem rem, quamque omnis loquetur ætas, ausi, cùm triginta nō amplius milites de familia sua armassent, cecinere tamen classicum, notóque signo vicinas arces periculi admonuere. Confluxere omnino trecenti; revixisse Lacones existima eodem numero Xerxi oppositos. Injectus tamen calor est animis, &, si nihil aliud daretur, pulchræ mortis cupiditas, quod fortib. viris proximum post victoriam votum est. Ardens patria admota oculis, quiritatus captivorum civium allapsus auribus, res domestica præda facta, hostis inultus& insultans nō victis sed oppressis generosos spiritus vsq; ad mortis contemptum acuebant. Duces vitæ prodigi& nobilissimum sanguinem Reipub. impensuri vile suum cuique caput fecerant. Ibant ergo devoti pro patria trecenti viri, in legiones decem trifariam divisas. Impedimenta & captivos prima servabat; altera locum in-

insidijs ceperat tertio agmini contra trecentos subsidio futura; quanquam ne id quidem ferri in tempore potuit, tam properè Bona causa triumphavit. Auctos viribus non suis & plenos Numine hostis non tulit. Ruina, non strages fuit, & plura funera passim aggerata, quàm facere tam pauculæ manus possent. Obtritis primis, integrum ad secundum agmen, in quo captivi erant, numerum tulere; huc quoque fulminis in morem invecti, brevi, quos captivos repererant, habuere commilitones. erepta hi vivis mortuísque arma vertére in dominos suos; fœminæ adeò, quod cuique sors telum dederat, vibrabant in cōmunem lanienam, iras habituræ pro viribus, & animis ex successu auctæ. jam condere ferrum cœperant & geminatam victoriam gratulabantur Divis, quorum se vmbras fatebantur & rorariam levis armaturæ cohortem; cùm tertium agmē ex latebris erumpens præliū integravit. Motæ igitur iterum cum Deo manus, qui & ferrum tot hebetatum cædibus & languescentes labore vires ita acuit, vt nulla sine morte plaga Vngaro inciderit: cō-

INAVDITA PVGNA & VICTORIA.

tra

tra ipsi impenetrabiles, & non nisi hostium sanguine cruenti. Desperatum ergo illico est, & in omnes partes eruptiones factæ, inutili plerisque fuga, quòd Maraha flumen intercluderet ruentes, & tentare vadum ausos hauriret, alijs inter cunctationem ingrediendi restitantibus victor à tergo hostis & metuendus præ ipsis gurgitibus gladius immineret. Pauculi Virtutis Germanicæ & cladis suæ nuncij futuri de tam copioso exercitu in patriam redierunt, quos inter Regis Legatus fuit, qui per ferrum & vndas equo transportatus, cùm in ejus conspectũ venisset, execratúsque suam & militis sortem tot legionum ruinam comploraſſet, miserum operæ legationísq; præmium tulit, evulsis oculis in longas servatus ærumnas, cui hostili gladio mitius jus dictum fuiſſet. Per eadem tempora, irruptione etiam in Carantanos facta, fortunam Vngari tentarunt; quæ cùm itidem lætis initijs eorum ferociam aluiſſet, in media cæcos fata induxit, & Gottfrido Marchioni concidendos objecit. Sic felix vnius diei latrocinium, quo se efferre Ovo cœperat, acceptis dex-

VNGARI à CARANTANIS CÆSI.

dextrâ lævâque cladibus, non vindicatum tantum puro pióque bello eſt; ſed, divinitatis viribus tam manifeſtè in ejus perniciem connitentibus, præter certũ impendentium calamitatum omen miſero, quod in patriam referret, nihil relictum. debitæ ſceleribus ejus clades nec lento ſecutæ paſſu longas tyranno ferias concederent, hic ipſe adhuc annus triſtibus exemplis abundavit. Quinto poſt memoratas victorias die Henricus rex BOICÆ Principatum in Henricum Henrici Moſellani & Kunegundis fratre genitum à ſe tranſtulit in Baſileenſi vrbe, ipſis Liberalibus. *Ann. Altahenſes.*

HENRICVS VII. HENRICI V. MOSELLANI FRATRIS FILIVS DVX BOIARIÆ.

Paſcha Cæſar Coloniæ egit, in ſolenni Principum conventu de nulla re prius referri paſſus, quàm de Vngarorũ injurijs; quæ etſi in ſuo ſuffocatæ exortu viderentur, & in auctorum caput ingenti ruina recidiſſe; negabat tamen vel hoc dandum improbo hoſti, vt quantumvis infelicis belli initium & finis in

ejuſ-

queret, totúsque in id incumberet, vt adventitia vnde vnde dote ærariū S. Wilibaldi solaretur, Henricum regē, cujus res nunc describimus, eò deduxit, vt * Neoburgēsem Parthenonē D. Henrici opus Eistadianis Pontificibus subjectūrū se pollicеretur, si D. Wilibaldi ossa ipsámque adeò dignitatis suæ sedem Neoburgi, deserto Eistadio, collocaret. Sed superis cordi non fuit è vetere domicilio sanctissimis auspicijs fundato avita sacra emigrare, aut Dei Matris cultui addictas Virgines, imminuto jure, Divi Cæsaris violata voluntate & rescissis actis, alteri velut in servitutem dari: Henricum certè, injecta divinitus religione, inconsultæ sponsionis pœnitētia subijt; qua cùm omnes Episcopi spes evertisset, tantus animo ejus mœror incidit, vt mortis oppetendæ, quàm Eistadij revisendi sibi copiam dari præoptaret, haudquaquam irrito voto: in eo ipso itinere decedentem Frisingensis Episcopus tumulavit. Commendanda hoc loco famæ egregia virtus Leodegarij Lechsmundiani Comitis Boici sanguinis, qui Heriberto ad clavum sedente, sagum toga

Translatio Episcopatus impedita.

Hoffman. in Annal. Bamberg. Norinbergensem subijcit, credo quòd de Neoburgensi cœnobio S. Mariæ Monialiū nihil comperisset.

Eum Hasenrietan. Anonym. malè Engelbertum nominat, antehac defunctum.

mutavit, & ex militari ordine in ſacrum adlectus vir ſine controverſia optimus à ſummis infimíſque eſt habitus. Sacrificantis aræ frequens ſemper populus circumfundebatur gloriari ſolitus tanti viri divina tam religioſè tractantis votis vota ſe junxiſſe. Opes, quas ingentes habuit, Deo ſacravit, Gemphingenſi potiſſimùm monaſterio, quod erexit, & D. Walburgis, quod locupletavit & auxit, contributas; annos quadraginta ſacerdotio præditus vltimum quinquenniũ cœcus exegit, fatiſcente & in putorem ſoluto corpore, cujus vitia vigore animi ſuſtentabat tam generoſo, vt, præter familiarium intimos, eum his incommodis colluctari nemo animadverterit. Ex ore animam exhalantis fax egredi ferríque ſublimè viſa: perfuſíque ſacro horrore, qui aderant, Numinis præſentiam non tulerunt. Poſt Heribertum Gotsmanni fratris bimeſtre imperium fuit, neque præter dedicatam D. Walburgis Ædem, quam Leodegarius ex humili auguſtiorem reddiderat, ejus ad memoriam inſigne quidquam ſupereſt. Succeſſorem illi Henricus in Goslarienſibus

sibus Comitijs sub anni finem Gebhardum dedit BOIVM gente, ex Hirspergiorum Comitum sanguine; etsi nonnullis aliter visum. Gebhardus eum Ratisbonensis Episcopus, cùm frustra pro Chunone Regem, cujus ipse patruus erat, prensasset, produxit ævi vix satis maturum; quo cùm moveri Regem Bardo Moguntinus Antistes sensisset, nunc eũ in imponenda dignissimo capiti Infula cunctatorem esse dixit, in quo exornando olim propè modum esset excessurus. Gebhardo deinde in Romani Pontificatus fastigium evecto, ei vaticinio sua fides constitit, uti & parentis somnio, qui cùm filium sub mitra Eistadiana aspiceret, refutatum esse nocturnum ostentum suum dixit, quo sibi pro Wilibaldo D. Petrus visus sit curam gregis Gebhardo suo commendare. Iisdem Comitijs Bretislaus Bohemus interfuit fideíque constantis argumenta dedit invicémque accepit. XI. Kal. Iunij Henricus Padebornæ fuit Legatósque Vngarorum pacem orantes Ratisbonam rejecit, BOIIS præsentibus, quorum commodo damnove ea pax futura sit, de postulati

Gundakarus. *Platina.* *Hund. Stem.*

GEBHARDI HIRSPERGII INITIA.

Anonymus Hasenriet. in Patronis Eistett.

Annal. Altahens. *Herman.* *Lambert.*

æquitate cogniturus. Ibi dum de conditionib. disceptatur, omnia in nihilum recidêre. Legatos BOIARIA excedere jussos è vestigio exercitus est subsecutus. qui cùm in eo esset, vt castellũ Rabinissæ flumini impositũ machinis verberaret, vltimam perniciem veriti Vngari, repetita legatione, in regis Henrici potestate futuros se spopondere; in captivis reddendis moram nullam fore; Ovonem parte regni cessurum, quæ Stephano olim honoris & amicitiæ causa sit contributa; auri insuper talenta quadringenta totidémque vestes annumeraturum: Giselæ viduæ, in quam nihilo meliore animo Ovo quàm Petrus fuerat, omnem pristinæ fortunę ornatum, expiatis damnis injurijsque, cum fide, restitutum iri. Pacta juramento & obsidibus firmata, in quos regi vitæ necísque jus esset, nî prid. Kal. Dec. pacis conditiones expletæ essent. Henricus cum incruento triumpho inGermaniam regressus Vlmæ procerum conventum egit. Constantiæ deinde inter sacros Antistites assedit, susceptámque ab ijs morum & pietatis caussam egregiè juvit, exemplo edito ad memori-

BELLVM VNGARICVM PACE MVTATVM.

moriam posteritatis insigni; *Quarto enim die, qui vulgò Indulgentiæ dicitur,* Hepidanni verba recito, *ipse gradũ cum Pontifice facundus orator conscendit,* & luculento sermone populum ad condonandas mutuò injurias inducendámque oblivionem offensarum est cohortatus, pulcherrimi facti doctor pariter auctórque: primus enim non præconis voce, sed sua, asylum clementiæ vtcunque de se meritis aperuit; redire se in gratiam cum toto genere humano, spontéque hebetatâ imperij sui acie, gladium bona fide condere professus, & si per factiosos & hostes pacis liceat, totum Germaniæ regnum olea coronare. Applausum est lætissimis clamoribus velut aureum seculum & antiquos mores in orbem reducenti, maximè cùm illud fœdus publicum per provincias vulgaret, vt regiæ vis humanitatis per totum Imperij corpus diffunderetur, & cùm pacem omnibus offerret, ab omnib. etiam impetraret. His auspicijs Agnetem Wilhelmi Pictaviensis filiam duxit splendidissimis nuptijs Ingelhemij celebratis; quò

HENRICVS PACEM PVBLICE SVADET.

HISTRIONIBVS ABDICATIS PAVPERES SVBROGATI.

Herman. Gottfrid. Viterb.

quò cùm planorum, histrionum & pantomimorũ integri greges, velut ad mercatum suum, confluxissent, aspernatus vanissimam gentem Henricus negavit se fumos, quos venditarent, empturum; & ne sportula quidẽ illos dignatus, commeatu, quem hi devoraturi fuerant, annonam pauperũ laxavit. Ne nulla tam serenos dies calamitas obnubilaret, Luitpaldus Austrius Vngarorum fulmen in medio ætatis flore extinctus Hymenæũ abrupit. Poppo eum patruus Treviris tumulavit, Rege, vt apparet, exequias ducente: Natalem certè Servatoris illic egit, Ovone jam ad ingenium & suas artes reverso; etsi didicisse vsu poterat, fraudem & vim, quæ sui regni columina statuerat, veriùs evertendæ potẽtiæ scopulos esse tot regum præcipitijs imperiorúmque ruinis infames, ad quos etiam ipse elidendus impellere sponte fata visus est, vt citò & insigniter periret. Initium à violatâ promissorum fide juratâ nuper Henrico regi factum. Hostem deinde foris quæsîsse nõ contentus, etiam id egit, ne quem amicum haberet domi, quanto quisque vel sanguine, vel virtute lon-

LVITPALDI AVSTRII HEROIS MORS.

OVO CONTVMACIAM RESVMIT.

Ann. Altahens. Bonfin. Dec. 2. l. 2.

te longiùs anteibat cæteros, tanto pejus eum oderat, alieni ſplendoris impatientiâ metúq; aſſurgentis in æquale ſibi faſtigium gloriæ: ſordibus ſceleribúſque contaminatos & ſuis tantum probris conſpicuos dignitatibus, quæ bonorum antea præmia fuerant, cumulabat; cum his conſilia cōferebat, quorum nec ſentire nec dicere quiſquam rectè poterat; ab his bonorum proſcriptiones dictatæ, decreta immeritis exilia, quæ ipſa tandem vt mitiora, finita morte, & ab haſta ad gladium ventum. hic dum, pruriente tyrannide, licentiùs vagaretur & non niſi ſceleratis parceret, rupit ſcilicet patientiam bonorum, & ex ingenio ſuo, ſi impune liceret modeſtis eſſe, quieturos excitavit impulítq; ad triſtioris conſilij capiendi neceſſitatem. Conjuratum eſt in caput tam infeſtum innocentiæ, & de reducendo Petro, quem Ovonis tyrannis jam omnibus conciliârat optabilémq; effecerat, clàm conſilia ſuſcepta; ea cōſcij indicio evulgata per auctorum jugulum exitura fuerant, niſi maturè ſibi fugâ ad Henricum ſuſceptâ conſuluiſſent. Ille ſupplicum cauſam non neglexit,

INGENIVM TYRANNICVM.

CONIVRATIO IN OVONEM.

xit, profectúsque extemplo in BOICAM per speciem exigendi tributi ante annũ pacti, plurium aliàs populorum vires secum trahere solitus BOIOS duntaxat Bohemósque sub signa vocavit, paucis probantibus tantam rem majore fiducia quàm apparatu suscipi,&periculoso hostis contemptu Fortunæ materiam peccandi vltro præberi. Cùm jam haud procul à finibus abesset, Ovonis Legati aut speculatores veriùs, cum fictis mandatis ementitísque obsequijs regi fucum facturi advenere: ea solùm orationis pars, quæ de transfugis dedendis erat, seria visa; atrocia ijs crimina objecta, quorum conscientiâ solum mutaverint, vt ijs neque suffugium neque exilium patere apud regem scelerum vindicem æquum sit; cùm proditores regúmque eversores non in suam tantùm patriam injurij sint, sed commune odium orbis terrarũ mereantur. Etsi nihil admodum moveri regem ijs dictis apparebat, exaggerata tamen ad invidiam eadem sæpius sunt, vt interim, per otium, quid rerũ apud nos ageretur, quantæq; confluerent copiæ, arbitrarentur. neque id Henricus prohibebat;

COPIÆ IN OVONEM LECTÆ.

bebat, quòd crescere hosti ferociam ex contemptione sui vellet, & causâ potiùs quàm numero niteretur. Vnde cùm jam non nisi diei itinere inter se duo exercitus abessent, pugnæ se potestatem in diem tertium facturum pronunciavit; eventum belli, quando alium pati Vngari judicem non possint, &, post rescissa pacta violatáque fœdera, jus tamen in gladio ferre se existimēt, valituram sententiam laturum. Cum his responsis legatos dimisit, quódq; interfuit temporis, præparandis rebus necessarijs animandísque militibus absumpsit. BOIIS præsertim id bellum vt proprium commendabat, non modò vt assuetis Vngaro hosti & jã olim sub Henricis & Othonibus ex eo spolia legere solitis, sed ob præsentem maximè injuriam, quæ cùm ipsos vnicè petat, haud sanè alios vindices postulet, quàm quorum gloriæ potissimùm intersit non lædi impunè nec diu cuiquam esse irrisui. Nullis, inquit, post Deum immortalem Vngari plus quàm BOIIS debent. quod maximum homini homo, quo majus dare nec Deus potest, ejus vestro beneficio compotes

HENRICI CÆS. AD BOIOS ORATIO MILITARIS.

» facti ſunt; Cælum illis aperuiſtis; Numen
» adorare, Æternitatē appetere, æſtimare
» virtutē, inter fas & nefas diſcrimē agno-
» ſcere, exuere barbariē, induere humani-
» tatem, vobis magiſtris didicerūt; quibus
» reb⁹ neq; par reddi pretiū poteſt, & ſi vel
» ſingulæ ſint, obruunt debitorem indele-
» bili nomine & in omnem poſteritatem
» duraturo. Enimvero ſi illud obliterare
» nulla vetuſtas poteſt, recētis adhuc quā-
» tam dignationem eſſe oportet? Nō ſunt
» ab avis veſtris proavíſq; hæc in illos be-
» neficia, quæ exprobrare ingratis nepoti-
» bus optimo nihilominus jure poſſitis, &
» tabulis agere contra inficiatores & obli-
» vioſos. Vos intuliſtis Vngariæ Deum:
» hæc prima Religionis ibi natæ ætas eſt;
» cunabula agnoſcitis melioris ſeculi, cu-
» jus vos auctores & auſpices fuiſtis. Vivit
» adhuc illa, quam immortalium fœcun-
» dam bonorum Vngariæ conceſſiſtis; ad
» cujus ingreſsū cùm vnica Fides & Pietas,
» quæque cognata his decora ſunt, pullu-
» larent in ſterili antehac ſolo & talium
» frugum inimico, qualé nomen merita
» ſit, an digna fuerit, quæ debito parenti-
» bus affectu à tota coleretur gente, non

eſt

' est quod vobis persuadeam. Illi ipsi, dum
' sana mens fuit, palàm præ se tulere, nullũ
' regno suo benignius sidus exortum esse,
' quàm Giselâ pedẽ eò inferente. Stephan'
' Rex, cùm filiũ, quem ex ea sublatum si-
' bi successorem destinaverat, cęlũ repe-
' tijsset, eòque etiam ipse vocaretur, hanc
' vltimam habuit curarum, ne regnum
' relinqueret ingrato, non sibi, sed Gise-
' læ; quo nomine cùm ei fratris sui filius
' suspectus esset, vivo ei oculos eruit, &
' ne quis sperare ex inviso sanguine regnũ
' posset, sobolem illius proscripsit. Petro,
' quem consortem regni adsciverat, non
' alia moriens mandata dedit, quàm vt
' Giselam, cui perpetuæ felicitatis origi-
' nes deberentur, ipse per se populúsque
' adeo omnis vt matrem patriæ coleret.
' Quæ vtinam mandata ei nunquam exci-
' dissent, neque ille de fortuna sua hodie
' quereretur, neque nobis belli hujus ge-
' rendi necessitas incumberet. Nam simul
' ac in Reginã suam vestri sanguinis Prin-
' cipem debitæ pietatis Vngariam pœni-
' tuit, pax tranquillitásque patriæ velut
' ejus incolumitate nixa, momento con-
' ciderunt, Inde Regum reverentia colla-
' basce-

» bascere, vilia eorum capita & venalia
» fieri, & alieno ipsi patrocinio egere, qui
» ejus tutelam neglexissent. Mutari dein-
» de regnum tyrannide, libertas in servi-
» tutem degenerare, proscriptiones, exi-
» lia, carnificinæ, cædes invalescere; fama,
» fortunæ, vitáque omnium periclitari,
» nihil cuiquam tutum esse: Quæ cùm ser-
» pentis pestilentiæ more regnum omne
» pervaderent depascerént que, poterat
» sanè abunde malorum videri, etsi vis
» externa nulla accederet; sed egit illos in-
» super in arma furor, & in vestros fines fa-
» talis quędam Nemesis impulit perituros.
» Quid enim aliud lymphatâ illâ & ebriâ
» vnius diei in agrum vestrum debaccha-
» tione factum est, quàm vt quiescentes
» hostili classico excitaremini, vt Iustitia
» vindex ferrum vobis in manus daret,
» quo vestri sanguinis injurias iretis vltũ.
» Illa illa decem legiones trecẽtis Heroib.
» vestris velut in arenam aut macellum
» concidendas objecit, &, veteris ævi re-
» novatis miraculis, Adalbertum Ducem
» Gedeoni exæquavit, certè vtrumq; cum
» trecentis triumphasse agnoscitis. Neq;
» verò quisquam ex eo numero tam va-
nus

nus est aut gloriosus miles, qui suis se pugnasse viribus aut familiari invulnerabilem lorica fuisse jactitet, cùm plerisq, etiam scutum defuerit. Major fortiórq; manus hostiliū telorum imbrem vel suspendit vel retroegit, vnde sparsus est; & divinior vis fuit, quæ ferrum medios secare homines solitum etiam ad vulnus fecit inutile. Atq;, vt nunc tandem consilij mei, quod paucis familiariū probari intelligo, rationem reddam, hanc scilicet habui causā, Commilitones, cur repudiatis cæterarum gentiū auxilijs, quæ sponte offerebantur, BOIORVM manu debellatum iri considerem, quantulacūque ea numerantibus potiùs exercitum, quàm expendentibus videtur. Sex millium numerus initus est, exigua adversus ducenta millia, quæ Ovo armavit, manus, & non ignavis tantùm, sed quibus omnis militiæ acta est ætas Martijs viris non factura spem victoriæ; quibus ego erigendis accendendísq; non repetam vetera dicta magnis Ducibus vsurpata, quibus hostium copias in contemptum adducebant; non persuadebo ijs, plures illic in acie stare, hîc plures pugna-

Hunc numerum in vtroq exercitu fuisse Glaber scribit l. 5. c. 4.

gna-

„ gnaturos; numerum apud hostes esse, „ nobiscum virtutem; locum illis nō modò ad pugnam, sed ne ad fugam quidem „ superfuturum. Sed neque mihi ipsi id „ arrogo, vt me comparari cum pluribus „ & vnum multorum instar censeri velim; „ Est tamen, Commilitones, cui vni libenter innitor, post cujus scutum formidare nefas duco, ille ipse quem nuper pugnantem in trecentis & agnovistis ipsi „ & scitis vinci non posse, & invictos reddere sibi auctoratos. Quem si præsentem propitiumq; vobis in eadem, quam „ nuper tutatus est, causa dubitassem, nimis mollis censura foret temeritatem „ meam accusantium; furor esset & crudelitas vestrum sanguinem sitientis & „ digni qui suum hosti primus propinaret. „ Sed patimini, quæso, me, Commilitones, ex ardore vultus vestri & habitu etiam animi mei, quem explicare frustra „ verbis coner, augurium capere militare „ & vobis victoriam polliceri. Ortum ex „ BOICÆ Principis contemptu bellum „ BOII pauculi numero non modò „ sustinuistis, sed, cæsis internecione „ hostibus, primos impetus ita repressistis,

ſiſtis, vt facturum me injuriam ſive vir‑
tuti, ſive felicitati veſtræ crederem, ſi
aut bene ominari ex rebus geſtis in fu‑
turum dubitarem, aut ad conficien‑
di belli gloriam ſocios vobis aut æmulos
potiùs ſub oculos adduxiſſem. Equidem
beatum me exiſtimo, exercitûs divina
non mea auſpicia ſequentis Anteſigna‑
num & Immortalis Imperatoris Legatũ
eas me copias ducere, in quib. mihi cer‑
tum eſt Divos Henricum, Stephanum,
Emericum primos ordines ducere, &
pro Sorore, Conjuge, Matre validiori‑
bus armis pugnare; hos ſubmoveat ne‑
ceſſe eſt, qui latus veſtrum aut jugulum
petit. his vos invicem manus commo‑
dabitis; vos videbit hoſtis, illos ſentiet;
veſtris telis, illorum fulminibus ruet;
cúmque ipſi vicerint, (quæ cœleſtium
animorum, quos ambitio non tangit,
bonitas eſt,) non ſpolia modò vobis e‑
molumentáque victoriæ, ſed etiam de‑
cora permittent; quanquam verecun‑
diæ noſtræ nõ eſt involare etiam in hanc
partem gloriæ. Triumphum vobis, auxi‑
liares Divi, remittimus; nos laureatos
currus devota vobis turba cum plauſu

ſeque‑

ſequemur. Incredibile dictu eſt, regis fiducia Deo tã conſtanter nitẽtis quanta Boiorvm animos alacritate & erga Deum Divóſque velut præſentes reverentia perfuderit. vix humano ipſe ore loqui viſus & inſtinctu divinitatis non præſagia animi ſed oracula fundere. & verò etiam à D. Vdalrico Epiſcopo impulſum ad id bellum Marianus diſertè ſcripſit. Avidi proinde pleníque bonæ ſpei, die condicto, ad locum certaminis fidenter progreſſi hoſtem non invenerunt, quòd vltra Rabiniſſam flumen ſive transfugiſſet, ſive commodiorem caſtris locum cepiſſet. Sequi nihilominus certos reſtagnantes aquæ & hoſtium machinæ per intervalla diſpoſitæ (catapultas & petrarias baliſtas ea tempeſtate vſitatas intelligo) moratæ ſunt: ijs quoq; circuitu vitatis, nocturno itinere vadum repertum; eo cùm miles noſter in vlteriorem ripam evaſiſſet, Vngari tutelâ fluminis deſertâ, relictis ſtationibus, tormenta & inſignem commeatum noſtris diripiendum permiſere. Arrabone tandem trajecto, hoſtis in conſpectu fuit. Immenſam planitiem impleverant cõfer-

Boii Divinitus animati ad pugnam.

Ovonis acies.

fertissimi ordines, cornibus vtrinque quàm longissimè extentis, vt exercitûs nostri in medium recepti non modò raritas deprehenderetur, sed circumiri totus compingíque velut in caveam posset, flumine receptum negante. Non cepit lætitiam animi Ovo aspirantísque consilijs suis Fortunæ tam tempestivam benevolentiam, quæ, ereptâ hostibus suis mente, ferarum more eos in venabulum egisset; ostendebátque obequitans suis conclamatû BOIORVM agmen, vt victimas aræ addictas properantes ad cultrum. Iam ad teli jactum pervenerant impares acies, cùm Cælites, vt præsentes agnosceres, inchoatâ pugnâ, præcoces Ovonis spes mirabili prodigio turbarût. Densissima caligo nô animis modò sed corporibus hostium circumfusa amicorum pariter inimicorúmq; agnoscendorum eis copiam eripuit. Trepidare illico mente oculísque capti, neque vllum, vt in re improvisa inauditáque, consilium expedire; moveri loco & subsistere ex æquo intutum; nulli quisquam fidere; proximum quemque vt hostem cavere, imminentémque cervicib. mor-

CALIGO HOSTIBVS OFFVSA.
Rudolph. Glaber l.5.c.4.

tem in momēta opperiri: Nihil eæ tenebræ in noſtrum agmen potuere; ſudo cælo & puro ſole fruebatur, vt noctem diémq; non niſi paſſuum aliquot intervallum divideret, majore penè, quàm apud Ægyptios olim, miraculo. Coortus inde vehemens turbo concitatum à fundo ſabulum, quo campi illi obruti ſunt, in adverſa ora oculóſque hoſtium immiſit, noſtris hujus quoque mali immunibus, qui, creſcentibus inter hæc [illegible]m mira præludia animis, cum tenebris pariter pulveríſque infeſtâ nube luctantes adorti in frontem pariter & latera pugnavere. Vltimæ iræ & contempta noſtrorum paucitas, eaque ipſa perditorum hominum, quorum fidem Ovo auro expugnaverat; literis elevata & velut primo impetu proculcanda in acie aliquandiu Vngaros tenuere; ſed cùm ſtrages vndique ruinæ ſimilis fieret, fuga quàm pugna tutior viſa; noſtris nihilominus reſiſtentium ora, fugientium terga fodientibus; quibus cùm ad ſex millia paſſuum inſtitiſſent, ſpatium illud omne cadaveribus inſtravere. Numerus cæſorum initus non eſt, quòd innumerabi-

VENTVS IMPVGNAT VNGAROS. Chron. Altah.

PRÆLIVM.

VICTORIA.

rabilem victores censerent; nostrorum *Herman.*
paucissimi desiderati. Diem prodigiosæ *Hepidan.*
victoriæ ne posteritas ignoraret, in fastos *Glaber.*
referre visum: is est III. Non. Iulij. Rex
eo prælio non magis Ducis quàm militis
officio functus rerum vno die gestarum HENRICI
magnitudinem animo mensus nihil sibi RELIGIO.
suísque modestus æstimator imputans,
detractis corpori armis regióque cultu
posito, laneo sago invicem amictus nudis pedibus ante Crucis vexillum procubuit primúsque Christo triumphum & victoriam amplissimo præconio addixit: secuti Ducē faustis acclamationibus milites, manantibus gaudio lacrumis; cæsi hostis dec' à se in Cælites transtulerũt. Ipsi velut cōmilitones Divûm & immortalibus accensi ne parum agnovisse tam nobilis militiæ dignationem viderentur, iras offensionésq; eijcere ex animo, ruere in mutuos amplexus & sancta inire fœdera pietatémque totis castris recipere, ne quod nefas cælestes à se animos abalienaret. Tota subinde Vngaria in deditionem accepta Petrum, Hērico inaugurante, Albæ Regiæ, quæ caput Regni est, ejurato Ovone, iterum re-

PETRVS IN REGNVM RESTITVTVS.

 gem

BOICVM IVS AB VNGARIS VSVRPATVM. gem accepit. Vngari invicta BOIORVM signa experti eorum jure legibúsq; sibi vti vivere liceret, petierunt impetrarúntque. *Herman.* Henricus pace regno redditâ exercitum inde deportavit. Ratisbona *Ann. Altah.* cùm adventanti triumphum adornasset, non ante regiæ successit, quàm templa omnia supplicantis habitu, in vili amiculo excalceatus obisset, & quotquot tota vrbe Divûm aræ visuntur, ad vnam omnes pretiosa veste instravisset. PIETAS PVBLICA. Miraculo regis pietas & exemplo fuit; sacri juxtà profaníque illud æmulati more vtrique suo pietati litarunt; vrbs tota divinis laudibus exsonuit, & vetera memoriâ repetentibus ejus diei lætitia incomparabilis visa. OVONIS INTERITVS. Ovonem ex prælio ablatum humile tugurium diu abscondere non potuit; cælestis flamma excussa fulmine cõtactum scelerati hospitis impietate exussit. Vagantem deinde per incerta latibula Petrus ad gladium protraxit. *Mart. Hoffm. in Ann. Bamberg.* Henricum BOICÆ Ducem à Suidegero Babenbergensi Antistite viginti Auri talenta pecuniæ sacræ hac tempestate accepisse mutuò comperio, prædijs nonnullis Danubio imminentibus pignori

gnori oppositis, quæ nisi ad certã diem ab ipsomet fratribúsve ejus redimerentur, perpetuum in ea jusEpiscopio esset. Sed claudat auspicatissimum BOIORVM gloriæ annum insigne Henrici regis facinus, quod expeditioni Vngaricæ Glaber connectit, & verosimile est ad BOICAM pertinere. Nobilis Cœnobij Antistes in regiæ spem gratiæ Henrico equũ adduxerat, placitum munus neque indignum tali sessore. Haud multò post eidem insidentem miles de turba compellavit, satísne regem se meminisset, qui justitiæ vindicẽ professus militis sui spolijs superbus incederet? se quidem, si cẽsorem pati posset, ei equum adempturum. Ius suum petebat miles; quòd id animal furto illi abactum, venditúmque Antistiti mala fide ad Regem pervenisset. Rex libera interpellatione minimè omnium offensus, si quidem vera narraret, in ejus se potestate futurum pronunciavit, neque morari, quo minus obligatum sibi, quò vellet, duceret. Ille vilitatem suam irrisui esse regi ratus conticuit. Tum verò hortari rex, & verò cogere, ne jus suum omitteret, injectáque

MEMORABILE IVSTITIÆ CVLTÆ IN CÆS. EXEMPLVM.
Glaber l.5.c.4.

manu obnoxium sibi assereret : sustinuítque, aspectante populo, in militis contubernium velut custodiam abduci se teneríque, donec illi de damno cumulatè esset satisfactum. Abbatem deinde, quem vltima exempla meritum amici vociferabantur, accitum ad se, Pedum dignitatis insigne ponere jussit; quòd nō optimis artibus eo potitus, nunc quoq; emptis favoribus plus quàm virtute niteretur: illud dextræ Servatoris, cuius Imago in conspectu erat, insertum recipere jussit, insperatæ metu jacturæ perfudisse hominem contentus, monuisséque, ne quem, præter illum, cui aditi gestíque honoris rationem redditurus esset, respiceret : sacra qui emerit vendideríty e, in Dei foro, vbi neq; corruptelis sit locus nec pretium auro, benigna suffragia & patronos zonâ non paraturum. Ita Præsulis correcta cupiditas est, & Regis modestia æquari sibi jure gregarium militem ferentis & velut in pompa scenica circumducti in gloriam vertit.

LENIS CASTIGATIO.

IV.
A. MXLV.

Sequens annus alternante fortuna acerbis casibus regem, non inutili tamē

mixturâ, exercuit. Vernum jejunium Frisingæ auſpicanti Legati Vngariæ regis ſui nomine, magnis precibus inſtitere, vt pacem ſalutémque, quam patriæ peperiſſet armatus, inermis ſtabiliret, & lætas filio ſuo (hoc nomine Petrus cenſeri voluit) Pentecoſtes ferias optato congreſſu faceret. Annuit poſtulatis rex; & cum Paſcha Goſlariæ egiſſet, Othoni Palatino Comiti Othonis tertij ſororis filio Principatum Alemanniæ conceſſit. Eum Othonem Witelſpachium Guillimannus facit, cùm id nomen, arce nondum condita, tum ne extaret quidem. Inde Ratisbonæ conſcenſo navigio, Paſſavij Chriſti in cælum reducis triumphũ Chriſtiano ritu coluit. Bruno Würceburgius Regem ſequebatur, cui inter infames ſcopulos, qui medio extantes Danubio illiſum magno impetu flumen reverberant & in vortices torquent integra navigia hauſturos, ſpectrum dirum inauſpicatúmque terrifica voce lethum præſagijt: & videri quidem audiríq; excantata ſacris ceremonijs larva deſijt, mali tamen ominis fides proximo hoſpitio eſt exſoluta, quo illum Richildis A-

Chron. Altah. Herman.

SPECTRVM EPISCOPO MORTEM DENVNCIAT.

dalberoni Eberſpergenſi Dynaſtæ nuper
Ann. Eberſp. fatis functo nupta vnà cum rege accepit.
Ann. Altah. Loco Pőſen-poigo nomen erat, quem
Herman. D. Sebaſtiano mariti voto deſtinatum
AVARITIA DIVINITVS VINDICATA. transferre in Welfonem fratris filium vidua optabat, Altmanno Abbate Eberſpergenſi haud refragante, Régéque ad id exorato, vt munus ratum eſſe vellet: jámq; elata manu vocem ex formula erat emiſſurus teſtem ſuæ auctoritatis, cùm triclinium repentè concidit convivásque gravi caſu alliſit. Rex cùm imus volveretur, effusíque ſuper caput ejus complures magno ei pondere incumberent, periculo tamen, pauxillo impendio, defunctus eſt, brachij ſumma cute perſtricta: Epiſcopus, Abbas & Richildis vidua ſublati pro mortuis in paucis diebus expirarunt; neque vlli dubium fuit, iratum Numen has avaritiæ in D. Sebaſtiani opes graſſantis pœnas exegiſſe, involutis eadem ruina omnibus, ad quos mali conſilij noxa pertinuit. Ejus cladis imago corpori animóq; impreſſa plauſus, quibus Vngaria adventantem excepit, aliquantillum refrigeravit. Petrus,
REX VNGARIÆ CLIENS CÆSARIS. vt cujus beneficio regnaret, palàm facere-

ret, hastam auream Regum insigne Henrico in manus dedit, redditámque, confirmato regnandi jure, accipere se velut Henrici beneficiarium præ se tulit, & vt facta dictis suppeterent, ingenti auri vi devotum obsequio animum testatus est. Rex inde ne tãtillum quidem delibavit, sed in BOIOS, quorum strenuâ operâ prioris anni bello vsus fuerat, totum effudit, laudabili munificentiâ. Abeunti Pannoniâ Giselam Stephani Regis viduam adhæsisse Aventinus scripsit; ætatis reliquum collocare in tuto & bis ictam effugere tertium fulmen voluisse, credibile fit; & mausoleum illius, quod Passavij ostenditur, argumento est, in BOICA decessisse: ejus vrbis Pontifex Beringerus seu Benno hoc anno naturæ satisfecit; suffectus est Egilbertus seu Engelbertus Reginæ sacerdos domesticus. Regem ad Triburiensia Comitia properantem Francofurti morbus oppressit tam gravis quidem, vt, victâ medicorum arte, prope desperationem ventum sit. Iam privatis conciliabulis mussitari de successore cœperat; Henricus BOICÆ, Otho Sueviæ, sacri item Principes com-

GISELA PANNONIA EMIGRAT.

MORBVS CÆSARIS.

plures providendum ſibi, ne quid Reſp. detrimenti caperet, arbitrati, quem rebus, mortuo Henrico, imponerent, circumſpiciebant; magnâ in Henricum Hezelonis filium inclinatione: eum patruelem Othonis ſuprà nominati veteres chartæ appellant, nullâ certiore notâ additâ, quod ſolenne antiquitatis vitiũ fuit nuda nomenclatione dubiam poſteritati lucem præferentis, quæ atiolis & familiarum ornamenta conquirentibus audaciam auxit, in quas viſum eſſet claſſes gentéſque infundendi incerta nomina, quæ velut prædæ expoſita primùm occupantis eſſent futura. Nos & aliàs illa licentia nobis interdiximus, & in hujus Henrici Natales tanto libentiùs inquirere ſuperſedemus, quòd præcox & ſupervacua de illo producendo cura fuerit, Rege ex inſperato convaleſcente. Abijt invicem ad cælites VII. Id. Octob. Guntherus, quem clarũ militiæ artibus, ſed virtutum ſuarum triumphis longè clariorem vaſtum BOICÆ ad Aquilonem nemus diuturnum hoſpitem habuit; cujus tenebris etſi quadraginta annorum Acta pleraq; ſepulta ſunt,

B GUNTHERI MORS.

ſunt, quæ tamen, vel invito eo, promicuere, protraximus in publicum; quibus auctarium ex Arnolfo Comite poſſit accedere qui Gunthero familiariter ſe vſum gloriatur, déque eo etiamnum ſuperſtite vt Divis ſuppare & extra comparationem censúmque mortalium poſito loquitur & ſcribit. Ex illo religioſiſſimi viri convivijs cognitum eſt; cùm ſubinde nivibus ſepulto mortuas hiemali rigore herbas & fagi folia nullo domanda foco vltima fames in cibum vertit. At enim quando cruda omnia injurijs citiùs concoqui poſſunt, neq; vlla re certiùs Chriſtiani robur ſtomachi agnoſcitur, quàm generosâ contumeliarum patientiâ, operæ fuerit etiam in hac palæſtra Guntherum ſpectandum dare virtutem intelligentibus. Tammo quidam Saxo gente, ordine ſacerdos in eius diſciplinam ſe dederat neque factus ad illud jugum, priúſque Magiſtro calces oſtenſurus, quàm ad tam ſeveri moris tolerantiam manſueſceret. Hinc cùm brevis ſimulatæque modeſtiæ eum ſatias cepiſſet, notata illius ad ſodales dicteria ſunt ſalſa atque improba, ex quibus ſubinde

Arnolph. l. 2. de S. Emmer.

GVNTHERI EPVLÆ.

PSEVDO-MONACHI IN D. GVNTHERVM CALVMNIÆ.

inde quærebat, crederéntne sine Gunthero duce frustrà ad Cælum viam affectari? Natámne cum illo moriturámque virtutem, & impuros passim profanósq; omnes ducerent, quibus castrensis hic doctor barbariem non absterserit, cùm literam ipse nullam didicerit? aliáq; æquè furiosa, quæ cùm boni omnes abominarentur, soli Gunthero nullam vnquam rugam duxerunt: passus est etiam illum separatim tendere & extra suam censuram, tantò jam opportuniorem insidijs & ruinæ quantò se longiùs à bonorum contubernio segregaverat. Malus enim Dæmon paratam fraudibus suis scenam nactus miros homini ludos dedit Servatoris adeò os habitúmq; mentitus, vt divinos ei habere honores Tammo non dubitaret; persuasit deinde omnia credituro vltimum fatalémque rebus humanis imminere diem; jam futere æmulum Christi & deberi ipsi quoque lauream veritati animam impensuro; priùs tamen BOICÆ Cœnobia ipsius ore erudienda esse, inducendásque quoquoversum Dei amandi leges; patraturũ insuper vsitata divinis viris, & illa ipsa die

DÆMONIS ARTES.

die lævum Gunthero oculum, Remigio & Razoni vtrumque aperturum. Ille jam æqualis ire Divis & multo majore supercilio Guntherum despicere, vt cui absq; opera sua lusco moriendum foret; neq; dubitavit seni jactare Numinis familiaritatem & parituro sibi spem facere lucis mox vtroque oculo aspiciendæ: sed ille fallaciæ, qua misero illusum esset, certus vtrumque sibi lumen extingui patientiùs laturum se affirmavit, quàm alterius integritatem illi debere, qui medicinam eum facere docuisset. Rejectus à lusco Tammo cœco operam nihil reluctanti addixit, quam cùm perdidisset, tum demum ad se & Guntherum redire, fateri insaniam, execrari præstigiatorem, & à tam infami præcipitio viam ad innocentiam quærere. Non insultavit resipiscenti Guntherus periculi illius non injuriæ suæ memor, affectúmque parentis, quem nunquam posuerat, multò illi nunc prolixiùs impendit: dedit nihilominus longas stultitiæ pœnas Tammo diúque larvis agitatus est etiam inter preces occursantibus, quæ illum velut juris sui mancipium reposcerent.

GVNTHER: FALLACIAS DAEMONIS DEPREHENDIT.

MODERATIO GVNTHERI.

In-

intemperiæ cùm non conquiescerent, Ratmundum Altahensem Abbatem ipsúmque adeò Batavensem Episcopum evocandum Guntherus putavit mali inusitati vindices: Episcopus expiandi fastus causâ hominem ab aris amovit; laboratum etiã pro illo communibus votis sed irritis, quòd Deus de hoste Stygio triumphum Gunthero destinasset; qui cùm palàm aspectabilis ejus in Tammone consolando operam rideret, & ovillum centonem, quo tegebatur, cavillaretur, confidenter sanè senex, hæc ovis, inquit, te malum lupum non timet; tantóque constantiùs suas illi machinas adhibuit, donec patientiâ modestiáq; post sextum mensem victum ab homine infestando absistere coëgit. Atque hæc de Gunthero nobis comperta sunt; nã quæ morituro evenisse, obscurus auctor, qui se eidem æqualẽ facit, testatur, fidẽ apud me ægrè inveniunt. Narrat is Bretislaum Boiohæmi Principem, dum cervo cupidiùs instat, abreptum à suis vocísque divinæ indicio ad ægri senis tugurium delatum, eo prodente agnovisse quis esset. quæ ignoratio familiari vsu, qui

GVNTHER. OBSESSVM A DAEMON: LIBERAT.

2. Tom. Ant. Lect. H. Canis.

Gunthero cum Vdalrico patre ipsóque Bretislao intercessit, cuius à nobis documenta aliàs allata sunt, validè refutatur. Amore viri æstimationéque virtutum eius attractum morienti cum Severo Pragensi Episcopo adstitisse, mortuíque corpus Pragæ, quòd Hermannus tradidit, vel in Brunoviensi Monasterio, quod hic ipse auctor scripsit, tumulasse, non abnuerim credere; sed incertis prodigijs certarum mixturâ fabularum suspectis non augetur Cælitum fama, quin veris etiam parta virtutibus evilescit.

Sequentis anni æstate Ratisbonæ incendium, sed fœdior multo in Vngaria conjuratio in Petrum regem exarsit. Amor Germanicæ gentis & BOIORVM præsertim, quorum armis restitut' erat, an quæ alia causa invisum cum suis reddiderint, veteres Scriptores non expressere. Novitij præter eam, quam indicavimus, imperio superbè crudeliterque exercito collegisse odia, quæ in rabiem eruperint, affirmarunt; neque enim aliter appellem conjurationem adversus regem pariter Deúmque initam. Pœnitebat impios Christiani nominis & barbara

ANN. M XLVI. *Annal. Alah.* IMPIA ADVERSVS PETRVM VNGARVM CONSPIRATIO.

Vngari fidei Christianae desertores.

Bonfin. Dec. 2. l. 2.

bara sacra Scythicósq; Deos nuper abjectos inexpiabili furore repetebant; quos cùm reduci in Patriam, vivo Petro, posse desperarent, sacrilegijs viam aperire paricidio cogitarunt. Andreas & Leventa sive Stephani Regis ex fratre nepotes, sive Ladislai Calvi Filij fessi exilij ærumnis tùm haud procul à patria aberant: ijs spes regni à civibus impijs facta, si avitos ritus vnà cum ipsis exulantes reducendi sibi invicem potestas fieret.

Æmvli Petro excitati.

Non erat tantum in regijs juvenib. animi, vt fortunam suam impietate nollent emere corrupti etiã ipsi pestilentis sententiæ, quam tyranni pro oraculo habent, veneno; *Ius regnandi gratia violari fas esse; in reliquis rebus pietatem colendam.*

Gnome Tyrannica.

Patria igitur & regnum humanis divinisque bonis majora visa, nihilq; negatum copiam offerentibus adeundæ tantæ felicitatis. Petrus proditũ se non antè intellexit, quàm fratres cum ingenti exercitu regnum sunt ingressi:

Vltima Petri consilia & conatvs.

quibus cùm inferiorem se rebus omnibus agnosceret, vetere consilio suo de fuga ad Boios capessenda vsus, itineribus

bus omnibus præoccupatis custodes fallere non potuit. Retracto ex itinere amplæ primùm spes factæ; quæ cùm, ostentatis paulò pòst vinculis, corruissent, certus ad ludibria servari se, vltimas experiri vires, pauculis fugæ comitibus ad pugnam instructis, statuit, si min[9] libertatem, at certè ferrum recepturus. Triduum ex ædibus, quas occupaverat, omnia ausus voto suo potitus non est; socijs circa ipsum cadentibus, ingratâ fortunæ indulgentiâ, vnus omnib. superstes nec vivere nec mori arbitrio suo potuit. Albam cum conjuge reductus tyrannis fratribus de se ludum præbuit non ante evulsos oculos finitum: eorum jacturam brevi mors subsecuta est tanto ærumnosior, quòd re Christiana pessundata, eversis aris, sacrorum Antistitibus fœdè jugulatis, amicis fidei cultæ causâ excarnificatis, bonis oppressis hoc quoque vltimo solatio caruit, quòd religioni vnà cum ipso extinctæ nemo ingemisceret. Indefletum domi cùm exterorum præter Henricum Regem vindicare nemo posset, aut vellet, huic quoque expeditio Italica eam facultatem abstulit: Is

PETRVS COERCITATE & MORTE AFFECTVS.

HENRICI ITER ITALICUM.

cùm Pentecostes ferijs Lotharingiam Friderico Henrici BOIARIÆ Principis Fratri regendam dedisset, & Misniæ paulò pòst Bretislaum Boiohæmi, Casimirum Poloniæ & Zemislaum Pomeraniæ Principes inter se conciliasset, Natali Virginis Matris Augustæ acto, per Alpes in Italiam transcendit, exercitu Roncalijs convenire jusso; quo in loco Welfo Veronensis limitis præfectus vltra statum condictúmque triduo regem præstolatus militem velut sacramento solutum discedere à signis passus est, frustra à superveniente rege revocatus, munerum juxtà minarúmque contemptor, neque minùs libertatis suæ memor, quàm alieni honoris; ausus etiam aliàs contra fiscum regium, quod periculosissimum genus advocationis est, causam suorum civium agere; mille auri *Marcas* vi majore quàm jure ijs extortas certior factus non exactores modò sed ipsum regem repetundarum postulavit, calore dicendi propè ad verborum contumeliã prolapsus; certè cùm tristissimis vocabulis solẽne Principibus auri Aucupiũ & miserorum civium eviscera-

WELFONIS ANIMVS PRÆFRACTIOR.

Chron. Weingart. Sigon. l. 8. de Reg. Ital.

EIVSDEM IN CIVIBVS CONTRA FISCVM TVENDIS CONSTANTIA.

tio-

tionem traduxiſſet, regem ita perculit, vt aurum reddi juſſerit, ne hic tam vehemens orator neque minus bonus miles jus verbis negatum ferro repeteret. Rex cùm Mediolani in æde D. Ambroſij ſuburbanâ coronam accepiſſet, Sutrij in caußis Pontificum cognoſcendis alienũ ſibi negotiũ ſumpſit; quòd triceps bellua (ita Baronius tres Eccleſiæ Romanæ incubatores appellat) Gregorij VI. operâ ſopita jam propè timeri deſijſſet, & Gregorius ipſe neque vitio creatus eſſet, & in ordinem redigi ſine ſcelere nõ poſſet. Impoſitum eſt tamen regis ſimplicitati, vt de ſumma in terris poteſtate, cui faſces ſubmittere multò æquius fuerat, ſententiam ferret parum idoneus judex id duntaxat ea temeritate aſſecutus, vt, peſſimo poſteritati prodito exemplo, Henricos duos filium & nepotem impuliſſe ad eundem ſcopulum & multo fœdiora naufragia hodie ab omnibus cenſeatur, quæque æterna nota eſt, Henricianæ hæreſis, quæ Neroniano gladio impotentiùs in Dei Eccleſiam ſævijt, prima jeciſſe ſemina & fatale ſignum extuliſſe infami cenſura judicetur. Erat cæte-

HENRICVS CÆS. CAVSIS SACRIS SE IMMISCET.

roqui Henricus egregiè Pius & hoc ipsũ nomen inter titulos populari præconio tulit; & quanquam, accepto à majorib. more, sacras dignitates per Germaniam Italiámque suo suffragio collocaret apud quos maximè vellet, deduceréque hinc auream in ærarium venam posset, si vectigales facere mitras libuisset, adeò tamẽ ab hac nundinatione abhorruit, vt Wipo in rebus gestis Conradi Patris hanc egregiam illi laudem tribuat, *In omni vita sua pro omnibus dignitatibus Ecclesiasticis vnius obuli pretium non dicitur adhuc recepisse.* & ne fortasse cupiditate aliquando transversum ageretur, privata eáque insigni clade admonitum officij accepimus. Ferunt enim ætate admodum tenera, nondum nucibus cæterísque crepundijs relictis, argenteâ fistulâ ab homine sacris addicto donatum, qualis pueritiæ in amoribus est, ad aquam per angustias siphunculi ejaculandam. Regulus delectatus tubulo eum se olim remuneraturum Episcopatu spopondit. Neque abnuit debitorem se, cùm rerum jam potentem

HENRICVS SACRAS DIGNITATES NON VENDIT.

VVilhelmus Malmesb. Matth. VVestmon. Baronius.

A NVNDINATIONE SACRORVM DIVINITVS AVOCATVR.

Cleri-

Clericus ſponſionis admonuiſſet. Sed cælum joculare commercium ſerijs ſupplicijs caſtigavit. Afflictus graviſſimo morbo Henricus (ſimile vero eſt, eum fuiſſe, quo Francofurti periclitatum diximus) triduo integro exanimi ſimilis intercluſo ſpiritu jacuit; quem ſimul ac votis piorum prævalentibus recepit, moveri loco infamem Epiſcopum juſſit, per cujus fiſtulam hauſtas infernis fornacib. flammas intemperantiſſimi ardoris ſibi Cacodæmones propinarint, quarum incendio conflagraturus haud dubiè fuerit, niſi cœleſti forma juvenis ipſe quoque ambuſti corporis notis inſignis frigida ex cratere aureo exſtillante recreatum colliqueſcere aut cineſieri prohibuiſſet. Eum D. Laurentium fuiſſe dubitatum non fuit, cuius ædem magnificè inſtauratam aureo inſuper calice locupletarat. Rem vti hîc narrata eſt, Baronius quoque ſuis Annalibus inſeruit; etſi ab ijs auctoribus prodita eſt, quibus aliàs in hujus Henrici rebus inſcitiam & peregrinitatem, merito ſuo, objecimus: Verùm cujuſmodicunq; ea ſit, etiam fidem ejus elevantibus documentorum teſti-

HENRICVS SIMONIÆ EXTIRPANDAE AVCTOR.

Glaber l.5.c.5.

ùmque vicem sit gravissima Henrici oratio in amplissimis sacri ordinis comitijs audita, cùm ad dicēdum progressus toto eloquentiæ majestatisque pondere ad abolendam publicam seculi sui infamiā incubuit, quæ etsi stigma toti Ecclesiastico Ordini *à Pontifice vsque ad Ostiarium* inurit, & grassantis passim *Spiritualis latrocinij* (sic ipse nundinationem sacrorum appellat) invidiam concitat, asservata tamen fidelibus tabulis est index innocentiæ illius, cujus se ducem reliquis profess' Diadema, inquit, quod fronte fero, gratuitum Dei munus agnoscentem nunquam accusabit orbis terrarum, decora Religionis venalia aut mercenaria fecisse. At enim quantò à labe hac remotior fuit, tantò acriùs providendum sibi putavit, ne in ea vindicanda videretur ignoscentior; qui impetus illum cum Christiani orbis parente ejus suspicione noxiæ quantumvis per calumniam contacto collisit, temporum illorum iniquitate facti invidiam tum quidem facilè extinguente, quòd minùs libera Pontificum comitia & regibus obnoxia jam inde à Caroli M. ævo,

Hen-

Henrico ad vſurpandam auctoritatem patrocinaretur. Igitur Gregorio VI. quod factum nollem, abdicare coacto Suitgerum Babenbergenſem Epiſcopū è comitatu ſuo ſufficit honore illo locóque digniſſimum, ſi alio cum auſpice, ſine cujuſquã injuria, occupaſſet. Is Natali Chriſtiano cõſecratus accepto Clementis II. nomine eod. die Henricum Auguſtum Agnetem Auguſtam ſalutavit. iter in patriam adornantem Mantuæ Paſchalibus morbus proſtravit; ex quo recreatus in ſimiles caſus tutelam domeſticam Guidonis Pompoſiani Abbatis, cujus viventis ſanctitatem ſuſpexerat, exuvias Parmâ translatas in comitatum adſcivit, Spirenſi vrbi, in qua Patris exemplo illuſtranda multus fuit, inferendas. Illic Pentecoſten egit & Welfonem, cujus ſuprà meminimus, Carantanis Marchionem, Adalberonem Henrici BOII fratrem prudentiæ & ſanctitatis titulis glorioſum Metenſibus Epiſcopum dedit. Vngaricum deinde bellum meditantem pernicioſiores in Friſiam tumultus avertére. Secutus caſtra Henricus BOIVS eſt, eoque bello perfunctus, dum

HENR. IMP. SALVTATVR

A. MXLVII.

S. GVIDONEM GERMANIAE INFERT.

Sigeb.

MORS HENRICI BOIARIÆ PRINC:

Ann. Altah. Herman.

dum ſponſam abducere in BOICAM meditatur, immaturo fato obijt tumulum Treviris nactus, in quo nuptiales faces extinxit. Deceſſit pariter Clemens Rom. Pont. Ei cùm Popponem Brixinenſem Epiſcopum BOIVM gente ſufficere Romani optarent, Oratores ad Cæſarem in Germaniam initio anni quadrageſimi octavi miſſi omnia ex ſententia impetrarunt. Poppo cum honeſtiſſimo comitatu Romam profectus Damaſi II. nomen accepit: ſed expectationi orbis terrarum intra vigeſimum tertiū diem morte abreptus ſatisfacere non potuit. Ea tamen illius vera gloria eſt, quòd cùm neq; domeſtica decora majorúmque imagines jactare homo obſcuris natalibus poſſet, neque in ampliſſima ſede jus diceret, eximia virtute ipſe ſe produxerit converterítque in ſe oculos humani generis, vt hunc communibus votis, quorum nulla in re rarior eſt concordia, Patrem ſibi adoptaret traherétque ad faſtigium mortalium honorum non ambientem. Ieiunium vernum Imperator in BOICA egit, evocatíſque Ratisbonam Othone Schvveinfurtenſi Marchio-

POPPO BRIX. EPISC. PONTIFEX FACTVS. *Ciaccon. de Vit. Pontif.*

chione, quem Suevis Ducem dederat, & Bretislao Bohemo, cum illis per Paſchales ferias de Repub. conſultavit. Seges eo anno & vindemia agricolarum vota fefellere, murib' Cereris & Bacchi dona paſſim erodentibus.

CONRADVS DVX BOIARIÆ.

Sequenti, BOIARIA Conradum Principem accepit, ad cujus gentem & natales indagandos nullum eſt in vetuſtis Annalibus veſtigium: Kölnerus verò domeſticus ſcriptor neque antiquus neque ſatis certus, qui eum Schirenſi familiæ inſerit, neceſſarijs ad id demonſtrandum rebus deſtituitur. Recipi tamen ipſius ſententiam pro conjectura patimur, eíque nos ſuo loco probabilitatem conciliabimus. Damaſo Pontifici Bruno ſuffectus eſt Tullenſis Epiſcopus ex Comitibus Dagsburgijs, ſed claritatem familiæ ſanctitate ſupergreſſus, familiaris Superis & arcana divinæ mentis, illis interpretibus, diſcere ſolitus: quē ad capeſſendum ſupremum honorem in A. MXLIX. *Ann. Altah. Herman. Contract.*

vrbem tendentem boni ominis causa illæ de cælo voces exhilararũt, *Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis.* Leonis IX. nomine adoptato rebus aliquà per Italiam dispositis, Galliæ Germaniæq; consulturus per Alpes regressus se cum Imperatore conjunxit; sub finem anni BOICA fines suos ingressum adoravit. Benignum patriæ sidus illuxisse, Quinquagesimi anni felicitas comprobavit, quo contra Vngaros res præclarè gesta. Gebhardus Ratisbonensis Episcopus Imperatoris patruus Campidonẽsi Abbatia nuper ab eodem donatus, voluntarius, vti apparet, miles Vngariam invaserat, fugatísque, qui fines regni intranti se objecerant, lautas inde prædas egerat. Vngari mutuum facturi, Episcopo exercitum ex confinijs deportante, subita irruptione plus ferè cladis, quàm acceperant, reddidere, gloriâ Episcopi etiam apud nostros extinctâ, quòd prædæ inhians patriam prædæ exposuisset, imperatoriáq; auspicia turbasset, quæ secunda semper & feracia victoriarum pridem vetuerint Vngaros à

LEO IX. BOICAM ADIT.
A. M L.
Ann. Altah. Herman. Laur. Hoch-vvart.
GEBHARDI RATISB. ILLAVDATA MILITIA.

BOIIS timeri. Henricum præcipuè insuetum tristium nunciorum ea fama afflixit excivítque ad celerem medicinam. Indictus Norinbergam totius BOIARIÆ principum conventus, vt de vindicando dedecore in commune consuleretur. Ea vicit sententia, vt Heimenburgum octavo abhinc anno ab Henrico eversum restitueretur, exercitu interim operas tutãte, si quid hostis movisset. Facti gloriam ijdem, qui auctores cõsilij fuerant, aucupati BOII id suum negotium esse voluere; alia bella Cæsar curaret, Vngaros hostes daret sibi; neque vnius excursionis prædatoriæ successu feroces alijs armis castigandos putaret, quàm quibus ipse felicitatem, fiduciã verò hostis semper victus dedisset. Gratiæ actæ BOIIS bellum illud quasi familiare sibi deposcentibus & commune onus suis humeris excepturis. Præfecti negotio Gebhardus Ratisbonensis Episcopus pro patria pariter & fama laboraturus, Conradus BOICÆ Dux nobilitandi egregio facinore initia principatûs avidus, & Adelbertus Marchio Vngarorum fulmen non magis à nostris quàm hostibus illius ma-

COMITIA DE BELLO VNGARICO

BOII VNGARICVM BELLVM SIBI DEPOSCVNT.

manum expertis dictus. His tantis Ducibus ne tunc quidem totis BOICÆ viribus geri rem placuit; flos gentis delectus non numero sed viribus validus & suis animis magnus. Fervebat ergo opus, vt inter consentientes & quibus gloria patriæq; amor pro stimulo esset, æqua sorte divisum; Vngari in suam perniciem surgentia mœnia disjecturi X. Cal. Octob. castra de noctu, quibus vrbs circumvallata erat, invadunt, sagittarum ea procellâ obruunt, vt intra vnius tabernaculi brevem ambitum ducentæ sagittæ cóque amplius collectæ sint in cassum omnes missæ & spoliorum vicem lectæ ab integris & ne summa quidem cute perstrictis. Intra septem dies quartùm in hunc modum detonuit semper brutis fulminibus & majore oppugnantium quàm oppugnatorum clade: Ea tam læta documenta cùm etiam timidos prolicere potuissent, non passa sunt fortes viros diutius muniméntis abscondi. hostem ipsi vltro sibi poscere, proruere vallum, & quantamcunque paucitatē suam explicare in acie sed cæli viribus tutam & impenetrabilem. Nihil ergo sua Vngaris

INSTAVRATVR à Boiis HAIMBVRGVM.

VNGARORVM IRRITÆ MOLITIONES.

garis

garis multitudo contulit, nisi vt latiùs propagaretur cædes & impeditior fieret fuga, nobilioréque triumpho auspicatiora redderentur initia resurgentis vrbis; ea vbi adversus vim munita satis visa est, præsidium eidem vt de non magno deductum exercitu exiguum est impositum. Id paulò pòst, recrudescente ira, ab hoste iterum in nova vrbe tentatum, tridui oppugnationē egregiè sustinuit, cùm vel pertinaciâ vndiq; assultantium frangi stātes pro muris oportuisset, quibus ob paucitatem succedi non poterat; sed cùm tot telis singuli peterētur, vnus omnino toto triduo desiderat⁹ est; cùm vicissim hostium cadaveribus sex naves avehendis mortuis instructæ ægrè suffecerint. Præter insignia virtutis exempla etiam prodigia & extraordinarij favores Numinis observati. Turtur inprimis obsessos placidè circumvolitare visus velut classico assuetus nihílque castrensi vlulatu aut gemitu morientium territus; monstrabántque alij alijs vt victoriæ auspicium. Faces deinde & malleoli cùm passim jactarentur, si fortè ferro invictos flammæ subigerent; harum quoque vim ven-

Boiorvm felices cvm Vng. congressvs.

Prodigia & favores cælestes.

ventus à tectis avertit nostrorum votis aspirans &, in quamcunque partem vocaretur, obsequens. Animadvertit tandem hostis operam se perdere, & Divis vrbis propugnatoribus cessit. Offenduntur tam lætis narrationib. Vngarici scriptores nostrísque amorem patriæ quàm veri majorem obijciunt, tantò improbiore suspicione, quantò candidiores viros eâ aspergunt, qui rebus sui temporis in lucem editis, nunquam, si primas historiæ leges contempsissent privatis affectibus à via recti abrepti censuræ publicæ libertatem effugissent, neq; prisci sanctíque viri illudi Germanico candori fabularum illecebris tulissent; vt sera nunc illis & iniqua lis intendatur nullis contrarijs tabulis sed solis querelis armata, quibus majorum fortunas & gloriam tueri posteri laborant, quam ij armis non potuerunt. Nihilominus quoties ex eorundem, quos arrodunt, membranis patrios ijs triumphos lætioréſque fortunæ vices cantamus, non modò aures arrigunt, sed nullis libentiùs testimonijs vtuntur manifesti vanitatis, si quos in cladibus suis commemorandis

vt

vt intestabiles repudiant, victorias loquentibus vltro audientiam faciunt. Quid? quòd domesticis testibus destituti, qui raris adhuc, in gente semper armatâ, literis, illius ævi imaginem posteris relinquerent, necessariò ex illis ipsis commentarijs, quibus nos vtimur, historiam concinnant; sed quod in rerum venalium foro empturientes faciunt, plura transeunt quàm emant, quæ deinde condîta non sincera apponant, metu credo alieni palati offendendi, nisi orationem sesamo spargant, quod vt illis ereptum non imus, ita invidiæ lucubrationibus his nostris esse nolumus, si ad veterum auctorum cana incorruptáque monumenta expēdi eas malimus, quàm ad nostræ ætatis recentes partus, qui nisi sanguine & succo veterum scriptorum alantur, monstrosi fiant necesse est.

V.

A. M L I.
Hermann.
Ann. Altah.
RES IN VNGARIA IMPROSPERE GESTAE.

Quinquagesimo primo anno ob conditiones pacis, quas Andreas Vngariæ rex dare quàm accipere maluit, repudiatas, ingens in illum bellum decretū, tanto minore gloria atque adeò successu, quanto majoribus viribus gestum est. Virginis Matris ad cælum evectæ triumphum

phum Passavij Imperator recoluit; Gebhardum deinde Ratisbonensem Episcopum cũ Welfone Carantani limitis Præfecto & Bretislao Bohæmo Aquilonare Danubij littus legere populando vrendóque jussit; Ipse quod reliquum erat BOIORVM cum Langobardis, Suevis, Francis Slavísq; ingenti agmine ad Vngariæ fines cùm duxisset, impedita omnia, stagnantibus passim aquis, ob continuos ejus æstatis imbres eluvionésq; reperit; quæ res ingentes illi peperit difficultates, annonâ quotidie ingravescente; quæ cùm ex hostico peti non posset, sed è navibus equorum dorso in castra convecta parcè & malignè præberetur, exercitus inopia primùm, deinde etiam fame laboravit. Id Andreæ prævisũ jã securo victoriæ & ne suis quidẽ armis belligeraturo, quòd rei frumentariæ angustijs conflictantes morâ quàm prælio rectiùs confecturus videretur. Igitur in paludes refugere indéque ostentare se subinde ad contemptum veriùs quàm pugnam; lacessere ex insidijs nostros, eo cõsilio, vt insequentes ad iniqua pellicerent, attererétq; ignobili militia, quæ hostem

FAMES.

ſtem vbique quæreret, nuſquam inveniret; arctiore nihilominus in dies commeatu, qui etiam nihil agentibus decreſcit; jactante interim Vngaro, famem ſibi pro exercitu eſſe, ea debellatum Cæſarem ſe in deditionem accepturum. Iámque eò ventum erat, quò frumentũ ſequi noſtros non poterat, vt de reditu neceſſariò fuerit cogitandum; id Vngari ſuum tempus rati, coorti vndique ex latibulis conglobatíq; flumina paludéſq; occupant, & ſicubi inter anguſtias pauci multis perniciem machinari aut faceſſere negotium poſſe videbantur. Sed perrupit omnia noſtrorum virtus cum aquis hoſtibúſque, quæque acrius vrgebat, fame pugnantium, vbique invicta. Eminuit Burgundionum, Saxonum, Polonorúmque audacia, qui arcem Rabiniſſæ fluminis ponti junctam, quæ vna maximè noſtrorum moratura iter videbatur, flumine tranſito, adorti brevi in poteſtatem redegerunt, præſidióque ejecto vel cæſo iter noſtris aperuerunt. In hunc modum Imperator flammâ quàm ferro ſæpius vſus, nulla re quàm incommodorum patientiâ inſignior ad ſo-

VIRTVS IN VLTIMO PERICVLO FORTIOR.

FORTVNÆ VICES. cios, qui ad ſeptentrionem curaverant, reverſus feliciora illic omnia reperit. victorias loquebantur, prædas oſtentabant & partas manu opes, quódque certiſſimum rei bene geſtæ argumentum fuit, Legati Andreæ Regis ab Adalberto Marchione pacem orantes auditi ſunt.

A. MLII. NITGERI EP. FRIS. MORES. Annus quinquageſimus ſecundus Nitgerum ſive Nizonem Friſingenſem Epiſcopum ſuſtulit, cùm priùs ſuas ipſe laudes magnis virtutibus aut certè illatum ſimulatione collectas ſepeliviſſet. Faſtûs olim & inſolentiæ notatus ſeſe in ordinem redegerat, laudabili cenſurâ, conciliatus eo nomine Henrico Cæſari & amicis primæ admiſſionis adſcriptus, publicis etiam literis, quibus ſua illi dona confirmat, luculentè laudatus. S. Viti Eccleſiam, quam Engelbertus Friſingæ cœperat, ipſe perfecit locupletavítque & fundatoris nomen meruit. Sub finem vitæ ad ſua primordia relapſus, facto cum modeſtia divortio, ſenectutem juventæ probris contaminavit, miſer, qui virtutum comitatum, cùm maximè vſui ſunt, repudiârit. Fato improviſo & ſubitario abreptus eſt Ravennæ, quò Henricū Archie-

chiepiſcopum illi vrbi à Cæſare datum comitatus fuerat. Relegatum eò à Cæſare Aventinus ſcripſit ex Hermanno ſanè non evincendum: ſed eum alios auctores, quorum copiam non habuimus, ſecutum apparet, quando etiam fratres illius Bernulphum & Machtunum inaudita nobis & irreperta nomina proditæ Vngaris patriæ accuſat. Fratris favore ſubnixi (illius narratio eſt) in aulam irrepſerant; quòd ſaturi opum honores ſitirent, quos virtus tunc non cenſus dabat. Verùm vt cupidis nihil ſatis properatur, exoſi lentum aucupium & palatinas fruſtrationes ſpes ſuas aliò transferunt, & Ovoni Vngaro, cujus res ſuprà explicavimus, conſilia dictant in perniciem patriæ exitura, niſi ſucceſſu caruiſſent. Iamq; Principatum ille, alter Præfecturam proditionis præmium ſpe devoraverant, cùm literæ ex Nãnonis Notarij vidulo extractæ meditatum ſcelus nudavere. Acti ergo in crucem, quod ambitio merebatur, ſublimè & ſplendidè perierunt. Verùm hæc nos vt incomperta non præſtabimus. Nitgeri ſedem Ellenhardus veris virtutibus implevit.

FRATRVM NITGERI PERFIDIA.

PRÆMIVM AMBITIONIS.

Ann. Altah. Herman.

ALTERA IN VNG. EXPEDITIO.

Æſtatis initio Vngarica expeditio reſumpta: qua tamen, vt veteres Annales loquuntur, *nihil honoris & vtilitatis regno acquiſitum*. Arma indignatio concitavit, Andrea iterum pacta fidémque exuente. Cæſar Presburgo obſidium admovit, cui dum maximè inſtat, Pontificis reverentiâ colligere vaſa & deſerere ſpes ſuas cogitur. Belli controverſiarúmque arbitrum vltro ſibi Andreas Leonem ceperat; neq; abnuit Henricus ſtare ſanctiſſima ſententia, quam communis parens tuliſſet. is vt erat percupidus finiendi belli & ſiſtendi Chriſtiani ſanguinis, qui jam diu prodigè fundebatur, ſolvendæ obſidionis Cæſari autor fuit, negans de pace inter armatos conventurum. Neque in illo mora fuit. Andreas metu liber cauſas alias ex alijs nectere, tergiverſari, neq; de rebus ſuis Pontifici arbitrium permittere. Indignè tulit eas ludificationes Leo, ſatíſque cauſæ habere ſe pronunciavit ad Regem devovendũ. Nihilominus bello finem perfidiæ nõ debitum rei frumentariæ inopia impoſuit. Pontifex cum Cæſare

PONTIF. ARBITER PACIS & BELLI.

ſareRatisbonam regreſſus alteram etiam litem ſed piam & incruentam ſopire ſtatuit. Divi Dionyſij Areopagitæ oſſa Pariſienſes ſibi pariter & Ratisbonenſes vindicabāt, jam inde ab Arnulphi Imperio, cujus conſilio ſublecta Pariſijs ſuo loco commemoravimus. Leo ſummis ſacri ordinis viris præſentibus, vrnis inſpectis, excuſſáque tabularum fide, pro Ratisbonenſibus ſententiam tulit, eámque literis publicis teſtatam ad Regem Franciæ miſit; cui tamen poſteritas non acquievit, ſive elevata teſtium fide, ſive fidem ſuperante affectu, qui apud pios nuſquam flagrātior, quàm in aſſerendis patriæ his tam charis pignoribus, quæ & furto ſublegere & tueri mendacio antiqua ſimplicitas piaculis non accenſuit. Per eandem occaſionem Wolfgangi & Erhardi memoria æternitati conſecrata; aris ipſi templíſque jure quo qui optimo recepti & Divi appellati. Emmerammi M. Ædes deformata flammis, vti & recens SS. Simonis & Iudæ ſacrarium Curiæ affixum Pontificis manu luſtrata dicatáq; ſunt. Norinbergam proficiſcenti Schvvarzenburgij Dynaſtæ

Vijperg.

D. DIONYSIVS BOIIS ASSERTVS.

Extant apud Baron. literæ hoc anno.

WOLFG. & ERHARDVS DIVIS ADSCRIPTI.

Laur. Hochſtvvart. in Ep. Ratisb.

PRODIGIOSA TEMPLI CONSECRATIO.

supplicarunt, vt Prugdorffianum templum suo sumptu excitatum ijsdem cæremonijs expiaret. Pontifex oculis locum designans manúque in Crucis formam ductâ absolvisse se inauguratione̅ pronunciavit. Sed inusitato compendio Illustribus viris sentiens non esse satisfactum, argumenta inspicere coràm jussit; nisi omnes sacri ritûs notas deprehendissent, illorum se vota impleturum. Mira res; nihil omnium rerum desideratum est, creditúmque haud vanè, Divos vicariam illi hanc operam navasse. Exhilaratam communis Parentis aspectu suísq; firmatam Divis BOICAM gravis turbo, vnde minimè decuit, ortus concussit, Conrado Principe & Gebhardo Ratisbonensi Episcopo inter se dissidentibus; cuiusmodi inimicitiæ cùm plerumque non nisi civili sanguine extinguantur aut ruina publica obruantur, hîc quoque Parksteiniæ vrbis, quæ in Nariscis sive transdanubiana BOICA Episcopo parebat, excidio Principis iræ parentandum fuit; ea innoxijs mœnibus ædibúsque faces subjecit, vt in odium domini vrbs periret. Ingentem ea flamma

A. MLIII. *Herman. Ann. Altah.*

CONRADVS PRINCEPS BOIAR. CVM GEBHARDO RATISBON. COLLISVS.

invi-

invidiam Conrado accendit; qua dum conflagrat, reliqua etiam ipsius improbè dicta factáque suppressa antea mussitatáque civium patientiâ erupere in apertum. Impletæ mox Cæsaris aures gravissimis querelis; jus ab eo non dictum sed venditum; fixæ refixæq; leges pretio; negatū virtuti patrocinium, indultū sceleri; fortunæ civiū hastæ, vita gladio subjecta, aliáq; quæ tyrānos exosos faciunt, Cōrado vitio data, &, quia verè obijciebantur, ab eo Merseburgum evocato eluta non sunt. Henricus ne impunitatē licentiámque scelerum concessisse Principibus videretur, Conradum Principatu dejectum exauthoravit. Vltimi dedecoris nota minus eum invisum bonis, malis etiam miserabilem fecit. odiúmq; ab eo in Henricum vertit. Erant fortasse, ad quos vt eadem meritos exemplum in Principem editum pertinebat, quibus necessariò ingrata potētia fuit, quæ ipsis suam posset adimere; eam tamen allatrare publicè non ausi laudatas olim in Cæsare virtutes desiderabant; Imperatoris personam Iuvenem meliùs egisse quàm Virum, atque vt fructus præcoces

CONRADVS ACCVSATVR

PRINCIPATV EXVITVR.

ætatem non ferunt, ita decora illius ævo deflorefcere; jus in vim migrare; clementiam obriguiffe; majeftatem fupercilio ali; manum contractam, iras in promptu geri, aliáq; in circulis querebantur, non fine approbatione; communi Principũ fato, quorum nemo vnquam tã bonus fuit, vt nõ apud quofdam malè audiret.

CONRADVS CVM SCHYRENSIBVS CONIVRAT.

Atque hæc ad invidiam inflata multos Conrado affeclas conciliarunt, ex quib. illi opportuniffimi ad res novãdas ijdẽque validiffimi Comites Schyrenfes vifi, quod ex veteri fcriptore & æquali horum temporum colligitur, non omnino nullum illius opinionis fulcrum, quæ Conradum hujus gentis ftirpífque furculum facit. Cum his ergo vel fanguinis nexu vel morum fimilitudine fibi devinctis, quíque præterea fub malo Principe aucti opibus tueri illas nifi fub improbo fucceffore defperabant, confilia communicat, & Schyrenfibus ad turbandam patriam in BOICA relictis, cum reliquis ad Carantanos in fui juris agrum feceffit dira patriæ minitans & gravis illi hoftis futurus, qui ferri ne Princeps quidem potuit. palàm deinde arma comportan-

Anonymus Hafenriet. apud Gretf. in Gebhard. Aiftett.

tem

tem, cogentem exercitus, auxiliísq; omnibus opes factionis suæ firmantem Cæsar ad Triburiensia comitia evocavit. Henrici filij potissimùm causâ coacta; commendandum eum Principibus putabat, ne quem alium, se mortuo, regnare paterentur: id à volentibus impetratum, dictúmque ex voto Cæsaris sacramentum est. Secundum id cum Legatis Vngaricis fœdus his conditionibus ex sententia Gebhardi Ratisbonensis Episcopi ictum; vti aurum quantũ exactum esset penderent, parte regni cederent, Cæsari vbivis, præterquam in Italia, militarent. Nihil eorum, vti nec ipsa pax Vngaro cordi fuit, Conrado eum ab officio deducente, ad quem Carantani finibus ejectus commigrarat. veteres irarum causas refricando novásque suggerendo, nullo negotio, Vngarum ad damnandum fœdus, quo sub specioso pacis nomine servitus ipsi imposita esset, impulit socium se vel ducem etiam vltro professus, si quid regia indole dignum meditaretur; nulla alia re hospiti gratiã libentiùs se vicémve redditurum, quàm in vexanda gente, quæ hostem se quàm

FOEDVS VNGARICVM CONRADVS IRRITVM REDDIT.

Principem maluisset. Andreas secunda cupidini suæ volentiáq; loquentem benignè audijt, instructúmq; copijs in Carantanos immisit; vbi, conjuratis annitentibus, haud exigua parte provinciæ potitus est, eíq; in fide retinēdæ, Hengstburgo opido vi capto præsidium imposuit, ipse ad hospitem suum in hiberna concessit. quo ferè tempore etiam Henricus in BOICAM venit vltima fame laborantem, quę passim colonos agris domibúsque exturbavit.

CONRADI IN CARINTHIAM IRRVPTIO.

HENRICVS VIII. HENRICI CÆS. F. DVX BOIARIÆ.

Natalem Domini Cæsar in villa Ötinga (ita Hermannus eam indigetat) egit, filiúmque cognominem quinque non amplius annos natum Principem inauguravit, Gebhardo Eistettensi Pontifice rebus gerendis admoto, qui Schyrenses pacis publicæ turbatores tantis cladibus attrivit, vt brevi appetere aliena desinerent, sua ægrè tuerentur. Ferocis familiæ spiritus contudisse præcipuum Gebhardo ad gloriam fuit principémque gratiæ locum apud Cæsarem peperit, vt tum maxi-

SCHYRENSES DOMITI.

Anonym. Hasenrietan.

maximè exhaustam Fortunæ munificentiam, quam illi Bardo Moguntinus olim oraculo ſpoponderat, amici crederent, ignari, Leoni Pontifici hoc anno, qui quartus ſupra quinquageſimũ fuit, cum ſucceſſorem deberi. Leo cum Nortmannis infeliciter congreſſus Germanorum militum ſelecta manu, quæ Guarnerio Suevo Duce, Langobardis fugientibus, prælium ſola fortiſſimè ſuſtinuerat, internecione deletâ, elugere cladem illam nunquam potuit, juſta cæſis quotidie perſolvere ſolitus, donec Cæleſtis genij monitu, puro pióque bello pro D. Petri aris focíſque ſuſcepto perfunctos deſijt inter mortuos numerare, vt qui cælum laureati triumphantéſq; ſubijſſent: quos etiam ipſe hoc anno XVI. Kal. Maij ſecutus eſt vitæ ſanctitate miraculorúmq; gloria nullo veterum Pontificum inferior. Morti proximus videre juvenem ſibi viſus eſt purpura infulíſque Pontificijs decorum tres crateras manibus præferentem; cuius oſtenti ipſe interpres factus agnoſcere ſe ſucceſſorem ſuum dixit, viridi adhuc ævo, haud tamen plures annos, quàm caliculos tulerit, impletu-

A. MLIV. Leonis Pont. res & mors.

pleturum. Illud triennium Gebhardi nos sequenti anno inchoabimus. Leo eum Ostiensis ingenti invidia onerat, ob revocatum ex itinere exercitum Pontificis auspicia ex omni Germania secutũ; agnovisséque postea errorem suum, & à se ipso proditi Pontificis pœnas exegisse; tristia omnia vndecunque incidissent, ei accepta referre sibique frequenter occinere solitum, ob Sauli deliramenta Paulum plecti, & pro lupo agnum ad victimam deposci. Imperator Oetingã Ratisbonam profect⁹ Hengstburgũ à Conradi pręsidiarijs desertum intelligit. Provincialium armis & perpetuo assultu ad rerum suarum desperationem adacti, capto fugæ consilio direptáque vrbe, quæ agi ferríque poterant ad Vngaros subduxere. Conradus nihil ea re motus infestam subitis excursionibus BOIARIAM reddidit: multi passim mortales vita aut libertate exuti; levissima fortunarum jactura fuit; Fatali vicissim torpore nostrorum animos manúsque occupante, vt nec damna sua satis sentirent, & inerti patientia hostilium injuriarum monumenta impressa oppidis vicísque aspicerent,

Leo Ostiens. Chron. Cassin. l. 2. c. 82. & 90.

CONRADVS BOICAM VEXAT.

rent, nullâ eorundem abolendorum curâ; quasi ſacroſanctum adhuc Conradi caput eſſet, quáque æquanimitate olim in forojus fásq; pervertentem tulerant, eadem nunc ferro flammáque ſævienti ignoſcendum eſſet. Excitavit tandem indignatio ſocordiam; factus eſt in prædones impetus, & ſpoliorum dulcedo clade extincta; cujus magnitudinem ijdem, qui paſſi ſunt, rectiſſimè æſtimarunt pedem in BOICAM eo anno referre non auſi. Interim cùm in Moguntinis Comitijs, Romanæ Vrbis votis & ſuffragatione Epiſcoporum Germaniæ depoſci ad Pontificatum ſe Gebhardus Eiſtetenſis intelligeret, nihil intentatum reliquit, quod ad declinādum honorem ſibi ſubſidio fore exiſtimavit: nam præter indignitatis ſuæ confeſſionem publicam, quæ, quòd ſubinde etiā ambitioni prætexitur, minus certū modeſtiæ argumentum eſt, ad rara inſuper priſcæ rigidiſſimæq; ſanctitatis artificia converſus, per fidos homines Romę paſſim lacerari nomen ſuum & commentitijs probris infamiam ſibi inuri ad infringenda erga ſe ſtudia populi voluit; cúmque

AVDACIA PRÆDONVM REPRESSA.

GEBHARDI PONTIFICATVM FVGIENTIS MODESTIA.

Anonym. Eiſenriet.

que ea potiùs accenderentur, evinceret ex sacris Majorum scitis institit, Petri sedem sibi capessere fas non esse. Operâ vtrinque perditâ, initio anni quinquagesimi quinti Ratisbonæ victus Procerum consensu manus dedit Deum precatus, vt sibi hunc Christiani orbis consensum ad vltimum vitæ finem perferre liceret; quique nunc mortalium adversus obtemperantem votis suis affect⁹ sit, idem etiam ergà æqua & divinæ menti consentanea imperantem perseveraret. Iisdem Comitijs Spitigneum Bohæmũ Bretislao patri mortuo Cæsar successorem dedit. Itinere deinde in Italiam suscepto, quò Gebhardus jam præcesserat, Mantuæ Pascha; Florentiæ Pentecosten egit. Richerio Cassinensi Abbati præfecturam Leonensis Monasterij abdicante, Wenceslaum Altahensem Monachum eruditione conspicuum ea exornavit. Paci deinde publicæ, quáque licuit & fas fuit, sacri Ordinis corruptelis purgandis sanandísque cum Pontifice, qui Victoris II. nomen assumpserat, invigilavit. Cordi Deo fuisse ejus studia, haud vnquam aliàs clariore documento ostensum.

A. MLV. Pontificatum adit.

Henrici res in Italia.

[A]trox in [H]enricum [c]onivra[t]io.

Inn. Altah.

ſum. Gebhardus Henrici patruus Ratisbonenſis Pontif. Welfo Carantani Marchio, attractis in ſocietatem conſiliorũ ſummis viris, in ejus caput conjurarunt. Furijſne agitati, an aliqua irritati injuria, tantum nefas mente conceperint, ne tunc quidem, cùm ſciri potuit, evulgatum. Impatientiam puerilis Imperij & faſtidium quinquennis Reguli non modò BOIARIÆ ſed Germanico nomini vniverſo impoſiti (quod Aventino viſum) faces ſubjeciſſe conjuratis credi fortaſſe poteſt, nullam tamen habet atrociſſimi facti excuſationem, cujus magnitudinẽ etiam illud exauget, quòd optimo P. incipi Conradum Reipub. hoſtem, quem ſuſtinere BOICA Ducem non potuit, ſubrogare meditarentur. Fœcundum non vno ſcelere paricidium in ſeculi illius infamiam matureſcens Iuſtitia vindex interveniens rebus humanis in autores ſuos retorſit. Conradus exul & latronum Anteſignanus, poſt amiſſam patriam orbis terrarum Imperium ex ſicariorum manu ſperare auſus miſerabili excruciatus peſte impuram animam evomuit. Welfo in medio ætatis flore in

CONIVRATORVM EXITVS, DEO VINDICE.

caſtro

Ann. Wein-gart. Ann. Altah.

castro Potamico non tam morbo, quàm perfidiæ suæ mole oppressus ne id quidem nactus est, vt innocens mori videretur, conjurationis, cujus auctor fuerat, proditor factus; illa tamen re felix, quòd reconciliato jam Cæsari & fortasse etiam Deo morte satisfecit. ita nos Altorfensis cœnobij ante biennium flammis hausti, in montem, cui nunc quoq; Vinearum nomine inclitum incubat & primævam Cassini sanctitatem orbi repræsentat, translatio, & D. Martinus magnorum ab eo opum hæres scriptus sperare jubent. Gebhardus, Henrico ex Italia Ratisbonam reverso, in judicium attractus videri innocens voluit; sed post irritas inficiationes convictus majestatis carceri mancipatus est vitam Cæsari debiturus, cui eam inviderat. Nihilo innocentior Romana Aula æquè funesta consilia vidit aluítque; venenum illic dilutum est, quod Victor Pont. biberet, neque tamen in mensa, vbi ferè Principes trepidant & contra mortem excubias locant; sed in ipsa ara, ex sacrosancto calice, vnde pignus salutis, quibus bona mens est, securi hauriunt. hunc sacrificij mi-

VENENVM PONTIFICI TEMPERATVM. Lambert.

minister toxico temeravit, quódque aures horrēt, vitę poculo mortem miscuit, inaudito sacrilegio, sed mox vnà cum autore suo miraculis prodito. Victor calicem ori admoturus attollere non potuit. Id noxis suis imputaret an alienis incertus, expiandi monstri causâ, cum adstantium corona in preces procubuit. Continuò sceleris reus larvis inferis agitatus tortoris intestini vim non ferens suum nomē detulit. Pontifex Dei quàm suâ injuria commotior calicem sacrario claudit, indicem à furijs liberat. Sic vtrumq; paricidium intra meditationem stetit, Deo nefarijs hominibus in duo suprema Christiani orbis capita armatis sicas & venenum extorquente: etsi ad infamiam illius ævi satis est, fuisse qui illas stringerent, hoc temperarent. Iratum terris Numen, etsi res ipsa loquebatur, etiam ostentis prodigiísque confirmatum est tantò faciliùs creditis, quantò magis consentanea debitáque tam foedis moribus referebantur. Tristissimum fuit, quod sub annum quinquagesimum sextum Guntherus Imperatoris Cancellarius proximo anno Babenber-

PRODIGIOSVM OSTENTVM.
A. M L V.
Lambert.

gensis Episcopus futurus sibi objectum affirmavit. Admissus ad Divinitatis arcana contemplanda, vltima minitantem sceleſtis Deum vidit, jam nudato in eorum perniciem enſe, & voce hac quovis fulmine terribiliùs inſonante, *Reddam vltionem hoſtibus meis, & his, qui me oderunt, retribuam.* Quid vulgato tã formidabili oraculo metuerint homines, quidve paſſi ſint, triſtiſſimi annales futuri temporis explicabunt, quib. clariſſimorum morte Principum locus datus eſt, quando ferè diriùs plecti regna non poſſunt, quàm ijs extinctis, quorum ſpiritu animóque reguntur. E regia domo, vt humiliores ſileã, Conradus Cæſaris filius, cui pater, Henrico primogenito in regni conſortium admiſſo, BOIARIAM deſtinaverat, quadrimus obijt; quódque rebus BOICIS luctuoſius accidit, Adalbertus etiam Marchio Auſtriæ vivendi finem fecit, Erneſto filio hærede relicto. Elugeri tamen ea funera poterant, niſi in ipſum Cæſarem nondũ quadragenarium eadem humanæ ſortis inclementia incubuiſſet, vt tantò citiùs ſacris

IRA NVMINIS.

NOBILIA FVNERA.

cris profaniſque miſcendis evertendíſq; degener filius admoveretur, dimidiatũ ſeculum ad lacerandam Remp. habiturus, quando mitius nihil de illo ſperari potuit, quem mater nondum editum in lucem vt ferale monſtrum exhorruit, Draconem ſibi non hominem parturire viſa. Sed nos optimi parentis annum vltimum itidem vti priores candido lapillo nobilis exempli ſignemus. Victori Rom. Pont. Goslariam adventanti pompam ſplendidiſſimo apparatu adornaverat auguſtius homine aliquid in eo veneratus, quam tamen repentè coortus imber explicari totam paſſus non eſt; cæli invidiam domeſtica hoſpitalitas compenſavit, & ad vltimum vſque ſpiritum perdurans obſervantia, quem tandem in illius manibus poſuit expiatum ſine dubio in illo tam felici contubernio, cujus partem etiam Annonem fuiſſe comperio nuper Colonienſi mitra donatum virum ſanctum & in ipſum Cæſarem piè rigidum, quem in ſacro tribunali objurgatum caſtigatúmque flagro prodire in publicum antè paſſus non eſt, quàm triginta tres argenti libras ſua ipſe manu

TRISTE DE HENRICO CÆS. F. OMEN.

Domnizo in vita Mathildis.

Anonym. Haſenriet.

HENRICVS CÆS. IN MANIBVS PONTIF ANIMAM EFFLAT.

ANNONIS IN CÆS. SEVERA CENSVRA.

Vita S. Annon. t. 6. Sur.

ſtipem rogantibus numeraſſet; eundem hoc tempore malevolorum criminationibus à ſe alieniorem cùm placaſſet, futuri providus juſſit commeatum in alterum orbem parare, quo mox eſſet migraturus; qua denunciatione perculſus Cæſar totum ſe Pontifici & divinorum virorum conſilijs permiſit, largitiones maximas fecit, perduellionis reos, inque his Gebhardũ Ratisbonẽſem & Chunonem nepotem in gratiam recepit, Henricum Filium Rom. Pont. enixiſſimè commendavit, expletíſque omnibus Chriſtiani hominis officijs Bottfeldij in Saxonia III. Non. Octob. deceſſit verè Pius neque minùs Felix dicendus, niſi pater talis filij fuiſſet. Corpus ejus Spiræ tumulatum eſt V. Kal. Novemb. qui Divis Simoni & Iudæ & Cæſari ipſi natalis fuit. Pontifex Henricum Filium quinque annorum puerum Aquas deductum in Caroli M. ſolio cum fauſtis ominibus ſed ipſius impietate mox corrumpendis collocavit. Eundem ſub finem anni Ratisbonam comitatus impletum optimis præceptis matris tute-

Marian. Herman. Continuat. Ann. Altah.

HENRICI IV. CÆS. INAVGVRATIO.

læ tra-

læ tradidit; ipse septimi anni supra quinquagesimum initio in Italiam rediјt.

AGNES HENRICI EX CÆS: III. INTER PRINCIPES VI. VXOR DVX BOIARIÆ.

BOIARIA Regis Matri Agneti propter spem prolis, qua se gravidã ferebat, permissa. Carantanos Chuno ille ipse fortasse, quem ab Henrico III. restitutũ diximus, regendos accepit. Victor Pontif. V. Kal. Aug. Aritij obijt. Corpus cùm Aistadium familiares referre optarent, *in via per dolum à Ravennatibus inhumanissimè spoliati sunt*, vt Hasenrietan' loquitur, à quibus extra vrbem in S. Mariæ basilica rotunda conditum est; vt falli Ostiensem necesse sit, qui Florentiæ mortuum tumulatúmque tradidit. Pontificatus Max. Friderico Abbati Cassinensi, Stephano appellato; Aistadianus Gundakaro seu Gunzoni Agnetis Augustæ BOIORVM Principis sacerdoti cessit. Stephanus proximo statim anno, magno Christianæ rei incommodo, obijt: cuius VI. A. MLVII.

 locum

locum cùm Benedictus vi invasisset, Nicolao, quem Romani ab Henrico Augustæ commorante postularunt, ritè inaugurato, gradu motus est. Sub idem tempus Andreas Vngariæ rex pacem per legatos petijt, útque firmiùs coalesceret, affinitatis etiam mentionem intulit, repetito Henrici Sancti exemplo, qui Gisela sorore Stephano transmissa, eo velut vinculo Germaniam Vngariámque in mutua fœdera optimo publico colligârit; quo per mortem abrupto, continuò bella exarsisse in vtriusque gentis perniciem. Ea cùm sopiri posse conjugio spes sit, improbè de flamma & ferro armandísque exercitibus cogitari. Pacem, quæ dubio bello quæratur, ab vna fœmina importari regno posse, ídque ea ratione devincire quàm vincere Regi pulchrius fore. Placuit moderata oratio. Rex Sophiam sororē Salomoni Regio filio despondendam, in Matris comitatu, ad fines Vngariæ deduxit, pacémque eo pignore sanxit. Sub Autumnum Chuno Dux Carantanorum cum egregio exercitu Langobardorum fines ingressus nō sine clade inde rejectus est. Marchiæ Veronen-

A. MLVIII.

ANDR. REX VNG. PACEM CVM AFFINITATE POSTVLAT.

Ann. Altah. Lambert.

CVNO CARANT. DVX CÆSVS.

ronenſis occupandæ causâ, quam Welfo antea tenuerat, eam expeditionem adornaſſe crediderim: eidem immortuum Lambertus affirmat, ſed Langobardos non nominat ſæpius in horum decurſu annorum falſus, quos cùm peregrinando abſumpſiſſe ſe fateatur, mirum non eſt, aliena fide innixum in cōdendis nobiliſſimis Annalibus, quibus elegantius ex omnibus ætatis ejus reliquijs nihil ſupereſt, ſubinde vacillare. Appendix Hermanni duos Cunoni annos adijcit, & tū demum Bertholdum Zäringenſem ea dignitate auget. Is in petitione Alemannici Principatus repulſa ſugillatus eam injuriam impotenter ferebat, qua non ipſe duntaxat ſed Pij etiam Cæſaris Manes læſi forent. Illius enim anulū oſtentabat virtutis fideíque cauſa pignori ſibi datum, ne quis alius Othoni SchVVinfurtenſi ſuccederet. Verùm cùm illi hoc anno mortuo Auguſta Rudolphū Rheinfeldenſem, filiâ eidem deſponsâ, ſubrogaſſet, leniendus neceſſariò aliâ illecebrâ animus ſtomachantis fuit, próque Alemannia Carantani promiſſi. Sequens annus frugum omniū vbertate inſignis

Vrſperg. *Herman. Appendix.* *F. Gulliman. l. 5. Habſpurg.*

DE ALEMANNIÆ DVCATV CONCERTATIO.

Ann. Altah. A. MLIX. & MLX.

 ſed

ſed hominum animaliúmq; corporibus gravis funera per omnem BOICAM denſavit. Secuta eſt hiems longè acerrima, cujus vi multi mortales obriguere. ſolutæ verno tepore nives omnia inundarũt, vt pleraque humanarum calamitatum exempla in duos annos appareret confluxiſſe. Chriſti cunas Rex Friſingæ adoravit. Oetingam inde digreſſus VIII. Non. Ianuar. regulorum Orientis pietatem paribus ſtudijs eſt æmulatus. Æſtatis initio Balduinus Salisburgenſis Antiſtes rebus humanis exceſſit; in ejus locũ præſenti favore Numinis Gebhardus ſuffectus eſt novum BOICÆ ſidus tantóque opportunius quãto fœdiores orbi Chriſtiano tenebræ imminebãt facilè etiam in BOICA Religionis ſplendorem extincturæ, niſi hujus viri radijs ſuſtentaretur. Suevia illum BOICÆ ſubmiſit magna omnia decora ſanguinis, ingenij, animíque ſecum ferentẽ: Per ea Henrico Auguſto Filióq; Regi commendatus ad Magiſterium Epiſtolarum aſcendit non niſi ſummis viris conceſſum. III. Kal. Aug. Gebhardo Ratisbonẽſi, Engelberto Batavenſi, Ellenhardo Friſingenſi, Altvvino

S. GEBHARDI SALISBVRGENSIS INITIA.

no Brixinensi, Gundakaro Aistetensi, Adalberone Würceburgio Episcopis deducentibus dignitatem adijt. Fuerat illi cum Adalberone, quem vltimo loco nominavi, rebúsq; poscentibus producturus sum frequentiùs, jam inde ab adolescentia intima familiaritas morum similitudine studiorúmq; contubernio contracta, in quo etiam Altmannus adolevit, quem paulò pòst Batavensibus Episcopum dabimus. Hos olim ad fontem limpidum accumbentes sua sibi fata jocosis oraculis, quæ tamen Deus eventúsque probarunt, cecinisse & mitras, quas postea tulere, designasse destinasséque animo Religiosi domicilij molitionem, in quo sibi olim tumulum foderent, constans fama est, cui nihil derogamus gnari divinitatis argumenta sæpe inter cunas & crepundia eorum, quos ad magna nasci Deus voluit, traluxisse: & quidem theatrum virtuti eorum hoc ipso anno Nostri Annales, quos ferè sequimur, aperiunt, Nicolai Pontificis morte, natóq; ex ea inter Regnum & Sacerdotium dissidio in hoc tempus incidentibus, quæ nos consensu plurium victi in se-

PVERILE DE SVMMIS HONORIBVS ORACVLVM.

Ex Vita B. Gebhardi.

Ann. Altah.

sequentem promenda seponemus. Gebhardus Ratisbonensis, qui Inaugurationi Salisburgensis Antistitis interfuerat, paulò pòst decessit. Otho illi ex Babenbergensi Collegio adscitus successit. Interim in Vngaria, Bela turbante, novi motus exorti. Frater is Andreæ regis fuit idemque hostis, nullis alijs irarum causis, quàm quæ omni ævo solæ ferè fraternas acies instruxerunt. Regni cupiditas fieri subegit impium, quod cùm neque fratre mortuo sperare jam posset, diademate ad Salomonem filium translato, detrahere id vtrique statuit, haud ignaro consilij Andrea. & verò, si quid Bonfinio credimus, Andreas accersito ad se fratre & coronâ cum gladio in medium prolatis, optare Belam alterutrum, &, si gladium Principatûs insigne aspernaretur, regnum cum coronâ capessere jussit; comparatis tamen clanculum percussoribus, qui Coronam invadentis latus gladio, quem fastidisset, haurirent. Sed Bela de concinnata in suam perniciem stropha, Nicolai cujusdam, qui ad januam excubans furtiva consilia sublegerat, indicio edoctus periculum simulatio-

BELA VNGARIAM TVRBAT.

latione modestiæ evitavit, gladiúmque humo sustulit, eo in fratris sanguine cruentato, brevi etiam coronam ad se tracturus. Mox enim coactis vndequaque & ex Polonia potissimùm copijs fratris res in vltimum adduxit discrimen. Rex Henricus de eo admonitus Epponem Citicensem Episcopum, Marchiones Saxonicum & BOICVM eò cum validis auxilijs misit, Bohemis eodem contendere jussis; quorum adventum vel nostrorum vel hostium properatio antevertit. Bis pugnatum Lambertus scripsit, cum ingenti primùm hostium strage; ad quã vindicandam cùm Vngariam omnẽ Bela accendisset, optimum factu Andreæ visum tempori cedere & se suáque collocare in tuto. Igitur Conjuge cum filio Nurúque & gaza regia in arcem Medlicensem Marchioum BOIARIÆ Regiam præmissis, ipse cum gentis suæ non spernenda manu & copijs adventitijs iter eodem intendit. Cum ad fauces regni venisset, Bela vltimis incumbens extremúmque carpens agmen causam pugnæ dedit. Ira illic pro arte valuit; quo quemque loco hostis occupavit, eam stationẽ tenuit

HENRICVS CÆS. ANDREÆ AVXILIA MITTIT.
Ann. Altah.
Lambert.
Herman.
Append.

tenuit vivus implevítque mortuus. Fugam noſtris exprobrabat hoſtis fœdioribus viciſſim verioribúſque convitijs aſperſus; impia contra regem arma, latrocinium non bellum, venalis pro fratricidæ ſcelere anima, & ſanguinis tyranno emancipati vilitas, amiſſa non modò vivendi ſed ne moriendi quidem honeſtè poteſtas, erubeſcenda ſine dubio probra Vngaris obijciebantur gladium extortura adhuc retinentibus ſenſum honeſti; ſed apud regum ſuorum deſertores & exercitatos in civilibus bellis aculeum morſúmque amiſerant; & debuit ſcilicet

ANDREAS EADEM QVÆ FECERAT, PASSVS.

Andreas ſuis exemplis plecti, viribúſque ſcelerati exercitus, quem nuper contra Petrum armis animíſque inſtruxerat, obrui & improbè partæ potētię eoſdem pati everſores, qui ejus autores fuerant. Igitur Fortuna in mala olim cauſa obſequens in bonâ eum deſeruit, ijs quoque

DESERITVR À SVIS.

fidem exuentibus, quibus plurimùm vtebatur. Nam qui illum domo ſecuti fuerant, ſolicitati in acie à civibus ſuis vel tranſitione ſibi vel fuga cōſulebant, vt noſtri à qualibuſcunque ſocijs proditi, vniverſa belli mole in ſe verſa, pares

totius

totius regni viribus esse non possent. Andreas, quoad licuit, optimi Ducis militisque officijs perfunctus, dum inter primos fortissimè pugnat, excussus equo hominum jumentorúmque calcibus obtritus est. Episcopus Citicensis vivus in potestatem venit. reliquis vt tutior receptus esset, duorum potissimùm virtute factum est, Wilhelmi Marchionis Thuringiæ & Potonis Boii è Comitum Burgkhusianorum sanguine, quorum facinora illo prælio edita diu patrijs decantata carminibus eos immortales fecerunt. Eminentiorem tumulum occupaverant, irrisa primùm temeritate, vtique postquam neque manus tendere neque proijcere arma, sed comparare se ad pugnam & lacessere victorem exercitum visi sunt. Igitur contemptim qui proximi astiterant, præbere jugulum jusserunt jam devotos Orco; illi ferro exceptos pati, quæ minabantur, coëgere, idē alijs super alios irruētibus facturi, vt subinde hostilium cadaverū strue pro vallo vterētur, intra quod invicti cruentis gladijs in omnem partem fulminabant, audaciâ ex successu crescente, ambigentibus

Inaudita duorum herorum facinora.

bus

bus Vngaris, an res ſibi cum hominibus foret, quorum vt impenetrabile ferro corpus eſſet, manus certè poſt tot cædes debuerant langueſcere. Igitur obſidere illos in nudo tumulo ſuſtinuerunt obſervaréq; per noctem jam ingruentem, quò illa incredibilis fiducia eſſet eruptura; ne ſic quidem deditionem ijs extorturi, ſi fames æquè ac cætera vinci potuiſſet; eam denique ſub ſolis ortum confeſſi, fide priùs acceptâ, permiſere ſe hoſti attonito & virtutem quantumvis fatalem ſibi admiranti: neque eam Ioas Belæ Filius (Geyſam Vngari vocant) pro illius tum gentis moribus haud deſperatæ indolis, vti Lambertus loquitur, adoleſcens patri prædicare deſtitit, quoad eum ad jungendum affinitate Wilhelmũ impulit: Ille conditione acceptata dimiſſus in patriam, ſequenti anno, dum ſponſam parat domum ducere, morbo correptus obijt. Eius initio Henricus Rex cum Matre Ratisbonam profectus eſt; eodem etiam vidua Andreæ Regis cum Salomone Filio & Sophia Nuru, ſorore Henrici ejus patrocinium implloratura acceſſit. Curæ fore Regi injurias non

A. MLXI. *Ann. Altah.* REGIBVS VNG. EXVLIBVS AVXILIA PROMISSA.

non ad ipſam magis quàm ad Germanicum nomen vniverſum pertinentes, viduæ reſponſum; ipſa ſervare ſe rebus ſecundis & fortunam opperiri in BOICA juſſa; ſumptus ad dignitatem ſplendorémq; vitæ tuendum de publico præbitus. Salomonem Regulum cum ſorore ſponſa ſecum Rex in Franciam abduxit. Bela victoria ſua tumens quotidie Legatos de pace ineundáq; ſecum amicitia præſtolabatur nihil dubitans timeri ſe, & omine ex primis potentiæ initijs capto, cautum ſibi eſſe in futurum, ne quiſquam, poſt tam nobile viriũ ſuarum experimentum, excitare quieſcentẽ vellet. Sed cùm præter ſpem ne de captivis quidem redimendis mentio fieret, versâ aliorſum cõjecturâ, pro pace bellũ brevi habiturum ſe auguratus, ejus à ſe avertendi ſtudio famam clementiæ, captivis omnibus ſine pretio dimiſſis, ſibi captãdam putavit. Sed id lenimentum iræ exiguam bello moram allaturum fuerat, niſi turbæ domeſticæ rerum exterarum oblivionem aut certè negligentiam induxiſſent. Pontificem Romani, Rege inconſulto Alexandrum Lucenſem antea Epi- *Ann. Altah.* SCHISMA PONTIFICVM.

Episcopum legerant. Cadolus Parmensis ejusd. dignitatis ambitione exęstuans Augustam, vbi regem esse cognoverat, profectus Agnetis Augustæ & Henrici Augustensis Episcopi, qui vnus omnia apud illam poterat, favore technísque Palatini gregis, cui aurum objecerat, puerile Regis suffragium sed valiturum tamen in vulgus eblanditus est, & sacrosanctorum insignium, in quibus Pontifices adorantur, aliqua furto nactus, ijs exornatus processit in publicum novũ orbis monstrum. Alexandro etiam à Romanis Proceribus, qui rerum novarum cupidi eum aspernabantur, invidia conflata est; empti à Nortmannis Pontificatus notâ, amandatis ad Regem oratoribus, ejus innocentiam sugillarunt. Subijt nihilominus Regios sententiæ præcipitandæ verecundia: Missus Romam Halberstatensis Episcopus Bucco, qui de nundinatione anquireret, propiúsq; inspectis rebus certiora referret. Id fecisse operę fuit. Bucco calumniatoris impudentiâ deprehensâ, Alexandrum ritè moréque majorum creatum pronunciavit. Ex quo Lambertum er-
roris

roris arguas, qui Bucconem Cadolo honorarium ducem additum, & ob navatam ambitioni ejus operam magnificè donatum perperam ſcripſit.

Eadem tempeſtate Agnes Auguſta BOIARIÆ ſe adminiſtratione ſponte abdicavit, non ſine laude modeſtiæ ejus, quæ clarior multo futura fuerat, ſi tutelam filij & regias curas eadem operâ à ſe removiſſet, quas proximo anno, alieno arbitrio, nulla facti gratia gloriáque ejurare coacta eſt.

AGNES PRINCIPATV BOIARIÆ SE ABDICAT.

Lamb. Vrſp. Ann. Altah.

OTTO II. GOTTINGENSIS SAXO DVX BOIARIÆ.

BOIIS Otto Gottingenſis dictus Saxo gente ſingularis prudentiæ fama Princeps datus eſt. Eum virum jam pridem Reipub. langueſcentis miſertum fuerat, Imperij Majeſtate vnius fœminæ & Pueri manibus innixâ, quibus verè orbis terrarum pro pila ſit datus, velut in oblectamentum ludi. Reginam & Regulum duo ſumma in terris eſſe nomina, quæ adoranda Germaniæ proponantur, in quæ exercitus ſacramentum concipiant, quæ præſcribantur legibus, quibus aſſurgere

A. MLXII. OTTO BOIIS PRINCEPS REIP. STATV OFFENDITVR.

PVERILIS & MVLIEBRIS IMPERII REPREHENSIO.

viros principes necesse sit. Vt nulla infelicis imperij muliebris exempla sint, & dicta in contumeliam naturæ censeantur, quæ quotidie audiunt convitia; non sint timidæ, non inconstantes, ament, oderint moderatè, dicantur masculæ, & præter sexum omnia virilia habeant; da re tamen eas jura orbi terrarum, imperare Germanico nomini Semiramidem, & ad muliebris supercilij reverentiam effœminari viros tam esse inter probra, quàm Herculem adspici ad colum. Iam æquè fœdum illud, adolescentulũ Principem regiarum artium palæstram Gynæceum habere, & Imperare, rem proximam divinitati, Magistra matre vltimâ Sibyllarum discere; quasi ejusdem sit puero mammam dare, & instillare præcepta summæ sapientię: instruere aciem, oppugnare mœnia, ferire hostem inter muliebres eum rixas doceri, & castrensi tirocinio apud Amazones posito, proditurum è sinu Matris Imperatorem. Patris gratiæ & egregijs ejus in Remp. meritis datum, vt quinquenni puero corona imponeretur Carolis, Othonibus, Henricis Magnis Sanctísque regibus gestata,

ſtata, &,cùm aliud nihil ſuppeteret, pro plauſu vota nuncupata,lætáque omina mortalium commendata eſſe benevolentiæ Numinis, vt revireſcens Germaniæ gloria paribus cum illius ætate adoleſceret incrementis, vnáque augeſcens ſuum acquireret robur. cujus voti quando tādem compotem patriam fore, Regem regentib. fœminis & magni nominis vmbrâ ad vendenda orbi ſua ſomnia abutentibus? Quantò rectiùs ejus ætati cautum fore, ſi eductus è muliebri ſenaculo aſſuefieret ſeverioribus curis ſub Heroum manu, & veris virtutibus, quæ à viris ſuum etiam nomen mutuatæ ſint, in virili contubernio imbueretur? cùm enim, præterquā annuere alienis dictis ſcitíſque, nihil poſſit, alióſque pro illo ſapere neceſſe ſit, minore vtique periculo & verecundia ſententijs virorum ipsū regnúmque incubiturum; viros quoq; minùs ridiculos futuros, ſi adorare tandem conſilia deſierint, quæ fœmina dederit,& puer probârit. Hæc Otho apud optimum quemque & maximè memorem Germanicæ dignitatis conqueſtus confidentiſſimè in Ecberti Comitis &
 An-

OTTO HENRICVM CÆSAREM MATRI ERIPIT.

Annonis Colonienſis aures deponebat, cum quibus deniq; conſilium cepit regis pueri è fœminarum curia per vim abducendi, ſcenâ in hunc modum ſtructâ. In D. Suitberti Inſula, quam Rhenus facit, epulatum regem, per ſpeciem inſpiciundæ navis Anno in littus prolexit, ingreſſúmque cum paucis & conſilij gnaris repentè è ſuorum conſpectu abduxit. Nemini dubium fuit, miniméque omnium Regi, ad necem ſe rapi; exſonabat tota Rheni ripa triſtiſſimis vocibus indignas innocui Adoleſcentuli vices miſerantium imprecantiúmque diras Annonis capiti vnicũ Germaniæ ſidus ſcelere plus quàm paricidiali extinguentis. Rex à ſuis conclamatus ſponte in mortem ruens navi exilit, quòd perire quàm periclitari mallet; hauſtúſque momento

REGIS PERICVLVM.

fuiſſet, nî Ecbertus Comes ſaltu eum ſecutus, ſecum magis, quàm cum vndis luctantem & ſorberi quàm ſic ſervari cupidiorem, cum ſui periculo capitis, navi reddidiſſet tum quoque adverſus blanditias ferocem neque vultum antea exporrigere auſum, quàm Coloniam magnificentiſſimo apparatu ſubeunti redire

redire color & meliorum, quàm quæ augurabatur, fiducia cœpit. Sed infusa paulò pòst vrbi Palatina turba insano quiritatu & capti regis comploratione ingentes in animis civium motus concivit. Conflagrabat invidia Episcopus vltima mox à furente plebe passurus, nisi producto in publicum Rege sui rationẽ facti dedisset, incensósque atroci suspicione animos ad inspicienda consilij sui arcana admisisset palámque fecisset, sub illa captivitatis vmbra & larva Libertatem Principis latuisse; tùm servire eum desijsse, cùm se crederet captum; hoc astu eversum muliebre imperiũ & Germaniam redditam viris; quæ bona cùm emenda etiam sanguine fuerint, gratulandi nõ tumultuandi tempus esse, Reipub. per innoxium ludum jocúmq; consultum. Vim & injuriam cùm diluisset, etiam ambitu se absolvit. Ne enim vnus Remp. ad se trahere videretur, lege lata omnes sibi Episcopos jure exæquavit; prout res tulisset, atque vt cujusq; fines rex subijsset, ita penes quemvis sacrorũ Procerum summã rerum & regis tutelam vicésque fore pronunciavit. Regina

ANNO FACTI RATIONEM REDDIT.

FORMA REIP. CONSTITVTA.

AGNES REGIS MATER IN SANCTUM OTIUM SECEDIT.

mater supra fœminā fortis læsam se filij raptu & extortis fascibus vel non sensit, vel præ se non tulit; certè sine tumultu & gestienti propior in otium secessit nō voluptuarium, sed quale vel Kunegundas deceret dicatum sanctioribus curis, moderatorem earum pariter laudatorémque Petrum Damiani nacta, quo viro, ea quidem tempestate, nemo virtutem veriùs intellexit, aut severiùs coluit. Huic cùm Romæ ad D. Petri aram, quam exinde pro regia habuit, vitam omnem, *ab ipsa vsque quinquenni infantia* (illius testimoniū & verba sunt, explicasset & vivendi ab eodem leges accepisset, mirificos sub viri disciplina fecit progressus, quibus tantum sibi laudis peperit, quantum in purpura nunquam tulisset; vt illi quidem in ordinem redigi tanti fuerit spectaturæ è portu tempestates & naufragia, viris gubernantibus, increbrescentia; sed illis ipsis viris, qui fœminæ clavum extorserant, cujus ea sive virtus sive fortuna fuit, vt quæ felicitati publicæ in Imperio obsistere visa est, exauthorata demum calamitatibus locū fecisse longè veriùs

credi potuerit, vt nullum vnquam consilium eventus luculentiùs damnaverit. Interim Cadolus Parmensis Pontificatum auro emptum tueri contra Alexandrum ferro statuit, Romámque cum exercitu profectus & in pratis Neronianis castra metatus Alexandrum prælio vicit. Sperato tamen victoriæ fructu Godefridus cum Marchio spoliavit & vrbē ingredi passus non est, causâ integra ad Henricum rejectâ; quem cùm vtriusque legati adijssent, majórque res videretur, quàm quæ extemporali sententia rectò finiri posset, prorogatum interim Alexandro imperium, donec de vtriusq; jure pleno concilio quæsitum esset. Proximo Natali Henricus Frisingæ fuit, & Altahensibus Wenceslaum Abbatem dedit. Goslariæ Pascha egit, cujus pervigilio fœdissimam litem ambitio inter ipsa sacra & sacræ ædis ambitum excitavit. Hildesheimensis Episcopus cum Abbate Fuldensi de loco pugnabat, collisísque inter se vtriusq; familiares rem à verbis ad verbera deduxerant, ferrum etiā stricturi, nisi Otto BOICÆ Dux auctoritate sua furentes disjecisset. Pentecostes ferijs

Ann. Altah. Baron.
BELLA PONTIFICIA.

A. MLXIII.
Ann. Altah. Lambert.
CERTAMEN AMBITIONIS.

rijs lis eadem in bellum deniq; erupit, quod ne quis dubitet sacrum dicere, justa propè acie in templo concursum est; humani sanguinis rivis atq; maduere. Hecelo Episcop⁹, capto editiore loco, hortator suorum veluti classicum cecinit non modò contra Regis medium sese inferentis minas valiturum, sed religionem animis, si quam loci reverentia & præsens Numen cunctantibus injecisset, excussurum. Aliquam ejus fœditatis famam ad Wilhelmum Malmesburiensem manasse suspicio est. gemina certè & simillima huic pugna apud illum pugnatur; nisi quòd multa illius in assignandis temporum locorúmque notis est erratio; ipsos etiam gladiatores imperitè inter se committit, & Fuldensem cum Moguntino cōponit, cùm de hujus non Regis latere tegendo ea omnis esset orta concertatio. Prodigium insuper adjicit memorabile inprimis dignúmq;, quod Lamberto non excidisset. Cùm lustrato templo repetita sacra essent, & chorus illud ex formula Deo epinicion caneret, *Hunc diem gloriosum fecisti*, carmē velut amœbæū ex aëre feralis Echo retulit,

De gestis Angl. l. 2. c. 12.

Hunc

Hunc diem bellicosum ego feci, de cuius auctore cùm dubitari fas non esset, rex tamen quà licuit Dæmonum triumpho intercessit, coactísque pauperum gregibus apparatum convivalem omnem his honorarijs hospitibus apposuit; ipse ministratoris officio functus soluto epulo etiam mensas absterſit; ad quod spectaculum nihil dubitem cælites à prioris sacrilegij atrocitate aversos vultum reflexisse. Factum Wilhelmus Henrico Patri attribuit, & est certè moribus illius convenientius, nisi id ab eo annalium silentium abjudicaret; vt proinde vel in hanc stationem recipiendum, vel remittendũ ad fabulas sit. Sed nos impio & detestabili bello, ex quo inferi triumpharunt, purum piúmque subijcimus, quod primam Henrico lauream imposuit; Vngarus illam Bela dare coactus est, pœnas fugati cum filio Salomone Andreæ seriùs fortasse quàm par erat, sed tamen cũ fœnore persolutur[?]. Arma in illum Moguntiæ decreta magno consensu. Nobilissimus quisque in ejus societatem belli vltro nomen dare, periclitari fortunam novorum auspiciorum, & ambire latus

PVLCHRVM & SANCTVM HENR. CÆS. CONVIVIVM.

PRIMA HENRICI ADVERSVS BELAM EXPEDITIO.

Ann. Altah.

Regis tunc primùm armati prodituríq; in ſolem. Trepidabat ad famã apparatûs Vngarus in exigua noſtrorum manu expertus nuper Germanicum robur, cùm duos viros toto exercitu circumſeſſos tamen non expugnaſſet: deprecari ergo bellum quàm gerere maluit. Negabat per ſe ſtare, quò minùs Salomon imperet: honores ipſum ſuos fugâ declinaſſe; quódque ſibimet exilium decreverit, ferre; Derelictam ab eo orbámq; Remp. in ſinum ſuum confugiſſe; non fuiſſe ſuæ pietatis illius tutelam aſpernari. Capiti diadema imponi paſſum eſſe, quo ſi Salomonem Rex digniorem cenſeat, haud gravatè illud exuturum; vnũ precari, vt modeſtia ſua ſibi fraudi ne ſit, quémque antea Ducis titulum tulerit, nunc quoque, regio nomine ſponte remiſſo, reſumere liceat. Id ſe ſupplicem ab inermi petere, qui ne armatus quidẽ plus à ſe ſit poſtulaturus; de corona ſtatueret vt vellet; nunquam eam tanti ſibi fuiſſe, vt armis aut quærendam, aut cum alterius injuria defendendam exiſtimaret. Eam ſi fas fuiſſet, ad Henrici pedes ſe poſiturum fuiſſe, nunc quod charius

BELÆ FICTA LEGATIO.

multo habeat, filium se, nisi aliter ei videatur, obsidem suæ fidei observantiæq; missurum. Palàm erat animum regis ab oratione legatorum dissentire; infecta proinde pace remissi sunt, milite interim strenuè in BOICA ad signa convolante. Rex ad fines profectus obsepta omnia itinera reperit. Vtibilis Vngarorum, qui cum Salomone in nostrorum comitatu erant, opera fuit. periti deviorum callium iter parti exercitûs per arundinetũ explicuere; per quod etsi eluctati sunt, non tamen putarunt regem iisdem difficultatibus, vti antea convenerat, obijciendum. Muessingenburgum aggressis & necessaria oppugnationi comportantib. rex alibi perrupto aditu præter spem jungitur: vrbs primo assultu capta, rectáque in hostes haud procul inde tendentes itum. Bela sub ipsum pugnæ articulum, ne fortunæ de se arbitrium permitteret, fatis concessit. Vngaris intempestivum visum pro rege mortuo niti: neque Geysa Filius tristissimo afflictus casu verba reperit, quibus milites erigeret ipse consolatoris egens. Apparebat à Numine bellum diremptum, in manifestum

BELA MORITVR.

festum causæ præjudicium, ejus concitatore eodem momento extincto, quo signum pugnæ proponendum fuerat. Nulli placuit petitum à cadavere omen, & cœptum inter comploratione funebres classicum non tam ad conflictum quàm fugam militem accendit, maximè Geysa exemplo præeunte & pernicibus equis elapso. Vngari cùm Regi mortuo & Principi fugitivo satisfecissent, tutissima secuti in Henrici clientelam concessere. Bellum in pompam & hostilis exercitus in honorarium comitatum desijt, qui Salomoni Regi Albam deducto sacramentum sub ijsdem armis dixit, quæ in illius perniciem erant sumpta. Ita pax regno sine sanguine reddita & copiæ in BOIARIAM reductæ belli spolijs per otiũ locupletatæ. Anno sexagesimo quarto Mantuæ de Alexandri & Cadoli jure, iterum coacto concilio, quæsitũ; Regis nomine Anno Coloniensis interfuit: Probata Alexandri causa: Cadolus nõ modò sede Petri, quam affectârat, sed piotũ etiam cœtu mot' est. Proximo ab illa proscriptione die, Cadoli factio templum irrumpens omnia tumultibus miscuit; nuda-

VNGARORVM DEDITIO.

A. MLXIV. *Ann. Altah. Baron.*

CADOLI CAVSA DAMNATA.

nudati in comitio ſupra capita ſacrorum Antiſtitum enſes & jactæ mortis minæ; deſertus ſuorum fugâ Pontifex, vno penè Wenceslao Altahenſi Abbate latus illius tegente, haud dubitaturo in optima cauſa vitam ponere, ſi furere pergerent, neque ſuperveniens Beatrix Godefridi vxor comitatus ſui viribus impios profligaſſet. Per Annonis Colonienſis abſentiam Adelberti Bremenſis Archiepiſcopi vires in regia crevere, magno malo publico. Id enim creditum eſt, eũ regi fœdè aſſentando & gliſcentibus in primo ætatis flexu cupiditatibus morigerando, non modò frenos modeſtiæ, quibus Anno adoleſcentiæ ejus impetus coercuit, laxaſſe, ſed in præcipitiũ propè admotis calcaribus egiſſe. In cujus viri famam etſi palàm ſit intemperantiùs nõnullos eſſe debacchatos, patrocinium tamen invidiâ conflagrantis non profitemur, ne ſi id quidem Crantzius nobis perſuaſiſſet; BOIVM gente innexúmque familiæ principi fuiſſe; quin potius vndecunque natum, vbi vſus erit, ſuis coloribus repræſentabimus, quos in nullo homine magis varios reperias, ſummâ

ADELBERTI BREM. EP. INGENIVM

Chron. Laurish.

Lamb.

Hiſt. belli Sax.

Alb. Stadens.

Metrop. l. 4. c. 31.

vir-

virtutum vitiorúmque mixturâ. Nam & illi, qui Henricum ab eo in Epicuri scholam introductum criminantur, ipsum tamen discingere cultáque per omnem vitam castimoniæ laude spoliare nunquam sunt ausi: & à quibus fastus nomine atrocissimè vapulat, ijdem abjectum ad mendicabulorum pedes triginta sæpe & amplius viros abluisse non diffitentur, quod non nisi modestiâ magistra discitur; quò minùs indignum fuisse existimamus, qui sacris Ecclesiæ carminibus, anno sexagesimo quinto, hominē à dæmone liberaret, etsi id virtutis potiùs argumentum, quàm concessæ sacerdotio potestatis esset.

Lambert.

VII.

NOBILIS IN TERRAM SANCTAM PEREGRINATIO.

Ingulf. *Lamb.* *Berthold.* *Vrsperg.* *Ann. Altah.* *Marian.*

Insignis est hic annus votiva peregrinatione in Dei hominis natales fatalésque terras à copiosissimo piorum agmine suscepta, quod nonnulli duodecim millium capitum fecere. Ex vtriusq; ordinis flore eminebant facilè principes Sigefridus Moguntin⁹, Wilhelmus Trajectensis, Otho Ratisbonensis, & Guntherus Babenbergensis Episcopi, quibus ex proceribus BOICÆ Fridericum Diessensem, Eckhardum Schyrensem, Orthul-

thulphum HohenvvartenſemComites, domeſtici Scriptores annumerant. Erat Guntherus tam venuſto oris totiúſque corporis habitu,vt quaqua iret omnium in ſe mortalium oculos converteret; concurſus etiam ejus ſpectandi ſtudio ex agris & vrbibus facti, quaſi pars beatitatis eſſet hunc non hominem ſed ſemideum vidiſſe. Regem eſſe nemo dubitavit; ſed majeſtatem vultu proditam aliena veſte diſſimulari; neque minus Germaniæ opes & totius Imperij ærarium ſuffecturum longiſſimo itineri non ad neceſſitatem modò ſed ſplendorem vnà vehi perſuaſum avaris gentibus fuit, ſub quarum oculis ea pompa traducebatur triumpho quàm ſupplicantibus convenientior; quæ illecebra famæ ijs gloriæq; plurimum, ſed periculorum tantundem concivit. Guntherus certè in ſua ad familiares epiſtola multò acriùs cum hoſpitum quàm itinerum iniquitate luctãdum fuiſſe affirmat dura omnia perpeſſis jactatíſque inter infida Vngarorum miniſteria, Bulgarorum clancularia furta, Vzorum rapinas, Byzantina ſupercilia, Aſiatica latrocinia, creſcentibus cum via

Vrigul.Hund. 1.lib.Stemm. Avent.l.5.

GVNTHERI FORMA.

VIARVM PERICVLA.

via calamitatum exemplis, vsque ad vltima humanæ patientiæ tentamenta. Arabum ante alios barbara erat immanitas & æqualis propè opum humaniq́ue sanguinis sitis; quæ cùm Tripolitanum Regulum penitus corripuisset, actum scilicet de salute Pij Agminis fuerat, nisi pro inermibus cælum pugnasset, ignibus fulminibúsque ruere in noxia capita & avaram vrbem non ante desinentibus, quàm barbari Christi manum & divina missilia reveriti suam salutem Christianorum impunitate redemere. IX. Kal. April. Cæsaream; proximo, qui Dei acerbissimæ morti sacer est, Capharsalam, inter Arabum infestas acies & tela impune volantia, multum jam imminuto numero, desiderato etiam Trajectensi Episcopo, subiere: illic castelli veteris ruinas, patula in omnem partem areâ, & semirutæ maceriæ septo incinctas castrorum vicem occupant, aditus suorum objectu corporum muniunt, ingruentémq; hostem sparsis lapidibus, & remissis, quę inde venerant, telis nō tantùm sustinent, sed submovent etiam, ad eruptiones vsque & lacessendū comınus hostem provecti.

OBSIDIO & OPPVGNATIO PIORVM CAPHARSALITANA.

vecti. Barbari prima depulsi spe locum corona cingunt, abundante ad omnia obsidionis munia multitudine, vtiq; cõtra nudos & exhausta ærumnis corpora ægrè jã scipione sustinentes, & vel commeatus inopiâ, quem jam antè interverterant, ad desperationem adigendos. Duravit tamen invicta nostrorum patientia in tertium vsque diem, donec vltima ausos passósque sacerdos quidam ad deditionem faciẽdam impulit. Quid enim superesse ægrè jam animam trahentibus, quod vel sperent, vel metuant? quid tristius passuros deditos, quàm obsessos? cùm & speciosior mors futura sit ferro quàm fame obita, & gloriosius militi Christiano Imperatoris sui Christi vestigia non adorasse tantùm sed cruentasse, bonáque fide refudisse sanguinem illi, qui sibi guttulam non fecerit reliquam. Quòd si quibus ad reddendam Christo vicem satis virium non sit, nimiúmq; pretium in vili anima videatur, etiam abnuentibus mori necessariam deditionem: clausos circumsessósque quid aliud quàm commune sepulchrum habituros, cùm fortasse præter

SVADETVR OBSESSIS DEDITIO.

spolia nihil petat barbarus, quæ timidi vtique malint vivis sibi detrahi, quàm mortuis? quocunque res cadant, paciscentibus aliquam vitæ spem relinqui, obsidionem nisi morte non finiri. Fortibus juxtà timidísque persuasum est, vt à nihil profutura pertinacia ad humiliora consilia magísque congruas supplicibus artes descenderent. Illicò abjectis, quæ inconsultò sumpserant, armis facta deditio est. Arabum Princeps cum septendecim nobilissimis de toto latronum exercitu turrim à Moguntino & Babenbergensi occupatam conscendit, filio ad portam præsidij causa relicto. Guntherus, ad quem formæ præjudicio & populari errore regem creditum barbarus se applicuerat, cùm præter vitam nihil exciperet, negavit tamen Arabs conditionem vllam se accepturum; explicatámq; qua frontem evinxerat, tæníam collo ejus inseruit torsítque in nodum professus se formosi hominis sanguinem sitire. dicti atrocitate perculsus Guntherus, pugno in os impacto, necopinantem humi afflixit vinciríq; cum asseclis jussit. Eodem momento conclamatum ad

DEDITIONEM FACIVNT.

GVNTHERI MAGNANIMITAS.

ad arma est, quaque densior telorum incidebat imber, collocati barbari, fulgurante super singulorum capita nudo ense, & vociferantibus Christianis, missilium vicem sibi capita Principum fore, si sævire perseverent: Diriguere spectaculo hostes & vltro concessis inducijs, in summa cõsilij inopia, diei reliquum noctémq; attoniti exegere. Die sequenti vrbis Ramulæ Dynastam, cui cum Arabum gente veteres inimicitiæ intercedebant, cum exercitu adventare vtrisque castris percrebuit; quæ fama etsi obsidionem solvit, nostris tamen metum nõ exemit haud minus Babyloniorum quàm Arabum nomen suspectantib., & velut mutato non sublato hoste trepidis. Res ipsa pavorem discussit. Ingentes à Dynasta nostris gratiæ actæ, quòd hostem, cui armati pares nunquam fuerint, inermes ipsi in potestatem adduxissent; ejus facti gratiam præsentem, immortalem memoriam fore. Deductos Ramulam per dies quatuordecim benignè habuit, additóque præsidio Hierosolymam duxit. Expedita etiam in patriam redeuntibus omnia fuere. Gunthérum fata, cùm ti-

LIBERANTVR OBSIDIONE & METV.

meri jam desijssent, Oedenburgi in Vngaria rapuere, X. Kal. Aug. Otho Ratisbonensis cum exiguis magni comitatus reliquijs (ad duo millia decreverant) patriam tenuit, ijs subinde procellis jactatus, vt in vrna illi referri præstabilius fuerit. Eadem tempestate Batavensis Episcopus Engelbertus decessit; Ejus Pedū cum Anulo Altmanno nihil ambienti & commodùm ex itinere Hierosolymitano in Vngariā delato transmissum. Saxo gente fuit, sed BOICÆ divinitus concessus, vt Gebhardo Salisburgensi, qui eum inauguravit, in sustentanda avita pietate connixus proditā aliorum præsulum ignaviâ vel metu Ecclesiæ laborantis causam fulciret, &, conniventib. cæteris, hi saltem pro BOICÆ salute oculi excubarent. Pontificatus Taruisinus Rutheri morte viduatus Wulframi Altahensis olim monachi fidei cōmendatus: sed parta foris ei Cœnobio gloria damno domestico est obnubilata; quando Adelberti Bremensis molitione libertate sua excidit Ottoni BOIARIÆ Duci in beneficium, vti tum loquebantur, concessum. Nam cùm Laurishaimensi

ALTMANNVS BATAVENSEM MITRAM INDVIT.

Lambert. Chro. Laurish. Ann. Altah.

mensi & Corbeiensi Abbatijs inhiaret, leniendæ invidiæ causâ, ad similia spolia legenda Regis amicos & potentiæ socios invitavit, & Malmundarium Annoni, Campidonum Rudolpho Suevo, alia alijs objecit. Otto inescari se passus libertatem non vendidit, sed cupiditatib. Adelberti palàm impugnatis, Corbeiẽsem prædam illi excussit; suæ nihilo meliori jure & ijsdem artib. partæ incubuit, familiari humani ingenij vitio, quo alijs nihil, nobis omnia ignoscimus. Non fefellerunt tamen domestici vates dira omnia Ottoni ominantes, Adventitias opes peculium ejus domesticum voraturas; D. Mauritium, in cujus tutela is loc⁹ est, ad res suas tutandas legionem habere; Arnulphũ olim eadem via opes quærentem Mali cognomentum sortitum, posse Othoni Calamitosi & Infelicis obtingere. Obtigisse in loco monstrabimus. Adelbertus, qui Divûm opes spolia fecerat, sacrilegæ prodigalitatis, sequente mox anno, qui sexagesimus sextus fuit, pœnas luit, odijs totius Imperij in eum concitatis, quibus illum eripere ne Rex quidem potuit: hic cùm à latere

ALTAHA OTTONI DVCI SVBIECTA.

A. MLXVI. ADELBERTI FORTVNA CONCIDIT.

Qqq 3 suo

suo Adelbertum ægrè amitteret, jactatæ palàm liberæ voces sunt, aut Adelbertum ei aut regnum ejurandum: non aliter quàm sine Collega hoc imperaturum. iámque vis parabatur nudatique enses sunt, velut ad vomicam Reip. exscindendam. Rex ipse, qui magisterium imò corruptelam morum, communicatâ cùm illo potentiâ remuneratus fuerat, de regno in hunc modum periclitatus propè etiam ad vitæ desperationem adductus est, gravi morbo accedente, quem fatalem illi plures optabant quàm metuerent, læti ob crinitum sidus, quod in Italia primùm visum, hastam deinde, quæ illi pro cauda fuit, etiam in Germaniam vibravit, plerisque procerum in caput regis eam torquentibus. convaluit tamen & Bertham Othonis Italiæ Marchionis filiam pucro olim à patre desponsam in regni thorique consortium assumpsit neutri indecorem futuram, nisi vagæ libidines amorem ejus in animo mariti extinxissent. Laudatissimis interim Agnetis Matris studijs pietati etiam in BOICA cosultum. Altmannus Batavensis Episcopus in suburbano D. Augu-

HENRICI CONIVGIVM.

MONAST. S. NICOLAI PASSAVII.

Auguſtini ſodalibus domicilium dare decreverat: Auguſta fundum conceſſit; eum Altmannus magnificè coluit & D. Nicolao dicavit.

Hieron. Emſer. Lambert.

D. BENNO MISNÆ PONTIFEX.

Benno hoc anno ſanctum univerſæ BOICÆ nomen Miſnenſem Pontificatum adijt, claris natalibus patre Comite in Saxonia natus, primis virtutum rudimentis apud Bernvvardũ Hildeſienſem Epiſcopum, cujus deinde tumulo carmen Epitaphium inſcripſit, poſitis, Monaſticen eſt profeſſus, indéque ad Collegij Goslarienſis Magiſterium præter voluntatem extractus, cùm ſeptendecim annis illud egregiè geſſiſſet, ſpectatum ſatis Henricus mitrâ exornavit, quam Craffto infelici fato exuerat vir vſq; ad ſordes avarus & opibus ſuis immortuus; eas cubili defoſſas novus Euclio cùm reviſeret, fractâ incertum qua vi manúque cervice, malè perijt: familiares vt ad meridiantem revulſo peſſulo ingreſſi exanimem formidabili aſpectu & velut dirius aliquid morte paſſum ſuis incubantem theſauris reperere. Bennonis memoriã rebus BOICIS inſeri, hoſpitij jure, æquũ fuit, quod ſuperiore ſeculo, Martini Lu-

theri maledicentiâ in contemptum adducto & ex ingrata patria emigranti BOIARIA in vrbe principe læta lubénsque indulsit, patronum tutelámque publicam salutavit & experta est. Sed quo tẽpore Bennonem inauguratum diximus, BOICÆ facies multò miserrima fuit, vires ferrúmque, otio ab hostibus externis dato, in sua viscera vertentis. Nihil cuiquam, velut concessâ latrociniorum licentiâ, tutum; crudelitatis barbaræ exempla innumera per vrbes agrósq; edita; multi passim mortales cæsi vel mutilati suas alienásque domos funeribus & luctu implevere. Otto Dux favere populari furori creditus est & ex cladibus publicis quæstum facere; præmiatores, incendiarij, prædones deprehensi convictíque noxæ eximebantur, pecuniæ patrocinio aut prævalente gratia nobilitatis, ad quam coercendam vel animus illi vel vires defuere. Proximo anno Legatus cum Annone Coloniensi & Henrico Tridentino in Italiam abijt, cùm Henricus Cæsar à paratæ profectionis consilio, quod illum jam Augustam Vindelicorũ traxerat, repente resilijsset, proceribus lon-

A. MLXVII. *Ann. Altah.* BOIARIÆ PAX TVRBATA.

OTTO DVX INFAMIA LABORAT.

A. MLXVIII. *Ann. Altah.* OTTO HENR. CÆS. LEGATVS.

longum iter deprecantibus gratificatus. Legati quòd Ravennæ itémque Parmæ Episcoporum, quos Alexander Pont. detestatus fuerat, congressu non abstinuissent, impij habiti, neq; prius, quàm nudis pedibus piaculi causa Romam obissent, in conspectum admissi sunt. Otto socijs Italia digredientibus, substitit & in Placentino agro cum Godefrido Duce Italorum conventum egit. eorum, de quibus palàm relatum est, neque perrogari sententiæ neque confici quidquam potuit, Italis clamore & tumultu omnia miscentibus, déque libertate sua actum existimantibus, si exteri hominis consilia ad aures admisissent; quæ seorsim cũ Godefrido acta sunt, magnæ Ottoni invidiæ fuere. Agitasse facem conjurationis eadémque inflammare Italiam aut certè Godefridum virum factiosum jactatum civilibus bellis & Henrico iniquiorem amburere voluisse, fama vulgavit, incertum qua fide, quam secreta Principum rimantes polliceri faciliùs, quàm præstare possunt. Interim tumultus BOICI Ottonis Ducis indulgentiâ, & dissimulatione exorti, multóque libe-

Triumphus S. Remacli, c.22.

OTTO SVSPECTVS CONIVRATIONIS.

MISERIÆ BOIARIÆ. riùs per ejus abſentiam propagati propè in perniciem patriæ erupere. Viri Principes cùm clientelis abundarent & ſuorum injurias tamquam ad ſe pertinentes vindicare in autores vellent, haud facilè in imparatos incidére; cùm, quanto quiſque juris minus haberet, tanto validiora ſibi præſidia cōparaſſet, eo factionum æſtu ſublevatæ deſperatiſſimæ cauſæ, & ex plebeijs rixis pluſquam civile bellum, totâ ferè in partibus ſtante Boicâ, conflatum eſt. BELLVM CIVILE BOIARIÆ. juſti duo exercitus cāpos BOIARIÆ Orientalis inundavere, in ſua vterque patria non alium adverſariū habiturus, quàm civem: eadem vtrinq; arma ſignáque in communem antehac explicata hoſtem ſimúlque triumphantia, nunc fraternas acies commiſſura & cognato ſanguine imbuenda. Iam furor acies inſtruxerat, jam ad jactum teli & mutuum conſpectum ventum fuerat, ſtricti vtrinque enſes quærebant vulneri locum, increpante tarda Ducum imperia feroci milite, eadémque impatientiâ collectas in certamen iras & vibrata dudum tela cohibente; cùm ſubitò rem DIRIMITVR DIVINITVS. BOICAM in vltima ſtantem linea & ſuiſ-

met

met præcipitandam viribus Numen reſpexit, nulláque humana ſuadâ flectendos animos divina vis non reluctantes permulſit. Affectus patriæ, communia ſacra, ſanctiſſima fœdera eodem cęlo ſolóque natis congenita, quorum memoriam morſúmque cum ipſo humanitatis ſenſu feralis illa rabies extinxerat, velut diſcuſſa nube, rurſus emicuerunt; ad hanc veluti facem adornati ſceleris fœditas erubeſcentibus & ſeipſos miſerantibus eſt oſtenſa. Elapſa illico manibus arma ſunt, & animis colliqueſcentibus efferati etiam vultus lacrymis maduere. Salutatio data redditáque, & in mutuos amplexus, novo redintegrati amoris cōflictu, concurſum. Viſa redivivis eo momento aurea ætas ferreæ ſuccedere; ſepulta æternâ oblivione odia, & incruentâ de facinoribus victoriâ triumphatum. Reſpirante præter ſpem Boiaria receptiſque velut è mortis confinio civib. Otto Princeps, qui Patriæ incendium in ſcintilla extinguere neglexerat, invicem malevolorum invidia cōflagravit. Henric.⁹ Rex per hiemem in Luititios moverat, quòd niſi paludibus gelu aſtrictis penetra- A. mlxix. *Ann. Altah.*

OTTO PARATÆ HENRICO CÆDIS PER INIVRIAM INSIMVLATVR.

netrare ad barbarorum munimenta miles non posset; glacie proditos cùm debellasset, victorem Otto hospitio excepit. Erat in ejus comitatu Chuno nutritius regis; in cuius perniciem armasse sicarios Otto postea insimulatus est, latrocinio ita composito, vt eodem etiam Rex involueretur; qui si periclitanti amico, voce ejus agnita, opem attulisset, eadem operâ per tumultum occideretur. Chunone familiarium accursu servato, Egino quidam meditatum parricidium vulgavit, sicâ in medium prolatâ, qua ad peragendam regis cædem ab Ottone instructum se ferebat. Atrocissima fabula apud Annalium Altahensium conditorem fidem reperit, quē nos alibi quoque Ottoni, ob attrectatas carptásque Altahensium opes, iniquiorem liquidò animadvertimus: quo minor illius hac quidem in re adversus probatissimos scriptores est autoritas, qui Eginonem omnibus flagitijs infamem subornatum ab Henrico ipsomet calumniatorem affirmant, invidiâ virtutum Ottonis, quibus sperare Imperium posse aut certè mereri visus est; præsertim cùm

Lambert. Vrsperg. Bruno de bello Sax. Alb. Stad.

cùm ea Henrici morum fœditas esset, vt bonum virum neminem intrepidus aspiceret, solo eorum occursu Imperiũ sibi abrogari aut exprobrari vitam sentiens. Repræsentandus orbi Caligula sit, aut quicunque alius ex Cæsarib. probris suis inclaruit, nisi verecundior ipsius fronte calamus foret. Hac ipsa tempestate, occupato adulterinis amoribus animo, ab vxore Bertha divertisset, lenocinantibus improbæ cupiditati etiam nonnullis Episcopis & lege velantibus vltimum nefas, nisi Petrus Damiani Põtificis Max. legatus divino ore, in quo ejus seculi eloquentia habitavit, suadendo alternis minandóque hanc à thoro regio maculam avertisset. Cùm invisam à latere suo fœminam amoliri non posset, tantò impensiùs ad subvertendum fortem virum incubuit, in multò plausibiliore causa; Eginone duellum poscente ad indicium comprobandum, & nemine patrocinium suscipere auso delati parricidæ; apud regem, cuius neutra jam auris vacabat, quiq; Ottonem non modò credebat, sed fecerat reum. Erant præterea in regia permulti æmulatione digni-

HENRICI FOEDI MORES.

EGINO CALVMNIATOR OTTONEM AD DVELLVM PROVOCAT.

OTTO PA-RATÆ HE-RICO CÆ-DIS PER IVRIA[M] INSIMV-TVR.

dignitatis eidem adversi, qui hanc pre-
mendi inimici occasionem calidè vrge-
bant, vetera quoque, quæ jam refrixe-
rant, inflammantes; quemadmodum
etiam putida fabula, de abrepto in Annonis navem Rege, ad invidiam Ottonis exaggerata est. Neque enim id primum Ottonis parricidium esse, sed in hospitali mensa consummandum in Coloniensi navigio tentatū fuisse. E matris antea sinu rapuisse Regem, nunc eidē per latus educatoris ei⁹, quem Patris loco coluerit, vitam eripere conatum: quasi sedulò operam dedisset, vt proximas cum illo necessitudines extingueret & neminem superesse pateretur vltorem. Nimirum magnitudinis regiæ fastigio imminentem indignantémq; in secundis consistere offendi regis juventâ, &; nisi fata præcipitentur, desperare de successu suæ ambitionis. Hinc Italiâ frustra solicitatâ, & BOIIS propter avarū & infelix Imperium abalienatis, damnare irrita consilia & à bello ad latrociniū descēdere gnarum faciliùs vnum hominem quàm exercitum armari, & posse scelus compendio absolvi, rege occiso;

id

id solùm peccasse, quòd Eginoni cũ gladio non etiam scelestum animum tradiderit; cúmque ad peragendam sanguinariam fabulam vno tantum actore indigeret, similem tamen sibi eiusdémque immanitatis capacem toto orbe terrarũ non invenisse. Magno assensu hæc perorantes rex audivit; Ottonémq; Moguntiam evocatum parricidij postulavit, die dicta, qua Goslariæ objecta refelleret, &, si innocentiæ confideret, cum Eginone congressus illum ipsum gladiũ victo extorqueret, quo eum in suam perniciem armasset. Indignissima res bonis omnib. visa, clarissimi nominis Principem velut emptum ad spectaculum Circense cum profligatissimo gladiatore, cui mentis juxta sanguinísque boni gutta nulla sit, comparari, qui ne id quidem meruerit, vt tali dextra caderet, debitúmq; carnifici spiritum tam nobili luctatori impẽderet. Quo jure vel adeò exemplo in causa capitis recipi nomen maximi Principis, vnico eodémque intestabili nebulone deferente; & nobilissimo reo è foro & tribunalibus in arenam rejecto alium judicem præter gladium non dari,

peri-

theri maledicentiâ in contemptum adducto & ex ingrata patria emigranti BOIARIA in vrbe principe læta lubénsque indulsit, patronum tutelámque publicam salutavit & experta est. Sed quo tēpore Bennonem inauguratum diximus, BOICÆ facies multò miserrima fuit, vires ferrúmque, otio ab hostibus externis dato, in sua viscera vertentis. Nihil cuiquam, velut concessâ latrociniorum licentiâ, tutum; crudelitatis barbaræ exempla innumera per vrbes agrósq; edita; multi passim mortales cæsi vel mutilati suas alienásque domos funeribus & luctu implevere. Otto Dux favere populari furori creditus est & ex cladibus publicis quæstum facere; præmiatores, incendiarij, prædones deprehensi convictíque noxæ eximebantur, pecuniæ patrocinio aut prævalente gratia nobilitatis, ad quam coercendam vel animus illi vel vires defuere. Proximo anno Legatus cum Annone Coloniensi & Henrico Tridentino in Italiam abijt, cùm Henricus Cæsar à paratæ profectionis consilio, quod illum jam Augustam Vindelicorũ traxerat, repente resilijsset, proceribus

A. MLXVII. *Ann. Altah.* BOIARIÆ PAX TVRBATA.

OTTO DVX INFAMIA LABORAT.

A. MLXVIII. *Ann. Altah.* OTTO HENR. CÆS. LEGATVS.

lon-

longum iter deprecantibus gratificatus. Legati quòd Ravennæ itémque Parmæ Episcoporum, quos Alexander Pont. detestatus fuerat, congressu non abstinuissent, impij habiti, neq; prius, quàm nudis pedibus piaculi causa Romam obissent, in conspectum admissi sunt. Otto socijs Italia digredientibus, substitit & in Placentino agro cum Godefrido Duce Italorum conventum egit. eorum, de quibus palàm relatum est, neque perrogari sententiæ neque confici quidquam potuit, Italis clamore & tumultu omnia miscentibus, déque libertate sua actum existimantibus, si exteri hominis consilia ad aures admisissent; quæ seorsim cũ Godefrido acta sunt, magnæ Ottoni invidiæ fuere. Agitasse facem conjurationis eadémque inflammare Italiam aut certè Godefridum virum factiosum jactatum civilibus bellis & Henrico iniquiorem amburere voluisse, fama vulgavit, incertum qua fide, quam secreta Principum rimantes polliceri faciliùs, quàm præstare possunt. Interim tumultus Boici Ottonis Ducis indulgentiâ & dissimulatione exorti, multóque libe-

Triumphus S. Remacli, c.22.

OTTO SVSPECTVS CONIVRATIONIS.

MISERIÆ BOIARIÆ.

riùs per ejus abſentiam propagati propè in perniciem patriæ erupere. Viri Principes cùm clientelis abundarent & ſuorum injurias tamquam ad ſe pertinentes vindicare in autores vellent, haud facilè in imparatos incidére; cùm, quanto quiſque juris minus haberet, tanto validiora ſibi præſidia cõparaſſet, eo factionum æſtu ſublevatæ deſperatiſſimæ cauſæ, & ex plebeijs rixis pluſquam civile bellum, totâ ferè in partibus ſtante Boicâ, conflatum eſt. juſti duo exercitus cãpos BOIARIÆ Orientalis inundavere, in ſua vterque patria non alium adverſariũ habiturus, quàm civem: eadem vtrinq; arma ſignáque in communem antehac explicata hoſtem ſimúlque triumphantia, nunc fraternas acies commiſſura & cognato ſanguine imbuenda. Iam furor acies inſtruxerat, jam ad jactum teli & mutuum conſpectum ventum fuerat, ſtricti vtrinque enſes quærebant vulneri locum, increpante tarda Ducum imperia feroci milite, eadémque impatientiâ collectas in certamen iras & vibrata dudum tela cohibente; cùm ſubitò rem BOICAM in vltima ſtantem linea & ſuiſmet

BELLVM CIVILE BOIARIÆ.

DIRIMITVR DIVINITVS.

met

met præcipitandam viribus Numen respexit, nulláque humana suadâ flectendos animos divina vis non reluctantes permulsit. Affectus patriæ, communia sacra, sanctissima fœdera eodem cęlo solóque natis congenita, quorum memoriam morsúmque cum ipso humanitatis sensu feralis illa rabies extinxerat, velut discussa nube, rursus emicuerunt; ad hanc veluti facem adornati sceleris fœditas erubescentibus & seipsos miserantibus est ostensa. Elapsa illico manibus arma sunt, & animis colliquescentibus efferati etiam vultus lacrymis maduere. Salutatio data redditáque, & in mutuos amplexus, novo redintegrati amoris cōflictu, concursum. Visa redivivis eo momento aurea ætas ferreæ succedere; sepulta æternâ oblivione odia, & incruentâ de facinoribus victoriâ triumphatum. Respirante præter spem BOIARIA receptísque velut è mortis confinio civib. Otto Princeps, qui Patriæ incendium in scintilla extinguere neglexerat, invicem malevolorum invidia cōflagravit. Henric. Rex per hiemem in Luititios moverat, quòd nisi paludibus gelu astrictis penetra- A. MLXIX. *Ann. Altah.*

netra-

OTTO PARATÆ HENRICO CÆDIS PER INIVRIAM INSIMVLATVR.

netrare ad barbarorum munimenta miles non posset; glacie proditos cùm debellasset, victorem Otto hospitio excepit. Erat in ejus comitatu Chuno nutritius regis; in cuius perniciem armasse sicarios Otto postea insimulatus est, latrocinio ita composito, vt eodem etiam Rex involueretur; qui si periclitanti amico, voce ejus agnita, opem attulisset, eadem operâ per tumultum occideretur. Chunone familiarium accursu servato, Egino quidam meditatum paricidium vulgavit, sicâ in medium prolatâ, qua ad peragendam regis cædem ab Ottone instructum se ferebat. Atrocissima fabula apud Annalium Altahensium conditorem fidem reperit, quē nos alibi quoque Ottoni, ob attrectatas carptásque Altahensium opes, iniquiorem liquidò animadvertimus: quo minor illius hac quidem in re adversus probatissimos scriptores est autoritas, qui Eginonem omnibus flagitijs infamem subornatum ab Henrico ipsomet calumniatorem affirmant, invidiâ virtutum Ottonis, quibus sperare Imperium posse aut certè mereri visus est; præsertim cùm

Lambert. Vrsperg. Bruno de bello Sax. Alb. Stad.

Henrici foedi mores.

cùm ea Henrici morum fœditas esset, vt bonum virum neminem intrepidus aspiceret, solo eorum occursu Imperiũ sibi abrogari aut exprobrari vitam sentiens. Repræsentandus orbi Caligula sit, aut quicunque alius ex Cæsarib. probris suis inclaruit, nisi verecundior ipsius fronte calamus foret. Hac ipsa tempestate, occupato adulterinis amoribus animo, ab vxore Bertha divertisset, lenocinantibus improbæ cupiditati etiam nonnullis Episcopis & lege velantibus vltimum nefas, nisi Petrus Damiani Põtificis Max. legatus divino ore, in quo ejus seculi eloquentia habitavit, suadendo alternis minandóque hanc à thoro regio maculam avertisset. Cùm invisam à latere suo fœminam amoliri non posset, tantò impensiùs ad subvertendum fortem virum incubuit, in multò plausibiliore causa; Eginone duellum poscente ad iudicium comprobandum, & nemine patrocinium suscipere auso delati parricidæ, apud regem, cuius neutra jam auris vacabat, quiq; Ottonem non modò credebat, sed fecerat reum. Erant præterea in regia permulti æmulatione digni-

Egino Calvmniator Ottonem ad dvellvm provocat.

dignitatis eidem adversi, qui hanc premendi inimici occasionem calide urgebant, vetera quoque, quæ jam refrixerant, inflammantes; quemadmodum etiam putida fabula, de abrepto in Annonis navem Rege, ad invidiam Ottonis exaggerata est. Neque enim id primum Ottonis parricidium esse, sed in hospitali mensa consummandum in Coloniensi navigio tentatũ fuisse. E matris antea sinu rapuisse Regem, nunc eidẽ per latus educatoris ei',quem Patris loco coluerit, vitam eripere conatum: quasi sedulò operam dedisset, vt proximas cum illo necessitudines extingueret & neminem superesse pateretur vltorem. Nimirum magnitudinis regiæ fastigio imminentem indignantémq; in secundis consistere offendi regis juventâ, &, nisi fata præcipitentur, desperare de successu suæ ambitionis. Hinc Italiâ frustra solicitatâ, & BOIIS propter avarũ & infelix Imperium abalienatis, damnare irrita consilia & à bello ad latrociniũ descẽdere gnarum faciliùs vnum hominem quàm exercitum armari, & posse scelus compendio absolvi, rege occiso;

OTTO TRADVCITVR AB ÆMVLIS.

id

id solùm peccasse, quòd Eginoni cũ gladio non etiam scelestum animum tradiderit; cúmque ad peragendam sanguinariam fabulam vno tantum actore indigeret, similem tamen sibi eiusdémque immanitatis capacem toto orbe terrarũ non invenisse. Magno assensu hæc perorantes rex audivit; Ottonémq; Moguntiam evocatum parricidij postulavit, diè dicta, qua Goslariæ objecta refelleret, &, si innocentiæ confideret, cum Eginone congressus illum ipsum gladiũ victo extorqueret, quo eum in suam perniciem armasset. Indignissima res bonis omnib. visa, clarissimi nominis Principem velut emptum ad spectaculum Circense cum profligatissimo gladiatore, cui mentis juxta sanguinísque boni gutta nulla sit, comparari, qui ne id quidem meruerit, vt tali dextra caderet, debitúmq; carnifici spiritum tam nobili luctatori impẽderet. Quo jure vel adeò exemplo in causa capitis recipi nomen maximi Principis, vnico eodémque intestabili nebulone deferente; & nobilissimo reo è foro & tribunalibus in arenam rejecto alium judicem præter gladium non dari,

peri-

periturο nisi calumniatorem occiderit? Otto tamen quamvis iniquissimæ conditionis indignitatem subire, quàm detrectando calumniæ de se triumphum concedere maluit, professus, si incolumitati suæ libertatíque, interposita fide publica, caveretur, nec regis voluntati nec innocentiæ suæ defuturum, eámque vel ore vel manu asserturum. Negavit Rex causam parricidij dicturo fas esse de commeatu pacisci, cuius vita fortunæq; gladio sint addictæ, qui solus de capite ipsius sententiam sit laturus. Otto minarum atrocitate efferatus, Ingratijs se à Rege ad pugilatum invitatum brevi daturum, quos non vellet, ludos, respondit, evitatóque publico, ad conquirenda innocentiæ suæ præsidia, discessit. Rex velut confessum convictúmque, bonis publicatis, hostem Reipub. declaravit, immissóque in possessiones ejus milite, flamma ferróque omnia miscuit. In Divûm adeò templa & aras, quæ ejus nomen præferrent, sævitum, ne quod monumentum extaret, quod Ottonem testaretur Pium eiúsque liberalitatem Superis commendaret. Otto invicem, clien-

Iniqvitate Regis Otto circvmscribitvr.

Hostis Reip. declaratvr.

clientum suorum tribus millibus armatis, Thuringos invasit, militarium munerum insuetis vota interim precésque imperans, quorum virtutem IV. potissimùm Nonas Septembris, fusis fugatísque hostibus, est expertus; cùm trecentos eo conflictu desiderassent, vnum omnino funus & bina vulnera inter suos Otto recognovit, ejúsque victoriæ famâ Henricum intra Goslariæ mœnia ea hieme cohibuit; vbi, ne nihil ageret, Ottonem, quem armis vincere nō potuit, BOIARIÆ Principatu exuit, cúmque Welfoni regendum dedit. Atque hic est ille Welfo, qui Azone Estensi & Chunissa Welfonis II. filia natus materni Avi nomen assumpsit propagavítque, & BOICÆ imperium per annos propè trecentos Francis, Saxonibus eorúmque beneficiarijs obnoxium ad Suevos transtulit. Nos, velut illustribus cælestium corporum revolutionib⁹ annos & secula definimus, & ævum omne Solis & Lunæ vicibus metimur, BOICÆ quoque hanc velut alteram ætatem, novorum siderum exortu, claudimus. Carolus ei Magnus Sol non BOIARIÆ mo-

OTTO EXAVTHORATVR.

dò ſed orbis terrarum vniverſi initium dedit primámq; facem accendit. poſteris ad occaſum properantibus, Otho Magnus ſuæ gentis radios, nihil imminuta claritate, ſuccenturiavit. Sed eâ quoq; in Ottone, cujus ruinā proximè ſpectavimus, extinctâ, ſecuturis Annalibus ipſíq; adeò BOICÆ lucem diémq; aliunde invehemus.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.



GO GVALTERVS MVNDBROT Societatis IESV per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis Partem Secundam Annalium BOICORVM à P. Andrea Brunner Societatis Noſtræ Sacerdote ſcriptam & à Cenſoribus probatam, pro poteſtate ab Admodum R. P. N. Mutio Vitelleſco Vniverſæ Societatis Præpoſito Generali accepta, in lucem dari permitto: Et Cornelio Leyſſerio Bibliopolæ Monacenſi & Electorali Typographo jus Cæſarei Privilegij vſurpandi indulgeo, quo Typographis & Bibliopolis omnibus vulgatos à Societatis IESV Patribus libros, abſque Superiorum Auctorúmque conſenſu, recudendi, vel intra S. R. I. & Provinciarum Sacræ Cæſ. Majeſt. Hæreditario Iure ſubjectarum fines importandi copia adimitur. Datam Facultatem Manu mea & Officij Sigillo confirmo. Monachij. Prid. Kal. April. Anno MDCXXIX.

Gualterus Mundbrot.

INDEX RERVM MEMORABILIVM SECVNDA PARTE ANNALIVM BOICORVM CONTENTARVM.

A.

Lu-

D.

E.

EPISCOPORVM

BOIARIAE SERIES.

Quorum Nomina Asterisco notata sunt Annalibus materiam non præbuerunt.

SALISBVRGENSES

ARCHIEPISCOPI.

FRISINGENSES

EPISCOPI.

RATISBONENSES

EPISCOPI.

BATAVENSES SEU PASSAVIENSES EPISCOPI.

EXEMPLA ILLUSTRIA.

G.

nes

S. Pop-

B. VVil-

EMENDANDA.

P. 82. v. 18. modestæ l. modestiæ. p. 131. v. 5. à fine. psis l. ipsis. 267. v. ult. in. dele. 414. v. 12. coactum l. coactam. 446. v. 1. subjectis, adde, pugnatum. 574. v. 2. aluit l. eluit. 728. marg. BOIARIAE l. BOIARIA. 781. v. 6. à fine. pudicitæ l. pudicitiæ. 8 : 7. v. 16 HENR. V. l. VI. 822. v. ult. exintcto l. extincto. 831. v. 8. à fine. vererem l. veterem. 930. v. 18. Abbati l. Abbate. 932. v. 13. magnorum l. magnarum. ibid. marg. TEMPERARVM l. TEMPERATVM. 949. . VIII. Non. l. Idus. 943. Marchioum l. Marchionum.

Leviuscula, vel quæ oculos nostros fugerunt, Lectoris humanitas nobis condonabit.

F I N I S.

